


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google



UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT





90

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

LUCII ANNAEI FLORI
HISTORIA
ROMANA,

Ex Recensione

N. B.

ACCEDUNT

CLAUDII SALMASII
aliorumque Notæ.




FRANEQUERAE,
Ex Officina HANSONII HAGENAAR. MDCXC.



Digitized by Google



Digitized by Google



HISTORIAE ROMANAE LECTORI

S. P. D.



Anni aliquot labuntur, erudite lector, ex quo gravioribus districtus curis ad nobilium scriptorum editionem sum invitatus. Ego autem, cum nihil minus animo destinaram, neque ocio abundarem, sumpsi ad deliberandum spatium, quo & mihi & aliorum desideriis possem satisfacere. Dum hic anceps hæreo, varias in partes animus scindebatur, non exigui momenti rem fore ratus, eas mihi sumere partes, quæ ætatem supergrederentur. Tum maxime, quod diversa sint hominum judicia, quæ inertes animas accendunt ad obtrectationem. Ardenter tamen ea cognoscere properabam, quæ studiis dignitatem, animo sapientiam conferrent. Sic instituebam rationes, eximiis tantum hominibus livorem communem; eo carere, non nisi certæ fore divinitatis. Quare ad opus accingor, sciens à quo didicerim literarum & gloriæ regna non nisi studio & magnanimitate conservari. Quo vero rerum æstimatoribus satisfiat, operæ pretium me facturum existimavi, si quos secutus sim fontes, candide aperirem. In exprimendo quidem Floro nullius editioni penitus adhæsi, cum varia occurrerent loca, quæ ab ingenio, vel meliorum codicum authoritate, lucem requirere videbantur. Interim fuere plura quæ tuto prætermisi, vel quia indigna quibus manum admoverem, vel quia nimis

Digitized by Google

religiosus, ut propterea veterem scripturam sollicitarem. Vbi tamen loco removenda erat, plurimum tribui Divi Nazarii antiquissimo manuscripto, ut quem ante octingentos & quod excurrit annos scriptum esse manifesta sit fides, quique bonitate superet codices alios, quibus in authoris hujus recensione usus est doctissimus Vinetus. Id autem licet ad manum non esset, ejus vicem supplere poterant illæ notæ, quas in Germania pæne puer curaverat Claudius Salmasius, non Galliæ tantum suæ, sed & orbis eruditi sydus splendididissimum. Quanquam non omnia iis committenda putavi, cum variis modis laceræ, & typothetarum incuria pudendis sphalmatis infectæ. Cum igitur parum fiduciæ in hoc opere collocarem, incidi forte, quæ mea fœlicitas fuit, in eam præfationem, quam Lucii Ampelii libro memoriali comitem dederat. Vnde non hoc tantum cognovi, Salmasium habere plenos ad Annæum commentarios, sed eo etiam animo esse, ut authori propediem adjungeret. Ego hoc thesauro nonnihil elatior, spem concipiebam fore, ut pro singulari qua eruditos complectitur humanitate, eum mihi exhibere haud dedignaretur. Quæ spes me haudquaquam fefellit. Gratia sit ipsi a me ac posteritate immortalis, qui pro immensa sua eruditione, ac amplissima dote variarum circa res Romanas observationum, laboribus meis tam benigne affulsit. Atque ea causa est, cur divinum hoc nomen commentario nostro tantam adferat dignitatem, ut propterea reliquis merito sit anteponendus. Quanquam non hoc ei propositum fuerit, omnia loca invadere, sed ea tantum quæ hactenus conclamata, ac in quibus defecerant eruditiorum conatus. Occurrunt etiam alii, qui in Floro illustrando curam ac industriam impenderunt. Inter eos primum se sistit Joannes Camers, Franciscanæ familiæ sodalis, vir, ut infelicia illa tempora ferebant, eruditissimus. Hic, præterquam in Solinum, Fenestel-

nestellam, Cebetem & alios, unius mensis otio ad Annæi ampliandam historiam quædam publicavit, ut ex fine commentationum discere licet. Quo labore id commodi consecutus sum, ut ea se offerrent loca, quæ non sine magno negotio, sæpe etiam cum diffidentia, conquirere potuissem. Licet autem hæc cura novitii aut grammatici commatis esse videatur, & aut à vano aut pusillo animo esse, longe tamen abfuerim studia illius culpare, qui tam propenso animo literarum commoda promovit. Insecutis verò temporibus, tam inusitata ingeniorum contentione in limando hoc authore est allaboratum, ut nihil sordium, quæ per imperitos librarios irrepserant, relictum videretur. Sic prodierunt Vineti, Stadii, Gruteri, Lipsii, Pontani, Freinshemii, Zevecotii ad eundem observationes. Quibus ego subsidiis instructus, nihil reliquum videbatur, quam ut ea, quæ ab eximiis his hominibus erant excogitata, uno velut fasciculo concluderem, & adhibita judicii rectitudine, absolutum fermè opus literatis exhiberem. Ausus etiam plurima inserere, quæ summorum virorum judiciis probata, neque indigna visa, quæ recenti huic ac politissimæ editioni adderentur. Ac sicubi forte humani ingenii lege erratum, veniam merebor ab ætate, tum & præcipiti typothetarum festinatione, quæ studia mea sæpius interrupit. Cum vero editio nostra carceres morderet, ac propè absoluta esset, cogitare cœpi, an ne alia superessent, quibus & gratiam inire, & mihi satisfacere possem. Scrupulum injecerat Sosipater Carisius, vetustissimus grammaticus, qui in institutionibus suis de Floro mentionem faciens, scribit, eum ad Divum Hadrianum non solum scripsisse, *Quasi de Arabe aut Sarmatæ manubiis:* sed etiam, se *Poëmatis delectari*. Quæ me impulerunt, ut omnem lapidem moverem, inquirendi in aliquot poëmata, imitatus eos qui reliquias sanctorum consectantur, qui satis habent, si vel fimbria putidæ vestis, vel ossiculo aliquo potiri queant.

In

In manus venerant veterum epigrammata, per Clarissimum Pithæum in unum comportata. Sed in iis nihil mihi reliquum fuit, quam quod ad Anacreontis imitationem Florus scripserat, quodque jam olim ab Ælio Spartiano in Hadriani vita erat publicatum. Igitur Floro poëtæ scribenti ad se,

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Schyticas pati pruinas.

Rescripsit,

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Sed parum fuisset, si soli hi versiculi, velut κειμήλια lectoribus obtruderentur, nisi accederent alii, qui magis ad gustum essent. Dum studiose revolvo eas notas, quas in Historiæ Augustæ minores scriptores concinnaverat Claudius Salmasius, ecce, alia requirendi nova spes affulsit. Quæ igitur occasione tanti viri in manus nostras venerint, breviter accipe. In commentationibus ad verba, *Floro poëtæ scribenti ad se*, mentionem injicit, penes se esse ineditum librum, quo antiquorum carmina continerentur. Ejus vero rei specimen exhibet in eleganti aliquo epigrammate, quod in eodem libro a se repertum scribit. Flori nomen huic poëmatio diserte superscriptum, folio trigesimo octavo, versa pagina, mecum testari potest clarissimus Scriverius, cum quo eundem librum pervolvi. Id verò taliter sonat:

FLORI.

Venerunt aliquando rosæ. proh! Veris amœni
Ingenium! Una dies ostendit spicula florum:
Altera pyramides nodo majore tumentes:
Tertia jam calathos: totum lux quarta peregit
Floris opus: pereunt hodie nisi mane legantur.

Apud

Digitized by Google

Apud Lipsium Electorum libro primo, capite quinto, legitur anonymi poëtæ veteris *Pervigilium Veneris*, cujus authorem Catullum autumat Iosephus Scaliger, ex Petri Pythæi membranis ipsi submissum, & ex iisdem *Floridi de qualitate vitæ*. Sed male scripserat Pithæus *Floridi*, cum revera *Flori* nomen ibidem habeatur, neque paticula *di* aut alia supra vel in infra reperiatur. Nec scribendum oportuit de *qualitate vitæ*, sed *vitis*. Ecce enim de vitibus loquitur epigramma:

Bacche vitium repertor plenus adsis vitibus,
Effluas dulcem liquorem comparandum nectari,
*Conditumque fac vetustum, ne malignis * suenulis*
*Asperum ducat saporem * versus usus in alteros:*

* Pyth. *vernulis.* Lipf. *ne malignis vernulis, Asperum duat saporem.*
* Salmas. *versum usum in alteros.*

Reliqua quæ in hisce membranis reperire potui, ita se habent:

Omnis mulier intra pectus celat virus pestilens,
Dulce de labris locuntur, corde vivunt noxio.

Sic Apollo, deinde Liber, sic videtur ignifer:
Ambo sunt flammis creati, prosatique ex ignibus:
*Ambo de comis calorem * & radio vite conferunt,*
Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

*Pyth. *& radios ambo conferunt.*
*Lipf. *radio dio conferunt.*

Quando ponebam novellas arbores mali & pyri,
Cortici summæ notavi uomen ardoris mei:
Nulla fit exinde finis vel quies cupidinis,
*Crescit arbor, gliscit * arbor, ramus implet literas.*

* Pyth. *ardor.*

 Sed

Digitized by Google

Qui mali sunt, non fuere matris ab alvo mali,
Sed malos faciunt majorum falsa contubernia.
Sperne mores transmarinos, mille habent offucias.
Cive Romano per urbem nemo vivit rectius.
*Quippe *mali unum Catonem, quam ccc Socratas.*

* Lego *malim.*

Tam malum est habere nummos, non habere quam malum est.
Tam malum est audere semper, quam malum est semper pudor,
Tam malum est tacere multum, quam malum est multum loqui.
Tam malum est foris amica, quam malum est uxor domi.
Nemo non hæc vera dicit, nemo non contra facit.


Consules fiunt quotannis & novi Proconsules:
Solus aut rex aut poeta non quotannis nascitur.

Anne hæc epigrammata majoris cujusdam operis sint fragmenta, an imperiti sarcinatoris ablecta, equidem dubito. Primum illud de Baccho, ut Lipsius judicat, plane insipidum, quod florem vini non redoleat, sed floces potius, quos non nominat. Merentur tamen aliqua laudem, licet alia etiam contemptum. Illud de rosa perelegans sane ac peracutum est, quodque jam olim ingeniosa paraphrasi illustravit ὁ μακαρίτης Hoofdius, Satrapa Muydensis. De cæteris judicium suspendo. Induxeram in animum ad hæc epigrammata prolixum exhibere commentarium, sed quia operæ typographicæ non patiebantur, distuli in aliud tempus commentandi occasionem. Atque ea sunt erudite lector, quæ de instituto nostro te scire volebam. Tuum erit egregiis destinationibus favere, ac studio tuo meam diligentiam excitare, quæ ad solius Dei gloriam, ac proximorum meorum utilitatem est comparata.

GER-

Digitized by Google

GERARDUS JO. VOSSIUS
LIBRO
De
HISTORICIS LATINIS.



Extremis Trajani temporibus floruit L. ANNÆUS FLORUS, qui rerum Romanarum quatuor perscripsit libros. De ætate satis apparet ex præfatione operis, cum ait: *A Cæsare Augusto in seculum nostrum sunt non multo minus anni ducenti: quibus inertia Cæsarum quasi consenuit, atque decoxit: nisi quod sub Trajano movet lacertos, &, præter spem omnium, senectus imperii, quasi reddita juventute revirescit.* Viri quidam eruditi, eosque inter Jo. Camers, malunt *movit*, pro *movet*. Nec diffiteor, sic esse in quibusdam Mssis, Sed rectum esse, *movit*, ostendit, tum quod antecedit, *in seculum nostrum:* tum quod sequitur, *revirescit.* Sed, inquiunt, Florus ab Augusto esse ad sua tempora ait annos prope C C. Ab Augusti autem principatu, usque ad Trajani imperium, sunt anni tantum CXXIV. sive, si putes usque ad excessum Trajani, anni erunt CXLIII. Sed jamdudum hæc mihi meditata. Verum legendum puto apud Florum, *anni* CL. Nam quisquis Mssos Flori Codd. versarit, scit, quantopere in annis variet prologus iste. Nec tamen solius Trajani ævo arbitror vixisse: sed etiam Hadriani. Plane enim idem videtur, cujus in Hadrianum versiculos, & in quem versus Hadriani, Spartianus refert: quemque Annæum Florum Charisius vocat, & ex cujus ad Divum Hadrianum epistola gemino in loco citat illa verba, *Poematis delector.* Sane quod poëmatis delectari se ait, id non abhorret ab hujus compendii scriptore, quando stylus ejus in historia est declamatorius, ac poetico propior, adeo ut etiam Virgilii hemistichia profundat. Et tamen est ea potissimum Flori nostri laus, quod scriptor est elegans, & disertus, &, si paucula exceperis, quæ frigidius dicta videntur, vere floridus. Sed latæ est culpæ reus, quod in temporum ratione usque adeo negligens sit, ita ut non possit sæpius hallucinari, qui hunc ducem sequi velit. Valde autem falluntur, qui eum putant in historia sua epitomen nobis Livii dare voluisse. Siquidem crebro a Livio recedit. Nec facile dixerim, idemne, an alius sit, qui singulorum fere Livii librorum argumenta reliquit, quæ hodieque extant, etiam librorum, qui deperierunt. Sed, ecce, de nomine etiam scriptoris litem movent viri eruditi. Scrupulum iis injicit, quod Lactantius lib. VII. Instit. Div. Senecam appellet. Siquidem, inquiunt, antiquiorem hoc historico habemus neminem, qui populum Romanum diviserit per quatuor ætates. At Senecam ejus rei aucto-

 rem

Digitized by Google

rem laudat is, quem diximus, Lactantius, his verbis: *Non inscite Seneca Romanæ urbis tempora distribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse; a quo & genita, & quasi educata sit Roma: deinde pueritiam sub cæteris regibus; a quibus & aucta sit, & disciplinis pluribus institutisque formata: at vero, Tarquinio regnante, cum jam quasi adulta esse cæpisset, servitium non tulisse, & relicto superbæ dominationis jugo maluisse legibus obtemperari, quam regibus: cumque esset adolescentia ejus fine Punici belli terminata; tum denique confirmatis viribus cæpisse juvenescere. Sublata etenim Carthagine, quæ tam diu æmula imperii Romani fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit; donec regibus cunctis, & nationibus subjugatis, cum jam bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. Hæc fuit prima ejus senectus: cum bellis lacerata civilibus, atque intestino malo pressa, rursus ad regimen singularis imperii recidit, quasi ad alteram infantiam revoluta. Amissa enim libertate, quam, Bruto duce, & auctore defenderas, ita consenuit, tanquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur.* Hactenus Lactantius. Ea autem exscripsisse ajunt ex prologo Flori, ubi hæc legas: *Si quis ergo populum Rom. quasi hominem consideret, totamque ejus ætatem percenseat, ut cæperit, utque adoleverit, ut quasi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut postea velut consenuerit: quatuor gradus, processusque ejus, inveniet. Prima ætas sub regibus fuit prope* CCL. *per annos, quibus circum ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est. Hæc erit ejus infantia. Sequens a Bruto, Collatinoque consulibus, in Appium Claudium Marcumque Fulvium consules,* CC. *annos habet; quibus Italiam subegit. hoc fuit tempus viris, armisque incitatissimum. ideo quis adolescentiam dixerit. Dehinc ad Cæsarem Augustum* CCL. *anni: quibus totum orbem pacavit. Hic jam ipsa juventa imperii, & quasi quadam robusta maturitas. A Cæsare Augusto, in seculum nostrum, sunt non multo minus anni* CC. *quibus inertia Cæsarum quasi consenuit, atque decoxit, nisi quod sub Trajano principe movet lacertos, &, præter spem omnium, senectus imperii, quasi reddita juventute, revirescit.* Hæc Florus. Utrumque autem locum integre adscripsimus, ut omnes videant, quam infirmo tibicine nitantur, qui ex Lactantio colligunt, scriptorem compendii illius, non Florum, sed Senecam dici oportere. Ajunt, divisionem eam, cujus Lactantius Senecam laudat auctorem, apud Florum in prologo legi. In quo manifestus eorum est error. Nam Seneca adolescentiam extendit usque ad finem ultimi belli Punici: Florus duntaxat ad primum bellum Punicum. Adhæc Seneca incipit senectam a bello civili Pompejano: Florus autem a principatu Augusti. Unde colligo, Florum quidem imitatum fuisse Senecam: at aliter tamen divisisse. Atque eo magis arrisit Floro similitudo ea, quia non totam alteri deberet; sed esset, quod sibi vindicaret. Sane toto ad eam opere respicit. Nempe suum cuique pulcrum, quod dici solet. Nec propterea negaro, Florum hunc fuisse ex Senecarum familia. Seneca enim vocatur in plerisque veteribus libris. Adhæc Senecæ sunt ex Annæa gente. At Florus, uti in plerisque libb. Julius, ita Annæus in vett. vocatur libb. etiam antiqua ac principe, quam habeo, editione. Adhæc Hispanum fuisse, unde Senecæ domo erant, verisimile facit luculenta

Digitized by Google

lenta ejus terræ laudatio, quæ est lib. II. cap. XVII. & libr. III. cap. XXII. Dictio quoque hanc domum sapit. Nam ea eloquentiæ & poesios laude inclyta fuit. At dictio Historici hujus est diserta, & poeticæ propior. Imo opus ipsum vix aliud, quam declamatio est. Fortasse igitur Senecæ etiam nomen fuit. Sed, ut hoc demus, non eo consequitur, haut aliter, quam Senecam, vocari oportere. Nec enim facile adeo fides est deroganda multo maximæ parti librorum, & quidem melioris notæ, ubi Florus vocatur. Et quid prohibet, quo minus, ut L. Annæi Senecæ philosophi frater, non tantum L. Annæus Novatus dicebatur: sed etiam Junius Gallio (quod nomen habuit, postquam a Junio Gallione erat adoptatus) ita historicum hunc credamus, adoptione nomen mutasse: atque inde esse, quod idem dictus sit L. Annæus Seneca, & Annæus Florus: vel, ut in nonnullis libris legere est, L. Julius Florus?

IUSTUS LIPSIUS

Lib. II. *Elect. cap.* 5.

LVCIVS ANNÆVS Florus (ita enim indigetare cum priscis libris malim, quam Iulium: quoniam Hispana origine fuisse colligo, &, nisi fallor, ex ipsa Senecarum gente,) is inquam Florus compendium non tam Livii, a quo sæpe dissentit, quam rerum Romanarum scripsit: si quid mei judicii est, composite, diserte, eleganter. Subtilitas quidem & brevitas in eo sæpe mira; & sententiarum quædam gemmulæ cum judicio insertæ & veritate.

CLAVDIVS SALMASIVS

In Notis ad Florum.

Non alius potest esse Florus quam ille qui Trajani & Hadriani temporibus floruit, qui in Epistola ad Hadrianum, cujus Epistolæ ter aut quater mentionem apud Charisium repertes, scribit, se Poëmatis delectari. Character autem istius historici compendii plane poëticus est, & hominis in poëtis non infeliciter versati; quamvis hoc parum probet, si non alia accederent. Et mirum Grammaticis tam invisum fuisse hoc opus, ut nusquam aliquid ex eo ad testimonium citent, cum & Solinum sæpius, qui longe post tempora Annæi Flori vixit, ut alibi pluribus ostendemus, & alios non vetustiores aut meliores Solino scriptis suis ut locupletes & idoneos testes advocent.

IOH. ISAC. PONTANUS

In Oratione Isagogica ad Florum.


L. Annæum Florum Volaterranus Iulium Florum Secundum maluit nominare: Quod existimaret hunc esse eum Secundum, cujus amice meminit Fabius Quintilianus, qui & familiariter a se amatum eum addit, virum ut miræ facundiæ, ita infinitæ curæ. Iulii cognomen a Patruo Iulio

 Floro

Floro retinuisse idem conjicit: Cujus quoque Quintilianus mentionem facit, inter paucos disertum eum fuisse indicans, utpote in eloquentia, quam in Galliis sub extremum exercuit, Galliarum principem. Quam de Floro opinionem, si Trajani ævum, quo claruit & Quintilianus & Florus noster, respicimus, non abs re conjecisse Volaterranus censeri potest. Nisi quod duo obstare videantur: Prius est ipse Quintilianus, qui non ut historicum aut inter historicos, sed ut oratorem & inter eloquentiæ laude florentes utrumque & Iulium Secundum & patruum ejus Florum concelebrat: Alterum est codicum veterum scriptura, in quibus non Iulius, sed L. Annæus Florus constanter indigetatur. Vnde colligendum doctiores voluerunt ex Hispania oriundum fuisse, & fortasse ex ipsa Annæorum, id est, Senecarum gente. Quidquid horum sit, quod nos in medio relinquemus, illud interim ratum esto, egregium opus esse hos ejus quatuor rei Romanæ libros. Quos qui compendium Livii aut breviarium faciunt, vel eo, præter cætera, redargui existimo, quod in iis a Livio sæpenumero abeat ac variet sententia. Potius totius imperii florentis tabulam appellabimus, cum præsertim ipse in prologo suo fateatur se ad exemplum eorum, qui terrarum situs pingunt, in brevi quasi tabella universam imperii imaginem ac magnitudinem ob oculos posuisse. Quod sane scribendi genus ac studium brevitatis, quidquid censeant alii, præcipue in historico amplectendum magnique faciendum judico. Nam & Salustium quid magis commendavit, quam oratio concisa & stricta? Quid Thucydidem? de quo utroque censuram ac judicium hujusmodi Senecæ habemus: *Cum sit*, inquit, *præcipua in Thucydide brevitas, hac eum Salustius vicit, & in suis illum castris cecidit.* Brevitatem scilicet utriusque laudat gravissimus author Seneca, non tamen obscuram illam & implicatam, sed eam, quæ conjuncta est cum perspicuitate: Et qualem Phocioni placuisse legimus, cui quondam in comitiis sedenti cum unus e popularibus diceret, videris o Phocion nescio quid tecum ipse meditari; tum ille, ita est, inquit, meditor & cogito, num ex iis, quæ ad populum verba facturus sum, aliquid valeam recidere & amputare. Hic est ille Phocion, quem quoties ad dicendum surgere videret ipse concionis & fori rex Demosthenes, toties fatebatur, *adesse verborum suorum securim.* Vt ergo nec oratorem indecet dictio pressior & *βραχυλογία*, ita ea historico videatur esse propria; adeo, ut *neget* Cicero *quidquam esse in historia pura & illustri brevitate dulcius.* Atque hinc esse existimandum, quod Cæsar Caligula, cum inter cetera etiam Livii scripta vellet abolere, hanc præcipue causam commentus sit, *quod esset verbosus in Historia.* Noster itaque author sicuti nequaquam verbosus aut diffusus, ita neque, ut illi, qui summa rerum capita aut nuda breviaria contexunt, in se restrictus est aut exsanguis, sed sobriam & verbis cultam orationem amat, densus interim sententiis & rebus cum judicio prolatis, adeo frequens & fœcundus, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur. Quæ profecto quemadmodum insignis est, & nostro cum maximis authoribus communis laus, ita reliquas, si non adsint, facile sola compenset. Nam ut in cibis ii præcipue laudantur qui minimum detrimentorum, succi plurimum habent, ita maximi facienda oratio, quæ paucissimis verbis plurimum frugis & rerum complectitur.

N I-

Digitized by Google



NICOLAO BLANCARDO

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS

S. P. D.

Tu vero non debueras suspensa manu offerre mihi, quæ ad Flori, elegantissimi auctoris, Breviarium rerum Romanarum illustrandum contulisti. Quid enim aut publice lætius, aut privatim mihi optatius, quam clarissimos juvenes nomen & famam ex studiis petere? Neque jam dicam, audendum esse aliquid, dum & venta est, ut Fabius loquitur, & spes, & favor, & audere non dedecet, & si quid forte operi desit, ætas possit supplere. Tu enim ætate hac & cura virum te præstitisti, dum, aliorum, qui plurimi in hac arena ante te versati sunt, quædam rejicis tanquam aliena; alia sic probas ac promis, ut hæc ipsa judicii tui rectitudine fiant tua; tua denique pari cum iis passu ambulant, quæ a summis ingeniis rectissime jam pridem sunt observata. Ex illis ego vel præcipue nunc sentio, quanta & a te in posterum exspectanda, & hæ Literæ tibi debituræ sint. Sed de te hæc mihi apud alios potius dicenda sunt, quam te; qui cum modestiæ gloria reliquas virtutes tuas egregie exornes, laudanda omnia præstare mavis, quam laudari. Quærebas nuper de voce *Cælia*, cujus Florus Lib. II. cap. XVIII. ubi de bello Numantino, meminit. Accipe igitur nunc quid de ea sentiam. *Hispani*, inquit, *Celiam vocant indigenam ex frumento potionem. Celia* ergo Hispanis, quæ nunc vulgo *cervisia* appellatur, humor, ut eam describit Tacitus Lib. de Moribus Germanorum, ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus. Neque aliter exponunt veteres Glossæ Latinæ Germanicæ: *Celia, Tranch von Korn. bier.* De origine nominis quæritur. A *calefaciendo* dictam vult Isidorus, &, ut sæpe alibi, nugatur. Hispani veteres, quorum nobilis pars Numantini, vix alia usi lingua sunt quam Celtica. Noti sunt in Hispania Celtiberi, & Galli Celtæ. Gallorum autem & Celtarum linguam non aliam fuisse olim quam Germanicam certum est, id est, Scythicam. Scythis, & a Scythis antiquissima haud dubie Asiæ & Europæ, ipsisque etiam Græcis & Romanis hoc nomine laudata gente, ortis populis. *Oele* significat pinguem quemvis humorem. Hinc ἔλαιον Græcorum & Romanorum *Olum*, & Germanorum *Olie*. Vox ea hodieque, & eâdem significatione, superest Anglis, sive Anglosaxonibus, & Danis, aliisque septentrionem Europæ habitantibus populis. *Aelia* illis sive *Ael*, (*Alam* dicit Junius Animadversionum Lib. II. cap. XII. ubi de Cytho & cerevisia, quid differant, quibusque nominibus olim appellata sint, disserit) his *Oelia*, vel *Oel* dici-

dicitur *Celia*, de qua hic agitur, Numantinorum, sive humor ex hordeo & frumento in quandam similitudinem vini corruptus. C. litera, quædam velut adspiratio, pro diversa harum gentium dialecto iisdem nominibus subinde additur, nonnunquam adimitur. Ita Græcis Κάρδια, Romanis *Cor*, *Cœlum*, *Cornu*, *Cannabus*, sunt; quæ Scythis & Germanis, *Hardt* aut *Hordt*, *Hemel*, *Horn*, *Hanf*, aut *Cannef*, dicuntur. Exempla alia prope infinita sunt. *Celia* igitur haud dubie eadem est cum Anglorum Danorumque *Oelia*, aut *Aelia*, significantibus indigenam, ut hic Florus eam describit, ex frumento potionem. Βρῦτον vocant veteres Græci, Hellanicus, Hecatæus in Europæ descriptione, Æschylus, alii. Quæ & ipsa vox ortu Scythica & Germanis hodieque nota est. *Brout* enim est Cervisia; *Brouwen*, Cervisiam coquere. Sed de his plura alibi. Habes interim & agnoscis veram, nisi fallor, nominis *Celiæ* originem, eruditissime Blancarde. Vale, & hoc porro age; ac me inter illos habe, qui summa omnia raris hac ætate doctrinæ & virtutibus tuis judicant deberi. LVGDVN. BATAV. CIↃIↃCXLVII. Mense Octob.



L. AN-



L. ANNAEI FLORI
RERUM ROMANARUM
LIBER PRIMUS.

POpulus Romanus à rege Romulo in [1] Cæsarem Augustum, septingentos per annos, tantum operum pace belloque gessit, ut si quis magnitudinem imperii cum annis conferat, ætatem ultra putet. [2] Ita late per orbem terrarum arma circumtulit, ut qui res ejus legunt, non unius populi, sed generis humani fata discant. Nam tot laboribus periculisque jactatus est, ut ad constituendum ejus imperium

IN 1 *Cæsarem*] Vetustissima editio, *usque Cæsarem*, quam potuissemus hoc quidem in loco non sequi, nam scripti omnes, quos vidimus, habent: *in Cæsarem*. Et hanc loquutionem Annæo familiarem esse scimus, quod nemo potest ignorare, qui totum legerit cap. VI hujus libri. *Substitutus in locum regis quasi in tempus.* Vulgati: *ad tempus.*

2 *Ita late per orbem terrarum*] Optimæ & vetustissimæ S. Nazarii membranæ sic legunt. Nec multum aliter edidit doctiss. Vinetus, nisi quod legit: *ita enim.* sed illud, *enim*, nos salva sententia jubemus abesse, ut & illud in altero Palatino est: *ita enim ubique per orbem terrarum.* Sed ille ut vetustate inferior, ita & bonitate.

Digitized by Google

perium, contendisse Virtus [3] & Fortuna viderentur. [4] Quare quum præcipua quæque operæ precium sit cognoscere; tamen quia ipsa sibi obstat magnitudo, rerumque diversitas [5] aciem intentionis abrumpit, faciam quod solent, qui terrarum situs pingunt: in brevi quasi tabella totam ejus imaginem amplectar, nonnihil, ut spero, ad admirationem principis populi collaturus, si pariter atque [6] insimul universam magnitudinem ejus ostendero. Si quis ergo populum Romanum quasi hominem consideret, totamque ejus ætatem percenseat, ut cœperit, utque adoleverit, ut quasi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut postea velut consenuerit; quatuor gradus processusque ejus inveniet. Prima ætas sub regibus fuit, prope [7] ducentos quinquaginta per

3 *Virtus & fortuna videantur*] Optimi libri legunt hic: *viderentur*. Quod magis probo ex genio Flori: *Ut ad constituendum ejus imperium contendisse virtus & fortuna viderentur*. Sic infra cap. IX. *ut plane publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi populum videretur*.

4 *Quare quum præcipue hoc quoque*] Optimus S. Nazarii liber: *quare quum si præcipuè hoc quoque operæ pretium sit cognoscere*. omissis illis, *sicut cætera*. Forte legendum: *quare quum præcipue hoc quoque operæ pretium sit cognoscere*.

5 *Aciem intentionis abrumpit*] Nazarianus cum duobus Palatinis: *abrumpit*. Profecto *abrumpit* cum vetera haberent excusa, Vinetus ex suis libris *obrumpit* reposuit. omnes tamen libri, quibus usi sumus, *abrumpit*, uno consensu legunt.

6 *Pariter atque insemet*] Quomodo hic *insemet* exponi possit nullus video. Quid enim *insemet*? omnino emendandum; *insemel*. Quod in hoc authore hominum imperitia depravatum ter aut quater reposuisse memini, ex veterum librorum fide. *Insemel*, *insimul*, *ininstar*, dixerunt veteres, pro simplicibus *semel*, *simul*, & *instar*. ut nos alibi pluribus docebimus. Posset etiam legi, *pariter atque insimul*, & magis placet quam *insemel*. *Insimul* infra dixit. *Pariter atque insimul*. ut, *statim è vestigio*. Et *statim ac sine mora*, quæ sunt familiares Annæo loquutiones. *Insemel* in Pandectis Florentinis, pro *semel*.

7 *Prope ducentos quinquaginta per annos*] Mirum quam diversè hic numerus concipiatur in antiquis libris. S. Nazarii membranæ CCCC *per annos*. Quod & à plurimorum veterum sententia, & à vero longius abest. Alter Pal. CC. Alter verò cum Nazariano consentit. Nullus certe agnoscit editam lectionem. Vetusti Jordanis Codices: CCXLIII. Quibus ratio nos cogit assentiri & scriptorum consensus. In Anacephalæosi, de regibus: *Hæc est prima*

Digitized by Google

per annos, [8] quibus circum ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est. Hæc erit ejus Infantia. Sequens à Bruto Collatinoque consulibus, in Appium Claudium, Quinctum Fulvium consules, [9] ducentos quinquaginta annos patet: quibus Italiam subegit. hoc fuit tempus viris armisque incitatissimum: ideo quis Adolescentiam dixerit. Dehinc ad Cæ-

prima ætas populi Romani & quasi infantia quam habuit sub regibus septem, per annos, ut diximus, CCXIII. Legendum est: CCXLIII. Hoc est quod ait heic Florus, *prope ducentos quinquaginta.*

8 *Quibus circum ipsam matrem suam*] Quis hactenus huic lectioni controversiam movere ausus esset, vel saltem de ejus fide & sinceritate dubitare? Nemo sane Nec quisquam quidquam ex suis libris prompsit, quod diversum esset ab edita scriptura. At omnium optimæ Nazarianæ schedæ legunt: *circum ipsam cum ipsa cum finitimis, &c.* quæ est mera balbuties. ex qua tamen expeditius loqui docebimus hunc vulgum. legimus enim, *circum ipsas cunas, cum finitimis luctatus est.* omnino eleganter. ab infantibus, qui minus pedibus firmi, longius non audent à suis cunis discedere, & circum ipsas lusitant. sic Romani illo tempore circa mœnia hærentes sua, longius progredi non ausi, cum finitimis hinc inde lacessentibus luctabantur, cum ipsis nulla patrii soli gleba esset sed statim hostile pomœrium, ut infra narrat. Si cui libebit vulgatam amplecti, per me liceat.

9 *Ducentos annos patet*] Unde unde hæc scriptura? certe à nullo scriptorum exemplarium nostrorum agnoscitur, quorum optimum Laurissanum habet CL. Cui consentit alter Palatinus infimæ vetustatis. Sed alter de nota meliore plane exhibet CCL. Nec contradici potest, quominus hæc sit vera & sincera lectio, cum Livius & Dionysius Halicarnassæus, tempus, quod sub regibus fuit, ducentis & quadraginta quatuor annis definiant, alii etiam quadraginta tribus. Hic Annæus, ut numerum rotundum efficeret, ducentos quinquaginta posuit, quos annos imperii Romani infantiæ assignavit, mox totidem ejusdem adolescentiæ tribuit. Ut igitur quingenti anni integri exorientur infantiæ & adolescentiæ populi Romani, quinque annos adiicere non est veritus præter veterum sententiam, atque adeo ipsam veritatem. Neque hoc præcise damnandum est. Cum enim primus & iucundissima & suavissima imagine urbis Romanæ tempora distribuerit in ætates, ut Lactantius loquitur, ita illos gradus & ætates partitus est, ut pene per omnia faceret æquales. Dat ducentos quinquaginta annos infantiæ, à qua imbecilli ætate transitum facit ad adolescentiam, cui totidem annos adscribit. Hæc à Bruto Collatinoque Coss. incipiens in Appium Claudium, Q. Fulvium Coss. definit. Deinde juventam ipsam ab istis Consulibus usque ad Cæsarem Augustum totidem annorum, nempe ducentorum & quinquaginta esse fingit. Quam hæc compe-

Digitized by Google

ad Cæſarem Auguſtum ducenti anni, quibus totum orbem pacavit. [10] Hæc ipſa Iuventa imperii, & quædam quaſi robuſta maturitas. A Cæſare Auguſto in ſæculum noſtrum [11] haud multo minus anni ducenti: quibus inertia Cæſarum quaſi conſenuit atque decoxit; niſi quod ſub Trajano principe [12] movet lacertos, & præter ſpem omnium, ſenectus imperii, quaſi reddita juventute, revireſcit.

Cap.

ſite & eleganter? Ab Auguſto robuſta illa maturitas, ut ipſe vocat, cœpit conſeneſcere. & hanc imperii quaſi ſenectutem eſſe ſtatuit, quam in Trajani tempora, quibus etiam vixit, ducentos annos patere ſcribit. Ut cæteris ætatibus vel potius ætatum gradibus ducentos quinquaginta annos attribuerat, ita huic extimæ ætati ſeneſcentis imperii tot aſſignare non potuit, nec enim ulterius vixit, & ad ſuam tantum ætatem perducere debuit, id quod ipſe ſcire poterat. Præterea etiam ſi diutius vixiſſet, videbatur ſenium exuere ſub Trajano, & hic erat ponendus veluti terminus ejus ſenectutis. Et hæc quidem hactenus.

10 *Hic jam ipſa iuventa imperii*] Lege: *Hic jam ipſa iuventa imperii, & quædam quaſi robuſta maturitas.* Ita Nazarianus concinnius quam vulgati: *& quaſi quædam.*

11 *Haud multo minus anni ducenti*] Libri quidam, *aut non multo minus anni ducenti.* male. Nazarianus *aut* habet. *aut* pro *haut*, vel *haud.* nam hæc vera lectio eſt.

12 *Niſi quod ſub Trajano principe movet lacertos*] Lectionem Nazariani Codicis hic revocamus: *movit lacertos.* Ex qua colligimus Annæum Florum hanc epitomen ſcripſiſſe atque edidiſſe ſub Adriano, non ſub Trajano. Sane hujus ſcriptoris plurimam ſub Adriano Imperatore mentionem, ſub Trajano nullam invenio. Vide Aelium Spartianum in Adriano, ubi etiam Florus Poëta vocatur. Apud Chariſium multis in locis ſcripti cujuſdam, ſive epiſtola ſit, occurrit mentio ad Divum Adrianum. Adriani igitur temporibus hunc floruiſſe pro comperto habeo. Sub Trajano vixiſſe etſi non negem, imo vixiſſe etiam cenſeam, ſub eo tamen admodum notum fuiſſe, aut aliquid ſcripſiſſe, non puto. Id maxime evincit, quod hoc loco ſcribit ducentos annos in ſæculum ſuum ab Auguſto numerari. Qui numerus annorum, tempora Trajani multis annis excedit, & ultra Adriani ultima etiam tempora excurrit. Verum eſt igitur, hoc loco legendum eſſe: *ſub Trajano movit lacertos*

1 *A Marte*

Digitized by Google



CAP. I.

De Romulo primo Romanorum Rege.

PRimus ille & Urbis & Imperii conditor Romulus fuit; [1] Marte genitus & Rhea Silvia. Hoc de se sacerdos gravida confessa est: nec mox fama dubitavit, quum Amulii imperio abjectus in profluentem cum Remo fratre, non potuit extingui. Siquidem & [2] Tiberinus amnem repressit: & relictis catulis lupa sequuta vagitum, [3] uber admovit infantibus, [4] matremque se gessit. Sic repertos apud arborem, [5] regii gregis pastor tulit in casam, atque educavit. Alba tunc

1 A *Marte genitus*] Leve hoc quidem est, & vix dignum notatu, expungendam esse præpositionem *a*. *Conditor Romulus fuit Marte genitus & Rhea Silvia.* ita lege consensu veterum omnium Codicum. Nec aliter duo vetustissimi Jordanis, quorum alter Longobardico charactere scriptus est.

2 *Et Tiberinus amnem repressit*] Ita legendum. Nec quicquam mutamus. Alter tamen Palatinus habet: *agmen repressit.* quod si cui placet, poëticum erit: *leni fluit agmine Tybris.* Nimis poëticum, nec probum.

3 *Uber admovit infantibus*] Libri quidam & Jornandini veteres: *uberammovit.* forte: *uber admovit. ammovit*, pro *admovit*, ut *ammoveo*, & similia sexcenta in scriptis libris.

4 *Matremque se gessit*] Nazarii Codex: *se cessit. Cessit* pro *gessit.* Jordanes more suo explicavit: *matrisque gessit officium.* Potuit & simplicius loqui Florus: *matremque gessit.* Sic Statio *hominem gerere.* Apulejus: *ædilem gerit.* Ita passim optimi auctores loquuti.

5 *Regis pastor tulit in casam*] Quis non damnet scripturam optimi Nazariani, *gregis pastor*? Eamdem tamen etiam retinet non pessimæ notæ alter Palatinus. Jordanes veram lectionem nobis conservavit, quæ est, *regii gregis pastor.* quod cunctanter olim ponebamus, nunc dubitatione prorsus carere nobis videtur. addunt quidam libri nomen pastoris, *Faustulus regis pastor.* quod nescio an Flori sit saltem id moris minime habere illum scio, ut multos nominatim designet. lib. IV. *extat vox ejus ad trepidum gubernatorem.* quidam etiam libri illo loco addunt, *ad gubernatorem Amiclatem.*

 paulo

Digitized by Google

tunc erat Latio caput, Juli opus. nam Lavinium patris Æneæ contempserat. [6] Ab his Amulius jam bis septima soboles regnabat, fratre pulso Numitore, cujus ex filia Romulus. Igitur statim prima juventæ face, patruum Amulium ab arce deturbat, avum reponit: Ipse fluminis amator, & montium, apud quos erat educatus, mœnia novæ urbis agitabat. Gemini erant: uter auspicaretur, & regeret, [7] adhibere placuit Deos. Remus montem Aventinum, [8] hic Palatinum occupat. [9] Prior ille sex vultures, hic postea, sed duodecim videt. Sic victor augurio, urbem excitat, plenus spei, bellatricem fore. ita illi assuetæ sanguine & præda aves pollicebantur. Ad tutelam novæ urbis sufficere vallum videbatur:

[10] cu-

paulo infra, *spolia insuper opima de rege.* Jordanes habet, *de rege Acrone.* Hæc, ut diximus, non Flori sunt, sed aliorum, qui, cum hæc nomina ex historia tenerent, illa huc intruserunt, præter authoris voluntatem.

6 *Ab his Amulius jam bis septima prole regnabat*] Primus advertit Camers, hic *bis* desiderari, & mirum in re tam clara, in tanta luce historiæ, ita illud *bis* potuisse intercidere. nam sane neque duo antiquissimi Jordanis Codices Bibliothecæ Palatinæ, nec Flori calamo exarati libri, nullæ veteres editiones, *bis*, repræsentant. quid igitur? putamus olim exaratum fuisse: *Ab his Amulius jam* II *septima sobole regnabat.* Hoc est, *bis septima.* quod imperitis librariis imposuit, qui pro eo *jam* substituerunt. legendum igitur, ut diximus, expuncto illo *jam*, quod ad sententiam nihil facit: *Ab his Amulius bis septima prole regnabat fratre expulso.*

7 *Adhibuere piacula*] Aut nos nescimus quid sit piaculum, aut vox *piacula* hoc loco omnino aliena, & vocis hujus τὸ ξένον in hac significatione miramur. Iordanes Episcopus, etiam in vetustissimis libris habet: *adhibere placuit Deos.* Quod an repererit in libris, an ipse excogitaverit, divinare non possumus. Livius: *ut Dii, in quorum tutela ea loca essent, auguriis legerent, qui novæ urbi nomen daret.*

8 *Hic Palatium occupat*] Ita præferunt Codices quos contulit acer & diligens Vinetus, quam lectionem sequuti sunt doctissimi viri. Nec damnamus Iordanis scriptos Codices Palatinos & Flori quos inspeximus, qui *Palatinum* habent, aut *Pallatinum.* sed parum interest, utro modo legatur. Livius habet *Pallatinos.*

9 *Prior ille sex vultures*] Non respuenda forte vetus lectio, quam nos docuit antiquissimus Iordanis Codex Longobardicis literis scriptus: *Prius ille sex vultures, hic postea, sed duodecim videt.* Habetur etiam *videt* in Nazarii schedis.

10 *Cu-*

Digitized by Google

[10] cujus dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu; dubium an jussu fratris, occisus est. prima certe victima fuit; munitionemque urbis novæ, sanguine suo consecravit. Imaginem urbis magis quam urbem fecerat: incolæ deerant. Erat in proximo lucus: hunc Asylum facit: & statim mira vis hominum, Latini, [11] Tuscique pastores: quidam etiam transmarini; Phryges qui sub Ænea, Arcades qui qui sub Euandro duce influxerant. Ita ex variis quasi elementis congregavit corpus unum; populumque Romanum ipse fecit. Res erat unius ætatis; populus virorum. Itaque matrimonia à finitimis petita: quia non impetrabantur, manu capta sunt. Simulatis quippe ludis equestribus, virgines, quæ ad spectaculum venerant, [12] præda fuere, & statim

10 *Cujus dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu*] Locus hic nos aliquantum exercuit potius quam vexavit. Suspectum sane semper habuimus, jure an injuria nondum videre potuimus. Expositio Vineti acuta quidem, vera non mihi videtur, qui hunc sensum elicit: cum vallum transilisset Remus occisum fuisse, incertum an jussu Romuli, an casu, an acuto vallo, in quem se induerit. In vetustis Iordanis Codicibus ita scriptum reperi, *Cujus dum angustias increpat saltu transilivit.* In Longobardico, *& saltu transilivit.* Neutrum probamus, quæ manifesto ita mutilata sunt ab ipso Iordane. Nunc culpa vacare excusam lectionem censemus. Hoc sensu, cum vallum ut nimis angustum irrideret Remus, *ἅμα εἶπε ἅμα ἔργον*, saltu etiam transilivit, simul verbo increpans, & reipsa demonstrans eas valli angustias, ut etiam levi saltu transiliri possent. Hæc mens verborum illorum, *idque increpat saltu.*

11 *Latini Tuscique pastores*] Alter Palatinus: *Tuscorumque pastores.* Quod ne quis ut sincerum & inculpatum arripiat, quod ita etiam habeatur in excusis Jordanis, sciat optimos & antiquos ejusdem scriptos Codices legere, *Latini Tuscique pastores*, nec aliter legendum esse. Variant etiam in sequentibus libri. quidam ita concipiunt: *Latini Tuscique pastores, etiam transmarini Phryges*, &c. alii quidam: *Transmarini* abjecta voce *etiam.* Sed quis finis futurus esset, si omnia grandia parva, quæcunque variant, vellem miseris chartis illinere? quod cum interdum facimus, non tam ingenio nostro obsequimur, quam voluntati quorundam, quibus id gratum esse scio, morem gerimus.

12 *Præda fuere*] Nazarianus: *prædæ fuere.* Palatini: *præda.* Iordanei veteres: *præda fuere. hæc statim causa bellorum.* quæ omnes lectiones tolerari possunt, nec

Digitized by Google

ſtatim cauſa bellorum. Pulſi fugatique Vejentes. [13] Cæninenſium captum ac dirutum eſt oppidum. Spolia inſuper opima de rege, Feretrio Jovi manibus ſuis rex reportavit. Sabinis proditæ portæ per virginem: nec dolo: ſed puella precium rei, quam gerebant in ſiniſtris; petierat. dubium clipeos, an armillas. [14] Illi ut & fidem ſolverent, & ulciſcerentur, clipeis obruere. [15] Ita admiſſis intra mœnia hoſtibus, atrox in ipſo foro pugna, adeo ut Romulus [16] Jovem oraret, *ut fœdam ſuorum fugam ſiſteret.* Hinc [17] templum & Stator Jupiter. [18] Tandem ſævientibus intervenere raptæ,

nec habet altera cur alteri invideat aut ſe præferre illi poſtulet. In quibusdam libris *&* particula deeſt. in aliis pronomen, *hæc.* ex his variantiis lectionem eruebamus quam veram putamus eſſe, *Præda fuere, & ſtatim cauſa bellorum.* Eleganter.

13 *Cæninenſium*] Iordanis ſcripti libri, *genienſium* pro *cenienſium*, ut videtur. ſed *cæninenſes* quam *cenienſes* dicuntur melius. caput ipſorum Cænina, à qua Cæninenſes. fruſtra ſunt illi qui apud Solinum reponunt *Cænitenſes* ex Stephano qui *κηνίτας* vocat. Stephanus, *καινίνη πόλις Σαβίνων ὑπὸ ῥωμύλου ἁλοῦσα. τὸ ἐθνικὸν καινῖται.* legendum *καινινῖται.* ut à Cæcina Latini Cæninenſis formarunt, ita Græci à *καινίνη καινινίτης.* igitur illi falſi ſunt.

14 *Illi ut & fidem ſolverent*] *Illi ut fidem ſolverent, & ulciſcerentur.* ita veteres.

15 *Ita admiſſis ad mœnia hoſtibus, atrox in ipſo aditu pugna*] Hæc eſt vera & antiqua lectio, inquit Vinetus. nos ſane quam vera, poſſimus dicere. quam antiqua, ille viderit. Veram, & antiquam potius illam eſſe quavis ſponſione contenderim, quæ ita habet: *admiſſis intra mœnia hoſtibus, atrox in ipſo foro pugna.* Hujus ſcripturæ antiquitatem facile probamus, qui teſtamur ultro, eam extare in omnium optimo vetuſtiſſimoque codice S. Nazarii. ita etiam legitur in antiquiſſimo Jordanis exemplari Nazariano, & in altero Longobardico ejuſdem Jordanis, non minus vetuſto. Sed quid ad vetuſtatem provocamus? Plane hanc lectionem confirmat Livius, qui arcem occupaſſe dicit hoſtes, & proinde admiſſos intra mœnia intelligit.

16 *Iovem oraret, ut fœdam ſuorum*] Authoribus libris melioribus, *ut*, delendum: *Iovem oraret, fœdam ſuorum fugam ſiſteret.* nec aliter illi Iordanes, quem falſo Iornandem vocant.

17 *Hinc templum & Stator Jupiter*] Recte docti homines ita repoſitum iverunt, pro *hic*, quod erat in veteribus editis. Nazarii ſchedæ etiam *hic* præferunt. reliqui omnes *hinc*. ut & Iordanis libri. neque ſubintelligendum eſt verbum *prodiit*, aut aliud ſimile, ut putabat doctiſſimus Vinetus.

18 *Tandem ſævientibus*] Lego in Iordane: *tandem funeribus intervenere, raptæ*

Digitized by Google

raptæ, laceris comis. Sic pax facta cum Tatio, fœdusque percussum: secutaque res mira dictu, ut relictis sedibus suis [19] novam in urbem hostes demigrarent, & cum generis suis avitas opes pro dote sociarent. Auctis brevi viribus, hunc Rex sapientissimus statum Reipublicæ imposuit: [20] juventus divisa per tribus in equis & armis, ut ad subita belli excubaret: consilium Reipublicæ penes senes esset, qui ex auctoritate *Patres*, ob ætatem *Senatus* vocabantur. [21] His ita ordinatis, repente, quum concionem haberet apud [22] Capreæ paludem, è conspectu ablatus est. Discerptum aliqui XXXVIII.
à senatu putant, ob asperius ingenium: sed oborta tempestas solisque defectio, consecrationis speciem præbuere: [23] cui mox Iulius Proculus fidem fecit, visum à se Romulum affir-

raptæ laceris comis. male hactenus distinctum est. nos ita: *tandem sævientibus intervenere raptæ, laceris comis*. cur Iordani placuerit *sævientibus* in *funeribus* mutare nescio. nisi ita scriptum invenerit in libris. quod non putem.

19 *Novam in urbem hostes demigrarent*] Vterque scriptus Iordanis: *hoste demigrarent*. quod nescio quid sit. sed legendum: *hostes*. quidam etiam: *novam in urbem hostium demigrarent*. quod placet magis. sed quomodo hostes pace iam facta & fœdere percusso? forte legendum: *ut, relictis sedibus suis, in novam urbem sponte demigrarent*. Sed nihil mutandum nunc pronuntio.

20 *Iuventus divisa per tribus, in equis & armis*] Et hic quoque agmen producemus variantium lectionum, quas prætermittere non potuimus. Vinetus adnotat ex suis, *dispersa*, pro *divisa*. Sed melius *divisa*, uterque Palatinus. iidem libri: *& in equis & armis ad subita bella*. Nazarianæ membranæ: *in equis & armis ut ad subita bella excubaret*. Sic in scriptis Iordaneis, omnes *subita bella*, non *belli*. legi in quodam loco apud Tacitum, *subita belli*. Horatius: *& acuta belli*. Recte igitur ita reposueris, cum lectione Nazariana: *Iuventus divisa per tribus in equis & armis, ut ad subita belli excubaret*.

21 *His ita ordinatis, repente*] Palatini omnes: *quum repente concionem haberet*. minus tamen, si quid judico, recte.

22 *Capreæ*] Meliores & antiquiores libri: *Capræ*. Græcis etiam αἰγὸς λίμνη dicitur. αἴξ enim Capra est non caprea, sed utrumque tamen, & *capræ* & *capreæ paludem* apud veteres dici non ignoramus. Iordanis codices sic habent: *Caprae paludes*, quod non caret ratione. Sic αἰγὸς ποταμοὶ, cum sit unicus fluvius, Latine *Capræ fluvius*, aut *Capræ fluvii*.

23 *Cui mox Iulius Proculus*] Quidam: *cui Iulius mox Proculus*.

affirmans, augustiore forma quam fuisset: mandare præterea, ut se pro numine acciperent: Quirinum in cœlo vocari [24] placitum diis: Ita gentium Roma potiretur.

Cap. II.

De Numa Pompilio.

SVccedit Romulo Numa Pompilius, quem Curibus Sabinis agentem ultro petivere, ob inclitam viri religionem. Ille sacra, & cæremonias, omnemque cultum deorum immortalium docuit: ille Pontifices, [1] Augures, Salios, cæteraque Populi Romani sacerdotia: [2] annum quoque

24 *Placitum diis ita*] Locum ita restituimus ex veteri scriptura. nam quidam portentose habebant, *desistat*. in antiquissimo libro, *de his ita*. ex quo illud *desistat* manavit. *de hi* pro *dii* vel *dei* fere semper in illis optimis schedis scriptis observavimus. quæ est scribendi antiqua valde consuetudo, vitiosa tamen. sic, ut Quintilianus libro primo notat, apud antiquos tragœdiarum scriptores in veteribus libris inveniebatur *meha* pro *mea*. ita apud Quintilianum legimus. nam vulgo perperam scriptum, *mehe* pro *me*. Sic infra, vel *vehentes* pro *veientes* in eadem. Omnino hic legimus, *placitum diis ita*, *gentium Roma potiretur*. Sic loquitur noster paulo supra: *Iovem oraret*, *fœdam suorum fugam sisteret*. & ita multis in locis, quæ tædii fugiendi gratia adnotare supersedeo, lector autem diligens non omittet. Sed quod me pene effugerat monere, habetur & alia lectio in posteriore Palatino: *Quirinum cælo vocari placitum*, *& ut gentium Roma potiretur*. ut hinc discamus numquam defuisse, qui ludum putarent bonos authores corrumpere.

1 A*ugures*, *Salios*, *cæteraque sacerdotia*] Reperit in suis libris accuratissimus Vinetus: *cæterosque per sacerdotia*. & ita in editione sua legi voluit, ex quo cognoscimus quales fuerint ejus scripti codices, & quam vetusti. Nam ita duo recentiores Palatini legebant, vix ante trecentos annos exarati. Sed vir diligentissimus & doctissimus lectionem, quam primus in novam editionem intrudebat, debuit explanare, cujus mentem, qualis sit, me non assequi profiteor. Nazarianus omnium facile optimus ac vetustissimus habet: *cæteraque per sacerdotia*. Unde facio: *cæteraque populi Romani sacerdotia*. Scriptum erat compendio notarum: PR. Ex quo fecerunt, per. Nihil æque tralaticium.

2 *Annum quoque*] Iordanei veteres: *annumque*. iidemque mox legunt: *fastos nefastosque*. perperam.

3 Ia-

Digitized by Google

que in duodecim menses, fastos dies nefastosque descripsit. Ille Ancilia atque Palladium, secreta quædam imperii pignora, [3] Ianumque geminum, fidem pacis ac belli: inprimis focum Vestæ virginibus colendum dedit; ut ad simulacrum cœlestium siderum custos imperii flamma vigilaret. Hæc omnia quasi monitu deæ Egeriæ, quo magis barbari acciperent. Eo denique ferocem populum redegit, ut quod vi & injuria occupaverat imperium., religione atque justitia gubernaret.

CAP. III.

De Tullo Hostilio.

EXcipit Pompilium Numam Tullus Hostilius: [1] Cui in honorem virtutis regnum ultro datum. Hic omnem militarem disciplinam artemque bellandi condidit. Itaque mirum in modum exercita juventute, provocare ausus Albanos, gravem & diu principem populum. Sed quum pari robore frequentibus prœliis utrique comminuerentur, misso in compendium bello, [2] Horatiis Curiatiisque, tergeminis hinc atque inde fratribus, [3] utriusque populi fata LXXXII.

3 *Ianumque geminum*] In Iordane: *bifrontem.* Non longe: *ad simulachrum cælestium siderum.* Ita habent quantum est scriptorum librorum. quod & viri docti annotare non omiserunt, & diu est quum recipi debuit. Post paulo codices Iordanis habent: *flamma vigilaret;* aut *flamma invigilaret.* Sed, *vigilaret*, retinemus.

1 *Cui in honorem virtutis*] Scripti Iordanis mendosissime heic legunt: *cuius honorem virtutis.* & supra eadem manu correctum: *ob honorem.* Quod non procedit.

2 *Horatiis Curatiisque*] Nazarianus: *Curiatiisque.*

3 *Vtriusque populi fata commissa sunt*] Iordanes, *fata permissa sunt.* nec aliter Flori scripti Codices. cur magis placuerit, *commissa* quam *permissa*, illis qui primi hoc pro illo substituerunt, nescio. Nos antiquam scripturam reponendam censemus. quam non antiquitas modo, sed etiam bonitas tuetur.

Digitized by Google

fata permiſſa ſunt. Anceps & pulchra contentio, exituque ipſo mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occiſis, qui ſupererat Horatius, addito [4] ad virtutem dolo, ut diſtraheret hoſtem, ſimulat fugam: ſingulosque, prout ſequi poterant, adortus, exſuperat. [5] Sic (rarum alias decus) unius manu parta victoria eſt: quam ille mox parricidio fœdavit. Flentem ſpolia circa ſe, ſponſi quidem, ſed hoſtis, ſororem viderat. Hunc tam immaturum virginis amorem ultus eſt ferro. [6] Citavere leges nefas: ſed abſtulit virtus parricidam: & facinus intra gloriam fuit. Nec diu in fide Albanus. [7] Nam Fidenate bello miſſi in auxilium ex fœdere, medii inter duos expectavere fortunam. Sed rex callidus, ubi [8] inclinare ſocios ad hoſtem videt, tollit animos, quaſi ipſe mandaſſet. Spes inde noſtris, metus hoſtibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoſte victo, ruptorem fœderis [9] Metium Fufetium;

[10] reli-

4 *Ad virtutem dolo*] Alter Palatinus: *ad virtutes.*

5 *Sic (rarum) unius manu parta victoria*] Ita in vetuſtiſſima editione legi, præſtantiſſimi viri teſtantur, niſi quod *verum* eam habere dicant pro *rarum.* Scripti libri cum reliquis editionibus: *rarum alias decus.* nec temere vidimus ullum ſcriptum codicem, niſi in hac lectione retinenda conſentientem. Vetuſtiſſimi etiam Iordanei: *Sic rarum alius decus. Alius* pro *alias.* In hoc authore ita emendavimus paulo infra lib. II. nam in Longobardico charactere *u* & *a* confunduntur. Vidimus qui legeret: *Sic (rarum alias) de Curiatiis manu parta victoria eſt.* abſurde & inepte. Legendum: *Sic rarum alias decus, unius manu parta victoria eſt.*

6 *Citavere leges nefas*] Quis de hac lectione dubitet? pro ea tamen portentum eſt in vetuſtis Iordanis libris: *ultus eſt ferro quod auderet leges nefas.* exerceant se, quibus otium ſuum id poteſt concedere. Nobis ut male otioſis eſſe non licet, ita nec occupationes noſtras male collocare.

7 *Nam Fidenate bello miſſi*] *Miſit in auxilium & fœdere.* ita vetus Nazarianus & Iordanei. mendoſe prorſus.

8 *Ubi inclinare ſocios*] Nazar. *ſubinclinare ſocios.* male. alter Palatinus: *ſe ſocios ad hoſtem videt.* in altero: *etiam ſe ſuos.* ſed hæc levicula tædet chartæ mandare.

9 *Metium*] Etſi properamus, ἐν παρόδῳ admonere non pigebit, *Mettum*

10 religatum inter duos currus, 11 pernicibus equis distrahit: Albamque ipsam quamvis parentem, æmulam tamen, diruit, quum prius omnes opes urbis, 12 ipsumque populum Romam transtulisset: prorsus ut consanguinea civitas non periisse, sed in suum corpus rediisse rursus videretur.

CAP.

tum heic scribi, in optimis Nazariani membranis, non *Metium*, & in antiquis Jordanis. quomodo etiam scribendum censeo apud Virgilium illo versu: —— *citæ Mettum in diversa quadrigæ Abstulerant* —— & in illo Ovidii a Criticis exagitato:

Sic doluit Mettus, tunc cum in contraria versus,
Ultores habuit proditionis equos.

Nam viri docti qui persuasum habent Virgilium & Ovidium, propter versum, *Metum* pro *Metium* usurpatum fuisse, egregie animi falluntur. *Metum* dixere veteres, & *Mettum*, *Metium* & *Mettium* pro eodem, ut *Atius* cum simplici, & cum duplici, *Attius*. *Metum* dixisse veteres nihil melius probet, quam ὑποκοριστικὸν *Metellus*. Nam ut à Marco, Marcellus, sic à Meto, Metellus. Græcis Μῆτος. ita semper apud illos scriptum reperies. Latinis scriptoribus *Metum* aut *Mettum* frequentius quam *Metium* reperies. quod sciunt satis, qui in pervolutandis membranaceis libris aliquid temporis contriverunt. Vide indicem luculentum inscriptionum Gruterianarum.

10 *Religatum inter duos currus*] Vera est hæc lectio. alter Palatinus: *inter duos funes*. posterior: *inter duos currus funes*. cave censeas, *currus* heic esse patrii casus. legendum enim: *inter duos currus, funes*. Est varians lectio, quam juxta adscripsit librarius, ut, qui vellet, eligendi potestatem haberet. inde est, quod in quosdam libros propagatum fuit: *inter duos currus*. in alios, *inter duos funes*. de hoc librariorum & antiquariorum more, parum adhuc observato, dicemus infra idoneo magis loco, cujus rei ignorantia fecit, ut in multis auctorum locis restituendis multi hactenus impune peccaverint, cum id non observassent. Videri fortean posset lectum olim fuisse aut legisse quosdam: *religatum inter duos currus fune, pernicibus equis distraxit*. id est, fune religatum inter duos currus. Quam tamen Flori manum fuisse vix censeam.

11 *Pernicibus equis distraxit*] Nazarii Codex: *distrahit*. Ita in Jordaneis. Alter Palatinus: *distrahitur*.

12 *Ipsumque populum Romanum transtulisset*] Manifesto legendum: *Romam transtulisset*. perperam in Nazariano: *Romanum*.

 1 *Nepos*

Cap. IV.

De Anco Marcio.

CXIII. ANcus deinde Marcius, [1] nepos Pompilii, pari ingenio. [2] Hic igitur & mœnia muro amplexus est, & [3] interfluentem Vrbi Tiberinum ponte commisit: Ostiamque in ipso maris fluminisque confinio coloniam posuit: jam tum videlicet præsagiens animo, futurum, ut totius mundi opes & commeatus illo veluti maritimo Vrbis hospitio reciperentur.

Cap.

1 *Nepos Pompilii, pari ingenio*] Addit Jordanes: *Nepos Pompilii ex filia*. Quod quidem verum est. Atque ita scripsit Florus. Idem Jordanes, pro *pari ingenio*, reposuit *pravo ingenio*. id quoque prave. Pari ingenio cum Pompilio avo fuisse intelligit, quoad religiones ac cærimonias, quas institutas per Numam, a proximo rege Tullo bellatore intermissas vel abolitas restituit. Vide Livium.

2 *Hic igitur & mœnia muro amplexus est*] Libri omnes veteres non agnoscunt istud *hic*. Sed ita hunc locum concipiunt: *Igitur & mœnia muro amplexus est*. Quid sit mœnia muro amplecti quærere possent illi qui putarent muros urbis & mœnia rem eandem esse. Non ita est. Mœnia heic quælibet ædificia appellat, ut sunt domus, & insulæ urbis. Sic probatos auctores hanc vocem passim usurpare alibi ostendemus. Quod ait igitur mœnia muro amplexum esse Ancum Marcium, de Ianiculo id accipiendum, quod muro urbi conjunxit Ancus, ponte quoque sublicio in Tiberi facto. Livius: *Janiculum quoque adjectum. Id non muro solum, sed etiam ob commoditatem itineris ponte sublicio, tum primum in Tiberi facto, conjungi urbi placuit*. Utrumque heic simul expressit Florus.

3 *Interfluentem urbi*] Jordanes in veteribus libris: *influentem urbi*. Non quidem male, sed non propterea solicitanda Flori germana lectio.

1 *Regnum*

Digitized by Google

CAP. V.

De Tarquinio Prisco.

TArquinius postea Priscus, quamvis transmarinæ originis, [1] regnum ultro petens accipit ob industriam atque elegantiam: quippe qui oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus miscuisset. Hic & senatus majestatem numero ampliavit, & centuriis tribus auxit, [2] quatenus Attius Navius numerum augeri [3] prohibebat, vir summus augurio, quem rex in experimentum rogavit, *fieri ne posset quod ipse mente conceperat?* Ille rem expertus augurio, *posse* respondit. [4] *Atqui hoc*, inquit, *agitabam, an cotem illam secare novacula possem?* Augur, *Potes ergo*, inquit: & secuit. Inde Romanis sacer auguratus. Neque pace Tarquinius quam bello promptior. Duodecim namque CXXXIIX.

1 *REgnum ultro petens, accipit*] Nazarianus, & Jordanei: *accepit*.

2 *Quamvis Attius Navius*] Repone veterem lectionem, quam hactenus neminem ex suis libris deprompsisse miror. *Hic & Senatus majestatem ampliavit, & centuriis tribus auxit, quatenus Attius Navius numerum augeri prohibebat*. ita non solum libri scripti Flori, sed & Jordanis. Quæ verissima est lectio. Grammatici distinguunt inter *quatinus* & *quatenus*. Hoc loco *quatenus* in propria significatione sumitur. ut enim *hactenus* pro huc usque, sic *quatenus*, quo usque. Tarquinius Priscus Senatum numero ampliavit, & centuriis tribus auxit. quam ad summam numerum augeri prohibebat Attius Navius. Hoc est, *quatenus*, quam ad summam, quo usque.

3 *Prohibebat summus augurio*) Scribitur in optimo Nazariano: *prohibebatur summus augurio*. Unde proclive est facere: *prohibebat vir summus augurio*. Hic autem Attius Navius augur, *Nevius*, & *Navius* cognominatur in antiquis Codicibus Flori ac Jordanis. Quam scripturam & alibi in vetustis monumentis reperi.

4 *Atqui hoc, inquit, agitabam*] Ita libri omnes Flori. In antiquis Jordanis scriptum est: *agituram*. Quod charactere Longobardico idem valet, quod *agitaram*. In iisdem libris mox legitur: *Et augur, potes, inquit, & secuit*.

5 *Palu-*

que Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde fasces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, [5] paludamenta, prætexta: [6] inde quod aureo curru, quatuor equis triumphatur; togæ pictæ tunicæque palmatæ; omnia denique decora & insignia, quibus imperii dignitas eminet.

CAP. VI.

De Servio Tullio.

CLXXII. SErvius Tullius deinceps gubernacula Urbis invadit, nec obscuritas inhibuit, quamvis matre serva creatum. Nam eximiam indolem uxor Tarquinii Tanaquil liberaliter educaverat: & clarum fore, visa circa caput flamma promiserat. Ergo inter Tarquinii mortem, annitente regina, substitutus in locum regis, [1] quasi ad tempus, regnum dolo partum sic egit industrie, ut jure adeptus videretur. Ab hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, [2] curiis atque collegiis distributus: summaque regis solertia ita est ordinata respublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur; ac sic maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur.

CAP.

5 *Paludamenta, prætexta*] Veteres quidam: *prætextæ*.

6 *Inde quod*] Vetus editio habet: *Indeque aureo curru quattuor equis triumphatur*. Quod non bene probat vir eruditus, etsi adstipulantes habeat hæc lectio ambo Palatinos. Rectius Nazarianus: *Inde quod*. Paulo post ad finem hujus capitis veteres addunt libri: *sumpta sunt*. Idque rejiciendum non est. *Togæ pictæ, tunicæque palmatæ, omnia denique decora & insignia, quibus imperii dignitas eminet, sumpta sunt*. Nempe inde sumpta sunt.

1 QUasi ad tempus] Nazarianus Flori: *quasi tempus*. deest *in*. Nam supra notavimus, legendum heic esse: *quasi in tempus*. Nazarianus codex Jordanis: *quasi non tempus*. at Longobardicus: *quasi in tempus*. quæ vera est lectio.

2 *Curiis atque collegiis*] Jordanes: *decuriis atque collegiis*. prave.

1. Non

Digitized by Google

CAP. VII.

De Tarquinio Superbo.

POstremus omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen *Superbo* ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod à Servio tenebatur, rapere maluit, quam expectare; immissisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem [1] non melius egit, quam acquisierat. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia, quæ, ut virum regem salutaret, super cruentum patrem, vecta carpento, consternatos equos egit. Sed [2] ipse in Senatum cædibus, in omnes superbia, quæ crudelitate gravior est bonis, grassatus; [3] quum sævitiam domi fatigasset, tandem in hostes conversus est. Sic valida oppida in Latio capta sunt, Ardea, Ocriculum, Gabii, Suessa Pometia. Tum quoque cruentus in suos. neque enim filium verberare dubitavit, ut simulanti transfugam, apud hostes hinc fides esset. [4] Cui Gabiis, ut voluerat, recepto, atque per nuncios consulenti *quid fieri vellet*; [5] eminentia forte papaverum capita- CCXIIX

1 NOn *melius egit quam acquisierat*] Vetustissimus Nazarianus: *adquæsierat. Adquærere*, pro *adquirere*. quod semel notandum proponimus. Sic enim veteres loquuti, *conquærere* & *adquærere* dicentes.

2 *Ipse in senatum cædibus, in omnes superbia*] Amplius habet Jordanes: *ipse in senatum cædibus, in plebem verberibus, in omnes superbia*. Quod an sit Flori dubito. & fortasse an ita in suis codicibus repererit Iordanes. Quod temere non affirmem.

3 *Cum sævitiam jam domi fatigasset*] Lege: *cum sævitiam domi fatigasset*. expuncto illo *jam*, quod temere adhæsit ex fine præcedentis vocis, *sævitiam*.

4 *Cui Gabiis, ut voluerat, recepto*] Membranæ Nazarii: *cui Gabios, ut voluerat, receptos*. lege: *cui Gabios ut voluerat recepto*. Sic infra: *Mundam se recepit exercitus*. vulgo perperam: *Munda*.

5 *Eminentia forte papaverum capita virgula decussit*] Ita Florum loqui voluere

pita virgula excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet, (quæ superbia!) sic respondit.
CCXL. Tamen de manubiis captarum urbium Templum erexit; quod quum inaugurarettur, [6] cedentibus cæteris Deis (mira res dictu) restitere Juventas, & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum: siquidem firma omnia & æterna pollicebantur. [7] Sed illud horrendum, quod molientibus ædem, in fundamentis humanum repertum est caput. nec dubitavere cuncti, monstrum pulcherrimum, imperii sedem, caputque terrarum promittere. Tamdiu superbiam regis Populus Romanus perpessus est, donec aberat libido. hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit. Quorum quum alter ornatissimæ feminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiavit. Imperium tum regibus abrogatum.

luere viri doctissimi. Nam alia est in omnibus antiquis scriptura: *virgula excutiens*. Non quæram cur ita mutarint adversus omnium librorum authoritatem & consensum, veterum item excusorum. Non aliter descripsit Jordanes. An verbum *excutere* parum illis idoneum visum est? saltem debuissent *decutiens* reponere. nam *decussit*, quod reposuerunt, cum sequentibus non cohæret. Quid enim illis fiet, *quæ superbia sic respondit*, si ab hac periodo vi avellantur? Totum igitur hunc locum lego & distinguo: *Cui Gabios ut voluerat recepto, & per nuncios consulenti quid fieri vellet eminentia forte papaverum capita excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet, quæ superbia? sic respondit.* Jam clara & plana sunt omnia. Nullo alio responso edito, sed papaverum tantum eminentia capita excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet, quæ superbia? sic respondit. Verba illa, *quæ superbia*, per parenthesin legenda sunt. At quod superbiam Florus interpretatur, prudentiam & calliditatem summam fuisse, ne consilium evulgaretur, alii volunt. In Iordanis libris eadem ferme lectio invenitur, nisi quod habent, *qua superbia*? Sic autem alibi loquitur Florus.

6 *Cedentibus ceteris deis*] In veteri Nazariano scriptum multis locis, ut heic *de his* pro *deis*. Sic supra: *placitum de his ita*. De quo, etsi leve sit, monendum putavi.

7 *Sed illud horrendum*] Editiones Jordanis: *horrendius*. Sed scripti veteres: *horrentius*. Cave tamen putes ita Annæum scripsisse.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Anacephalæosis de septem regibus.

HÆc est prima ætas Populi Romani, & quasi infantia, quam habuit sub regibus septem, quadam fatorum industria, tam variis ingenio, ut reipublicæ ratio & utilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, ut invaderet regnum. Quid Numa religiosius? ita res poposcit, ut ferox populus Deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus, bellatoribus viris quam necessarius? ut acueret ratione virtutem. Quid ædificator Ancus? ut urbem colonia extenderet, ponte jungeret, muro tueretur. Iam vero Tarquinii ornamenta & insignia quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus à Servio census quid effecit, [1] nisi ut ipsa se nosset Respublica? Postremo Superbi illius importuna dominatio nonnihil, immo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, ut agitatus injuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur.

CAP. IX.

De mutatione Reipublicæ.

IGitur Bruto Collatinoque ducibus, & auctoribus, quibus ultionem sui moriens matrona mandaverat, Populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus, quo- CCXLIV.

1 *Nisi ut ipsa se nosceret respublica*] legendum: *nisi ut ipsa se nosset respublica*. Scripti sane omnes sic habent, ut & Jordanes.

quodam quasi instinctu deorum concitatus, regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat, imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert, [1] mutato tamen nomine & jure. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex: ne potestas solitudine vel mora corrumperetur: *Consulesque* appellavit pro regibus, ut consulere se civibus suis debere meminissent. Tantumque libertatis novæ gaudium incesserat, ut vix mutati status fidem caperent; alterumque ex consulibus, tantum ob nomen & genus regium, [2] fascibus abrogatis, Urbe dimitterent. [3] Itaque substitutus Valerius Publicola, [4] ex summo studio annixus est ad augendum liberi populi majestatem. Nam & fasces ei pro concione submisit, & jus provocationis adversus ipsos dedit. [5] Et ne specie arcis offenderet, eminentes ædes suas in plana submisit. Brutus vero favori

1 Mutato indice & nomine] Sic emendarunt viri docti, *Indice* pro *Judice*. sed minime addicentibus libris, qui *Iudice* omnes retinent & si verum licet dicere, *Indice* hic nescio quomodo non convenit. in iis enim, quæ subiicit, nihil ad illud *indice* refertur. ut cum dixit *mutato nomine*, sequitur, *appellavitque consules pro regibus*. Jordanis lectio omnino vera est: *jure & nomine*. firmant eam sequentia: *pro perpetuo annuum placuit*. nempe, *jus*. Ius idem quod imperium vel potestas. Nihil est verius igitur quam scribendum: *mutato jure & nomine*.

2 *Fascibus abrogatis*] In Nazariano legitur: *obrogatis*. Aliud tamen *obrogare*, aliud *abrogare*. Legibus obrogatur, quibus contraria lex vel rogatio fit. Leges abrogantur, quæ antiquantur.

4 *Itaque substitutus Valerius Publicola*] Mira est constantia omnium veterum librorum in falsa & nihili lectione tuenda, quæ habet: *Horatius Publicola*. sic non solum Flori scripti manu codices, sed etiam Iordanei habent.

4 *Ex summo studio*] Jordanes habet tantum: *summo studio*. Non intellexit veterem elegantiam, & Græcam, ἐκ πολλῆς σπουδῆς. sic apud Plautum: *ex summa ope*, & *ex summo studio*. Item *ex summa industria*, *ex summis viribus* apud hunc eundem & antiquarium Agellium.

5 *Et ne specie arcis offenderet*] Quis hanc lectionem iure damnet? Maluit tamen Jordanes: *& ne species arcis offenderet*.

6 Li-

favori civium, etiam domus suæ clade & parricidio velificatus est. Quippe quum studere revocandis in Vrbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, & concione media virgis cecidit & securi percussit: ut plane publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi populum videretur. [6] Liber jam hinc populus Romanus, prima adversus exteros arma pro libertate corripuit; mox pro finibus; deinde pro sociis, [7] tum gloria & imperio, lacessentibus assidue usque quaque finitimis: quippe cui patrii soli gleba nulla, sed statim hostile pomœrium, mediusque inter Latium & Tuscos, quasi in quodam bivio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret: donec quasi contagione quadam per singulos itum est, & proximis quibusque correptis, totam Italiam [8] sub se redegerunt.

CAP.

6 *Liber jam hinc*] Alio ordine libri: *Hinc jam liber.*

7 *Tum pro gloria*] Legunt heic libri: *mox pro finibus, deinde pro sociis, tum gloria & imperio*, &c. Sequitur abhinc non longe: *quippe quum patrii soli gleba nulla, sed statim hostile pomœrium.* ita ex veteri editione reposueras, optime & doctissime Grutere, cum antea excusi legerent: *gleba nulla esset.* uterque Palatinus cum Jordaneis: *quippe cum patrii soli gleba nulla sit, sed statim hostile pomœrium.* quæ lectio nec tibi, nec ulli opinor, qui sapiet, placebit. Nazarianus habet: *quippe cum patrii soli nulla gleba sit, statim hostile pomœrium.* Ex cuius vestigiis eandem lectionem, quam tu ex veteri editione, elicimus. *sit* pro *set*, utrumque pro *sed.* quod ita crebro nobis occurrit membranas illas versantibus, ut dubitare vix possimus. Sed & pro *cum*, legimus *cui*, hoc modo: *quippe cui patrii soli gleba nulla, set statim hostile pomœrium. cui*, populo Romano. quod indubitanter reponimus.

8 *Sub se redigeret*] Scribendum est: *redegerunt.* ita Flori scripti Codices, ita Jordanis, ita veteres formis cusi.

Digitized by Google

Cap. X.

Bellum Etruscum cum Rege Porsena.

1 PUlsis ex Urbe regibus, prima pro libertate arma corripuit. Nam Porsena rex Etruscorum ingentibus co-
CXLVI. piis aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen, quamvis & armis, & fame urgeret, occupatoque Janiculo ipsis Urbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit. novissime etiam tanta admiratione perculit, ut superior ultro cum pæne victis amicitiæ fœdera feriret. Tunc illa Romana prodigia atque miracula, Horatius, Mucius, Clœlia: 2 qui nisi in annalibus forent, hodie fabulæ viderentur. Quippe Horatius Cocles, postquam hostes undique instantes solus submovere non poterat, ponte reciso transnatat Tiberim, nec arma dimittit. Mucius Scævola regem per insidias in castris ipsius aggreditur: 3 sed ubi frustrato circa purpuratum ejus ictu tenetur, ardentibus focis injicit manum, 4 terroremque

1 P*Ulsis ex urbe regibus*] Optimæ divi Nazarii membranæ: *pulsis ex urbe regni.* alter Palatinus: *regiis.* forte: *regnis. pulsis ex urbe regnis*, quod esset pro *regibus.* ut *servitia* pro servis, *conjugia* pro coniugibus, ita hic *regna* pro regibus. Hoc dignum est elegantia Flori.

2 *Quæ nisi in annalibus forent*] Melius liber Nazarianus: *qui nisi in annalibus forent.* Horatius, Mucius Scævola, Clœlia. non enim ad prodigia refertur. alter Palatinus: *quæ nisi in annalibus foret.* ut ad solam Clœliam referatur. male.

3 *Sed ubi frustrato circa purpuratum*] Scripti omnes quotquot vidimus, aut evolvimus, *frustratum* non *frustrato* habent. nec aliter veteres Jordanei. & sane non frustratus fuit ictus circa purpuratum, quem illo ictu occidit, sed circa regem. Hærebat animo persuasio legi posse: *sed ubi frustratum, & circa purpuratum eius ictu tenetur.* sed ut verum fatear, acute magis quam vere. nam vulgatam possumus defendere & exponere, immo & debemus.

4 *Terroremque geminat*] Alter Palatinus: *ingeminat.*

5 *Sed*

Digitized by Google

remque geminat dolo. *Ut scias*, inquit, *quem virum effugeris, idem trecenti juravimus*; quum interim (immane dictu!) hic interritus, ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. Sic quidem viri: [5] sed ne quis sexus à laude cessaret, ecce & virginum virtus. Una ex obsidibus regi data, [6] elapsa custodiam, Cloelia, per patrium flumen equitabat. Et rex quidem [7] tot tantisque virtutum territus monstris, *valere, liberosque esse jussit*. Tarquinii tamdiu CCXLV.
dimicaverunt, donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum mutuo vulnere expiravit; plane quasi adulterum ad inferos usque sequeretur.

CAP.

5 *Sed ne quis sexus a laude cessaret*] Si plures essent sexus, haberet quo se defenderet hæc scriptura, sed cum tantum duo sint, & de virili iam dixerit, parum apte, *ne quis sexus*. varietas facit non immerito, ut dubitem. Jordanis unus codex: *sed ne sexus alter a laude cessaret*. alter Longobardicus: *sic quidem in viris, & ne sexus alter a laude cessaret*. Nazarianus qui in omnibus, ἐσχάτη καὶ ἀναγκαία ἄγκυρα nobis est: *Sed ne quid sexus a laude cessaret*. Inde aliquis posset augurari excidisse vocem *alter*, ac legendum contendere: *Sed ne quid sexus alter a laude cessaret*. Sic enim hic auctor alibi loquutus est. Ut capite sequenti: *Inde in aciem profectus, ne quid a rustici operis imitatione cessaret*. Ita hoc loco: *ne quid a laude cessaret sexus alter*. Sed potius putem cum Nazariano scribendum: *ne quid sexus a laude cessaret*. Optimi quidam auctores *sexum* absolute pro muliebri sexu dixerunt. Inde in vetustissimis Glossis *sexus* γυναικεία φύσις exponitur.

6 *Elapsa custodiam*] Palatinus unus: *elapsa custodia*. Alter ut vulgati. Jordanis libri: *elapsa custodiæ*: Nazarianus codex: *lapsa custodiam*. Legendum: *elapsa*.

7 *Tot tantis que virtutum territus monstris*] Idem Nazarianus: *monitis*. Cujus scripturam confirmat & Palatinus alter. In priore quoque est, *monitus*. Sed *monstris* verum est. *Prodigia* supra vocavit.

I Ma-

Digitized by Google

Cap. XI.

Bellum Latinum.

Latini quoque Tarquinios asserebant, æmulatione & invidia: ut populus, qui foris dominabatur, saltem domi serviret. Igitur omne Latium, [1] Mamilio Tusculano duce, quasi in regis ultionem, tollit animos. Apud Regilli lacum dimicatur, diu Marte vario, donec Posthumius ipse dictator [2] signum in hostes jaculatus est (novum & insigne commentum) uti peteretur cursu. Cossus equitum magister exuere frenos imperavit (& hoc novum) quo acrius incurrerent. [3] Ea denique atrocitas fuit prœlii, ut interfuisse spectaculo deos fama tradiderit; duos in candidis equis, Castorem atque Pollucem, nemo dubitavit. Itaque & Imperator veneratus est, pactusque victoriam templa promisit; [4] & reddidit quasi stipendium commilitonibus diis. Hactenus pro libertate: mox de finibus cum eisdem

1 *Mamilio Tusculano duce*] Perperam in Palatino priore: *Manlio*. Ceteri omnes, & recte quidem, *Mamilio* legunt. Is Mamilius Octavianus Livio.

2 *Signum in hostes iaculatus est*] Mirum unde vitiosa lectio in omnes etiam optimos codices irrepserit: *Dignum in hostes*. Non meminit Livius illius signi in hac pugna iacti in hostes ut repeteretur. Ait tantum Postumium dictatorem cohorti suæ signum dedisse, ut, quem suorum fugientem viderent, pro hoste haberent. Hoc tamen de signo in mediam hostium aciem proiecto, ut magna vi repeteretur, ab aliis imperatoribus usurpatum memini. Quod novum & insigne commentum à Postumio dictatore primum institutum heic vult Florus.

3 *Ea demum atrocitas fuit prælii*] Parum convenit hoc loco hæc dictio *demum*. Legitur in priore Palatino: *Eademque*. pronum est corrigere: *Ea denique atrocitas fuit prælii*. Sic capite sequenti: *Ea denique visa est prædæ magnitudo*. Et alibi passim. Sic etiam meliores libri hoc loco legunt.

4 *Et reddidit plane quasi commilitonibus diis stipendium*] Melior etiam hac parte

dem Latinis assidue & sine intermissione pugnatum est. ccxxxiix.
Sora (quis credat?) [5] & Algidum terrori fuerunt, Satricum atque Corniculum provinciæ. De Verulis & Bovillis pudet; sed triumphavimus. Tibur nunc suburbanum, & æstivæ Præneste deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur. [6] Idem tunc Fæsulæ, quod Carræ nuper. idem nemus Aricinum, quod Hercynius saltus: [7] Fregellæ, quod Gesoriacum: [8] Tiberis, quod Euphrates. [9] Coriolos quo-

parte, ut in omnibus, Nazarianus qui legit, *& reddidit quasi stipendium commilitonibus diis.* Et sic quoque prior Palatinus. Alter, ut posterioris ævi, ita etiam deterioris notæ, sincerum incrustat, vocibus additis: *& reddidit plane quasi stipendium militibus, commilitonibus diis.* ea licentia fuit, aperta vi grassandi in bonos authores.

5 *Et Algidum*] In Jordaneis *Alsium.* Ptolomæo, νῦν κάστρον, πύργοι ἄλσιον. Stephano Ἄλγιδος, quod *Algidum.* Sed aliud *Alsium.*

6 *Idem tunc Fæsulæ, quod Carræ nuper*] Vetusta huic loco inoleverat menda, *Capreæ,* pro *Carræ,* quæ adeo vetusta est, ut non solum uterque Palatinus, sed & omnium optimus & antiquissimus Nazarianus, bona fide eam agnoscant. recte viderunt eruditi legendum esse *Carræ,* Jordanei *Charræ,* cum tamen non Græcis χάῤῥαι, sed κάῤῥαι. Inepte vero Jordanes, qui iisdem verbis hæc refert in suis historiæ centonibus; saltem debuisset *nuper* omittere. Immane quantum intervallum inter Flori tempora & Jordanis; Trajani & Justiniani. at quis legens illa apud Jordanem, *quod Carræ nuper,* suspicari possit eum sub Justiniano vixisse? aut si sciat illis temporibus floruisse, non quærat, quid magnum aut memorabile gesserint apud Carras tunc temporis Romani?

7 *Fregellæ, quod Gesoriacum*] Diverse scriptum hoc nomen reperitur. quidam *Gersoriacum.* Jordanei: *Cæsoriacum.* editum vulgo in Ptolomæi libris: γεσοῤῥιακὸν. Scriptus codex: τησοῤῥιακὸν. depravatum pro γησοῤῥιακὸν. & ita legendum apud Ptolomæum.

8 *Tiberis, quod Euphrates*] Perperam in omnibus scriptis nostris habetur, *quod Tibris, quod Euphrates.* Nisi cui rescribendum videtur: *Tiberis, quod Tigris, quod Euphrates.* Cui tamen mutationi non assensum præbeo. Cujus rei certas habeo rationes. præterea nemo non videt, Tigris nomen ob viciniam Euphratis irrepsisse pro Tiberi. nam libri, qui *Tigrim* illum præferunt, non exhibent Tiberim.

9 *Coriolus quoque pro pudor, victus*] Ita edi voluit Vinetus, librorum suorum fidem sequutus, quibus nimium hoc in parte credulus. Vera quippe est veterum excusorum lectio: *Coriolos quoque, pro pudor, victos, adeo gloriæ*

 fuisse.

quoque, pro pudor! victos, adeo gloriæ fuisse, ut captum oppidum [10] Cajus Marcius Coriolanus, quasi Numantiam aut Africam, [11] nomini induerit. Extant & parta de Antio
CDXV. spolia, [12] quæ Mœnius in suggestu fori, capta hostium classe, suffixit; si tamen illa classis: nam sex fuere rostratæ. Sed hic numerus illis initiis navale bellum fuit. Pervicacissimi tamen Latinorum Æqui & Volsci fuere, & cotidiani, ut ita dixerim, hostes. Sed hos præcipue [13] Lucius Quinctius domuit, ille dictator ab aratro: qui ob-
CCXCV. sessa, ac pæne jam capta, [14] Marci Minucii consulis castra

fuisse. & quæ extat etiam in Nazariano, & vetustissimis Iordaneis. quid si *pro pudor* præponas, hoc modo: *pro pudor! Coriolos quoque victos adeo gloriæ fuisse?* sed sensus idem ex ordine vulgato. Nunquam sane effecerit Vinetus, ut *Coriolus* sit idem, quod *Coriolensis* aut *Coriolanus. Corioli* nomen oppidi πληθυντικὸν, qua forma aliquot Italiæ oppida vocata. sic *Gabii, Carseoli* dicti. Unde ἐθνικὸν *Coriolanus*. Nomen urbis hujus Stephano est τὰ Κορίολα, non οἱ Κορίολοι. Nam Græcis nulla urbium nomina sic terminantur.

10. *Cajus Marcius*] Non *Caius* sed *Gneus* appellatur in vett. libris, & apud Jordanem. Titi etiam Livii Epitome secunda *Cn. Marcium* vocat. Græcis semper Γναῖος

11 *Nomen indueret*] Lectio hæc veterum editorum, quam si retinemus, legendum fuerit: *ut capti oppidi Cn. Marcius Corialanus quasi Numantiæ aut Africæ nomen induerit.* sed nihil necesse. Palatinus uterque legunt: *nomini induerit.* nec secus Iordanis libri. eleganter dictum, *captum oppidum nomini induere.* non item, *captum oppidum nomen induere.* quod vix subsistit. Nazarianus habet: *indueret.* sic quoque placuit Vineto ex suis edere. Forte legendum: *ut captum oppidum nomini indueret.* Omnino tamen malim quod in Nazariano est, & Vineti libris: *nomini induceret.* Captum oppidum nomini inducere, nihil aliud est, quam ex oppido capto cognomen adsciscere.

12 *Quæ Mœnius in suggestu fori*] Scriptum in Nazariani codicis membranis ac priore Palatino: *Mænibus.* In altero: *Mœnius.* Sed ille *C. Mœnius* consul. Spolia illa de Antio, quæ in suggestu fori suffixit, rostra navium fuere. Inde loco nomen. Vide Liv. lib. VIII.

13 *L Quinctius*] In omnibus libris etiam antiquissimis mira constantia legitur: *Titus Quintius.* Error ergo Flori ipsius fuerit. Sub idem tempus vixere ex eadem gente, Titus Quintius Capitolinus, & Lucius Quintius Cincinatus.

14 *Marci Minucii*] Livio dicitur *Lucius Minucius.* Nazarianus hoc loco *Marcum Mamilium* appellat. Palatini libri *Manilium.* Iordanes *Manlium.*

15 Fi-

Digitized by Google

stra, egregia virtute servavit. Medium erat forte tempus sementis, quum patricium virum innixum aratro suo, lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid à rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub jugum misit. Sic expeditione finita, rediit ad boves rursus triumphalis agricola. [15] Fidem numinum! qua velocitate? intra quindecim dies cæptum, peractumque bellum: prorsus ut festinasse dictator ad relictum opus videretur.

Cap. XII.

Bellum cum Etruscis, Faliscis, & Fidenatibus.

Assidui vero, & anniversarii hostes [1] ab Etruria fuere Vejentes; adeo ut extraordinariam manum adversus eos promiserit, privatumque gesserit bellum gens una Fabiorum. Satis superque idonea clades, cæsi apud Cremeram trecenti, patricius exercitus: & *scelerato* signata nomine, quæ proficiscentes in prælium porta dimisit. Sed ea clades ingentibus expiata victoriis, postquam per alios atque alios duces robustissima capta sunt oppida: vario quidem eventu. Falisci CCLXXIV. CCLXXVI.

15 *Fides numinum*] In Nazariano scriptum: *fide numinum*. suspectum id habent viri docti, nec temere. legendum omnino puto: *fidem numinum*. sic apud Comicos: *hominum fidem! deum fidem!* ita legebam vel priusquam incidissem in scriptos Codices perantiquos Jordanis, in quibus eamdem lectionem reperi, cum vulgo ejus editiones habeant, *numinum fide*. ineptissime. noli igitur dubitare quin verum sit, *numinum fidem!* aut *fidem numinum!*

1 AB *Etruria Veientes*] Ita reposuit Gruterus noster ex veteri editione, cujus fidem sæpe nimis magni fecit. Non erat explodendum quod anteriores retinent editiones, quas confirmant hac parte omnes scripti qui legunt: *Assidui vero & anniversarii hostes ab Etruria fuere Vejentes*. Pro titulo hujus capitis habet Nazarianus Codex: *Faliscum & Fidenate*. nempe, bellum. Hic & hæc *Fidenatis* declinarunt, & hoc *Fidenate*.

 2 Cum

Digitized by Google

ci se sponte dediderunt. Cremati suo igne Fidenates.
CCCLIX. Rapti funditus deletique Vejentes. Falisci quum obsiderentur, mira visa est fides Imperatoris, nec immerito: quod ludimagistrum, urbis proditorem, 2 cum iis quos adduxerat pueris, vinctum sibi ultro remisisset. Eam namque vir sanctus, & sapiens, veram sciebat victoriam, 3 quæ salva fide, & integra dignitate pareretur. Fidenæ, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum 4 facibus arma-

2 *Cum iis quos eduxerat pueris*] Istud etiam, *eduxerat*, eduxit & extudit idem ille amicus noster ex veteri editione, cum anteriores omnes habuerint, *cum iis quos adduxerat*. Quod non debuit temere rejici. Certe pueros illos ex urbe obsessa eduxit magister iste, sed eosdem etiam in castra Romana ad imperatorem adduxit, sive, ut loquitur Livius, perduxit. Adde quod meliores libri heic etiam *adduxerat* tuentur. Cum eos ad imperatorem adduxisset, vinctus ultro ad urbem remissus, cum pueris quos prodiderat. Varus lib. II Excellentium, eam historiam sic narrabat his versiculis:

Tum litterator creditos
Ludo Faliscûm liberos,
Causatus in campi patens,
Extraque muros ducere,
Spatiando paulatim trahit
Hostilis ad valli latus.

Primum versum emendavimus. Nam apud Priscianum male vulgo habetur, *Tum litterator creditus*. Eduxit igitur eos primum ex urbe, hoc est, ut Varus loquitur, extra muros duxit, aut velut est apud Livium lib. V. *ante urbem produxit*, deinde paulatim trahendo, ad vallum usque Romanum perduxit vel adduxit.

3 *Quæ salva fide, & integra dignitate pararetur*] Melius: *pareretur*. Ita est in Nazariano. Ita sæpe noster, & sæpius quidem etiam alii auctores *victoriam parere* dicunt, quam *parare*. Supra Florus: *Unius manu parta victoria est*. Sic etiam *pacem parere* frequens apud auctores.

4 *Facibus armatæ, & discoloribus, serpentum in modum, vittis, furiali more processerant*] Facium tantum meminit, non etiam serpentum, prælatarum à Fidenatibus eo prælio Livius libro IV. *Ignibus armata ingens multitudo, facibusque ardentibus tota collucens, velut fanatico instincta cursu in hostem ruit.* At in alio Faliscorum ac Tarquiniensium bello, quod à Marco Fabio Ambusto iterum consule profligatum est, sacerdotes eorum populorum, faces ardentes anguesque prætulerunt, ut idem memorat Livius lib. VII. cujus hæc verba sunt: *Inde terror maximus fuit, quod sacerdotes eorum facibus arden-*

Digitized by Google

armatæ, & discoloribus, serpentum in modum, vittis, CCCXXVII.
furiali more processerant: sed habitus ille feralis, eversionis omen fuit. [5] Vejentium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus: [6] taxata stipendio hiberna: adactus miles sua sponte jurejurando, [7] *nisi capta urbe remearet*. Spolia de Larte To- CCCXLVII.
lumnio rege ad Feretrium reportata. Denique non scalis, CCCXXV.
nec irruptione, sed cuniculo, & subterraneis dolis pera- CCCLVII.
ctum urbis excidium. Ea denique visa est prædæ magnitudo, [8] cujus decimæ Apollini Pythio mitterentur: universusque populus Romanus ad direptionem urbis vocaretur. Hoc tunc Veji fuere: nunc fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quodve vestigium? Laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus.

CAP.

dentibus anguibusque prælatis incessu furiali militem Romanum insueta turbaverunt specie. Veros angues fuisse innuere videtur Livius. Florus fictos factosque è discoloribus vittis, qui & res diversas ac tempora miscet confunditque toto hoc capite.

5 *Vejentium quanta res fuerit*] Recte in Nazariano: *Vejentium vel quanta res fuerit, indicat decennis obsidio.* Etsi nihil aliud, vel decennalis obsidio potest indicare quanta res Veientium fuerit.

6 *Taxata stipendio biberna*] Non solum hiberna militum stipendio tum taxata, sed æra in stipendium militi Romano constituta, qui antea suo ære militabat, nec quidquam de publico accipiebat. Hiemare certe tum etiam in bello cæpit, & tabernacula ad hoc ædificata tandem habere, cum initio illius obsidionis sub pellibus hibernassent.

7 *Nisi capta urbe non remeare*] Nazarianus scriptum exhibet: *nisi capta urbe remearet.* Conjicio legendum: *Adactus miles sua sponte jurejurando, ne nisi capta urbe remearet.* Cum scriptum esset *ni nisi* pro *ne nisi*, ex similitudine & concursu vicinarum sono syllabarum, duæ in unam iverunt. Sic infra: *Extat trepidum* pro *extat ad trepidum.* Similia & aliis locis notavimus.

8 *Ut ejus decimæ*] Lege auctoribus libris: *Ea denique visa est prædæ magnitudo, cujus decimæ Apollini Pythio mitterentur.*

Digitized by Google

CAP. XIII.

Bellum Gallicum.

[1] HIc sive invidia deum, sive fato, rapidissimus procurrentis imperii cursus, parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur. Quod tempus populo Romano nescio utrum clade funestius fuerit, an virtutum experimentis speciosius. Ea certe fuit vis calamitatis, [2] ut in experimentum illatam putem divinitus, scire volentibus immortalibus diis, an Romana virtus imperium orbis mereretur. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit, ut plane nata ad hominum interitum, urbium stragem, videretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris, & cingente omnia Oceano, ingenti agmine profecti, quum jam media vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti, [3] per Italiam vagabantur. [4] Tum Clusium

1 HInc sive invidia deûm] Melius quod iidem libri suggerunt: *Hic sive invidia deûm, sive fato, rapidissimus procurrentis imperii cursus, parumper Gallorum Senonum incursione supprimitur. Hic*, hoc loco. Quod rectius quam *hinc*.

2 *Ut in experimentum illatam*] Divi Nazarii optimæ membranæ *inlatumam*. ea fuit ἀκρίβεια & diligentia illius antiquarii, ut studiosissime varietatem lectionum semper adnotarit. quod sexcentis in locis observavimus, ut hoc loco, *illatum* & *illatam* lectum fuisse ostendit. quod præterire non debuimus.

3 *Per Italiam vagabantur*] Jordanes scripsit: *bacchabantur*. Ita sane scripsisse putavit Annæum, cum in veteribus ejus exemplaribus reperisset scriptum: *vacabantur*. Quomodo hodieque nonnulli antiqui habent.

4 *Tum Clusium obsidebant*] Addit Nazarianus: *Tum Clusium urbem*. Jordanes: *Tusciæ urbem*. Lego in continenti: *Pro sociis ac fœderatis Romanus intervenit. Missi ex more legati. Sed quod jus apud barbaros? Ferocius agunt, & inde*

Digitized by Google

sium obsidebant. Pro sociis ac foederatis Romanus intervenit. Missi ex more legati. Sed quod jus apud barbaros? ferocius agunt. Movent, & inde certamen. Conversis igitur à Clusio, Romamque venientibus, ad Alliam flumen cum exercitu Fabius consul occurit. 5 Non temere foedior clades. Itaque hunc diem fastis Roma damnavit. Fuso exercitu jam moenibus Urbis appropinquabant: 6 Erant nulla præsidia. 7 Tum igitur, aut nunquam alias apparuit vera illa Romana virtus. 8 Jam primum majores natu, CCCLXII.

& inde certamen. Scio in editis Jordanis vulgo legi: *exinde certamen.* Sed duos perantiquos hujus auctoris calamo exaratos codices vidimus cum Flori Nazariano conspirantes. Sic in iisdem libris cap. XVIII. *Legationem per obscœnam contumeliam violant, & hinc bellum.* Ubi vulgo edunt: *ex hinc bellum.*

5 *Non Cremeræ fœdior clades*] Cremera hic nullum habet locum. cur enim institueretur comparatio, illius Cremerensis cladis, & hujus Alliensis? qualis enim illa esset? clade ad Cremeram accepta, trecentos tantum homines amisere Romani, patricii fuerint, omnes licet, quid attinet? Hic quædam hominum millia cæsa. Pluribus non arguam τὸ ἄχρηστον lectionis. Legendum: *Non temere fœdior clades.* ut scripti omnes exhibent, tum Flori, tum Jordanis, quos studiose & dilengenter contulimus. Fœditatem & atrocitatem cladis testatur satis, dies fastis damnatus, quo accepta est.

6 *Erant nulla præsidia*] De suo Jordanes addit: *Jam mœnibus urbis appropinquabant, ubi pene nulla erant præsidia.* fortasse credidit imperfectam esse orationem. Hoc si putavit, frustra fuit. quod indicamus, ne quis ambitiosus, quales hodie multi, hinc occasionem arripiat pingue aliquod, ex hac animadversione, miscellaneorum caput conficiendi, & simul rectam Flori scripturam temere vexandi.

7 *Tum igitur, aut nunquam alias*] Nihil mutamus. Videntur tamen Codices, quibus Jordanes usus est in sua compilatione, habuisse: *ut nunquam alias.* Nam ipse scribit: *sicut nunquam alias.* Sic infra, ubi veteres *in causam belli delecta Saguntus, ut Hispaniæ urbs, & opulenta;* Jordanes maluit scribere, *velut Hispaniæ urbs.* quidam etiam hoc loco præferunt: *Tunc igitur haud unquam alias.* Sic Palatinus alter. perperam.

8 *Quamprimum maiores natu*] illud *quamprimum* non magis hic probum est, quam quod priscæ editiones habuere, *Jam pridem.* & mirum, optimum & eruditissimum virum Vinetum, qui tam multa in editione sua mutarat, hoc non mutasse, & justius potuisset quam alia infinita, quæ loco non erant movenda. Prorsus emendandum est: *Jamprimum majores natu.*

Digitized by Google

natu, [9] amplissimis usi honoribus, in forum coëunt. [10] ibi devovente pontifice, diis se manibus consecrant: statimque in suas quisque ædes regressi, [11] sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt: ut quum venisset hostis, [12] in sua dignitate morerentur. Pontifices, & Flamines, [13] quicquid religiosissimi in templis erat, partim in doliis [14] defossa terræ recondunt, [15] partim imposita plaustris secum avehunt. Virgines simul ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur. Tamen excepisse fugientes unus è plebe fertur [16] Lu-

natu. Nec quemquam esse puto, qui expositionem hujus vocis, aut emendationis rationem merito à nobis exigere possit, quam sciant ex ingenio manasse primum, & libris postea omnibus stabilitam.

9 *Amplissimis usi honoribus*] Hoc est qui curules gesserant magistratus. Hi enim honores amplissimi Romæ. *Honore usi* simpliciter dicebantur, qui magistratum gesserant, quos & *Honoratos* dixerunt. Inde sæpe apud veteres & in antiquis saxis,

PLEBS ET HONORE USI.

de utroque ordine reipublicæ, plebejo & qui in magistratu fuere.

10 *Ibi devovente pontifice Diis se manibus consecrant*] Pro certo ponit, quam fuisse quorundam opinionem perhibet Livius lib. v. *Sunt qui M. Fabio*, inquit, *Pontifice maximo præsente carmen devovisse eos se pro patria, Quiritibusque Romanis tradant.*

11 *Sicut in trabeis erant & amplissimo cultu*] Livius: *quæ augustissima vestis est, tensas ducentibus triumphantibusque, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere.* Hæ trabeæ sunt & togæ palmatæ.

12 *In sua dignitate morerentur*] Vult dicere, in suæ dignitatis insignibus.

13 *Quidquid religiosissimum erat*] Gruterus noster ita reposuit ex sua veteri editione. At omnes scripti cum aliis editionibus: *quidquid religiosissimi erat.*

14 *Defossa terræ recondunt*] De hoc loco multis disputamus in nostris castigationibus, illa cum scriberem impense mihi placebant. Nunc aliud judicium est, aliud igitur placet. Lectionem Jordanis nunc pro vera incunctanter arripio, *refossa terra recondunt*. quam videntur etiam adstruere scripti, qui habent, *defossa tecta recondunt*, aut *defossa terra.*

15 *Partim imposita plaustris secum auferunt*] Jordanes, *secum plaustris Vejos auferunt.* Multi certe ex Romanis urbe sua excedentes Vejos concessere, sed Sacerdotes cum sacris, quæ abstulerunt, Cære petierunt.

16 *Lu-*

[16] Lucius Albinius, qui depoſitis uxore & liberis, virgines in plauſtrum recepit. adeo tum quoque in ultimis, religio publica privatis affectibus antecellebat. Juventus vero, quam ſatis conſtat vix mille hominum fuiſſe, duce Manlio, arcem Capitolini montis inſedit, obteſtata ipſum quaſi præſentem Jovem, *ut quemadmodum ipſi ad defendendum templum ejus concurriſſent, ita ille virtutem eorum numine ſuo tueretur*. Aderant interim Galli, apertamque Urbem, primo trepidi ne quis ſubeſſet dolus, mox ubi ſolitudinem vident, pari clamore & impetu invadunt: patentes paſſim domos adeunt: [17] ubi ſedentes in curulibus ſuis prætextatos ſenes, velut Deos genioſque venerati, mox eoſdem, poſtquam eſſe homines liquebat, alioqui nihil reſpondere dignantes, pari vecordia mactant, faceſque tectis injiciunt: & totam [18] Urbem igne, ferro, manibus exæquant. Sex menſibus barbari (quis crederet?) circa montem unum pependerunt, nec diebus modo, ſed noctibus quoque omnia experti: [19] quum tandem Manlius nocte ſubeuntes, clangore anſeris excitatus, à ſumma rupe dejecit. & ut ſpem hoſtibus demeret, quanquam in ſumma

16 *Lucius Albinus*] Vetus Nazarianus: *unus è plebe fertur Albinius*. Livio quoque dicitur *Albinius*, non *Albinus*. Libri Jordanis vocant eum *Atinium*.

17 *Ubi ſedentes in curulibus ſellis*] Supra dixit *in curulibus ſellis ſe poſuerunt*. At heic omnes libri legunt, etiam Jordanis: *In curulibus ſuis*. Notum eſt *curules* etiam abſolute dictas, eburneas illas curulium magiſtratuum. Gloſſæ: *curulis*, *δίφρος ὑπατικός*.

18 *Urbem igne, ferro, manibus, ſolo exæquant*] Mirabilis librorum conſenſus ac *συνωμοσία* in repudianda illa dictione *ſolo*. Flori, Jordanis libri, omnes ſine ulla varietate rejiciunt. Et nos quoque, quoniam hæc eorum factio eſt, eam hinc rejiciamus. Rectum eſt ac Latinum, urbem ferro, igne, manibus exæquari, quæ ad ſolum diruitur. Livius in hac ipſa hiſtoria: *quin etſi hæc omnia flammis ac ruinis æquata vidiſſent*.

19 *Quum tandem Manlius nocte ſubeuntes*] Scripti omnes noſtri: *cum tamen Manlius*.

ma fame, tamen ad speciem fiduciæ, panes ab arce jaculatus est. Et stato quodam die per medias hostium custodias [20] Fabium pontificem ab arce demisit; qui solemne sacrum in Quirinali monte conficeret. Atque ille per media hostium tela incolumis religionis auxilio rediit; *propitiosque deos* renunciavit. Novissime quum jam obsidio sua barbaros fatigasset, mille pondo auri [21] recessum suum venditantes, idque ipsum per insolentiam, quum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, superbe væ victis increparent, subito aggressus à tergo Camillus adeo cecîdit, ut omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret. Agere gratias diis immortalibus ipso tantæ cladis nomine libet. Pastorum casas ignis ille, & flamma paupertatem Romuli abscondit. Incendium illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac deorum domicilio civitas, non deleta, non obruta, [22] sed

20 *Fabium Pontificem ab arce demisit*] Iidem: *dimisit*, cum Jordaneis. Sed quo jure demisit Manlius Fabium Pontificem ab arce? Quia scilicet in arce imperabat. Nempe ut solemne sacrum in Quirinali monte hic Pontifex conficeret. Atqui sciendum est non solemne illud sacrum populi Romani fuisse, sed peculiare genti Fabiæ. Nec Fabius idem ille Pontifex quo devovente diis manibus se tum consecrarunt Romani, cui Marco prænomen fuit teste Livio, sed C. Fabius Dorsuo hic vocabatur, qui hoc sacrificium suæ gentis in colle Quirinali tum suscepit conficiendum.

21 *Recessum venditantes*] Quidam habent: *reditum*. Sed illi degeneres ac vilioris notæ. Sequitur: *Quum ad iniqua pondera addito adhuc gladio superbe victis increparent*. Ita testantur extare in suis libris viri docti, & nos in nostris invenimus. Adhuc tamen cum vitio. Nec enim unquam verbum *increpare* cum dandi casu constructum legi. Consumptam igitur syllabam propter similitudinem & affinitatem puto. Omnino certe legendum: *cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, superbe væ victis increparent*. Scriptum erat: *Superve ve victis*. Sic infra, *circa Merinensium saltum* exaratum offendimus pro *circa Camerinensium*. Item paulo ante notavimus scriptum, *nisi capta urbe remearet*, pro *ne nisi*. Necessarium sane ut illud *væ victis* integrum heic legatur. Livius: *Additus ab insolente Gallo ponderi gladius, auditaque intoleranda Romanis vox, væ victis.*

22 Sed

22 sed expiata potius, & lustrata videatur? Igitur post assertam à Manlio, restitutam à Camillo Urbem, acrius etiam vehementiusque in finitimos resurrexit. 23 Ac primum omnium illam ipsam Gallicam gentem non contentus mœnibus expulisse, quum per Italiam naufragia sua latius traheret, sic persequutus est duce Camillo, ut hodie nulla Senonum vestigia supersint. Semel apud Anienem trucidati, quum singulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter spolia detraxit: inde Torquati. Iterum Pomptino agro, quum in simili pugna 24 Lucius Valerius, insidente galeæ 25 sacra alite adjutus, retulit spo-

CCCLXXXVI.

CCCXCII.

22 *Sed expiata potius, sed lustrata*] Acutissimus Gruterus reposuit hanc veterum cusorum lectionem, nec scripti dissentiunt, nisi quod habent: *expiata & lustrata.* pessime aliæ editiones: *illustrata.* Sequitur in libris: *igitur post assertam.* item in Jordane, non ut vulgo, *ideo.* Sic supra: *Ancus deinde Marcius, nepos Pompilii ex filia, pari ingenio. Igitur & mœnia muro amplexus est.*

23 *Ac primum omnium*] Hic novum caput ordiuntur divi Nazarii membranæ, cum hoc lemmate rubricato: GALLICA BELLA. Sed, mea sententia, satius est assentiri cæteris libris, qui una serie connectunt & continuant hoc caput.

24 *Lucius Valerius insequente Gallo*] *Insequente Gallo* antiqua lectio, inquit Vinetus. Antiqua sane, vel etiam antiquissima sit, haud prohibet quominus sit falsa, atque etiam falsissima. & plane est. sed illi antiquam esse haud concedam. Nazarianus, de cujus vetustate supra diximus: *insidente galeæ.* Sic unus Palatinus, sic vetustissimi Jordanei. Alter, fateor, Palatinus, qui est ut ita dicam inter senem & juvenem, hanc spuriam obtrudit: *insequente Gallo.* si Gallus insequebatur, manifesto fugiebat Valerius, qui tamen vicit, & spolia retulit. Livium vide, & ejus Epitomen, in quâ hæc eadem verba leguntur: *Insidente galeæ corvo & unguibus rostroque infestante hostem interemit.*

25 *Sacra alite adjutus*] Non corvum nominat, sed alitis sacræ nomine intelligit. Sacram alitem vocat ob augurium; cujus gratia multum observabatur hæc avis. Præpetem appellat Livius in hac historia ubi hic loqui facit Valerium in sua precatione: *Si divus, si diva esset, qui sibi præpetem misisset.* Et paulo ante cum in galea ejus consedisset corvus, *ut augurium cælo missum lætus accepit tribunus.* Ex avibus auguria facientibus aliæ oscines, quæ ore, aliæ præpetes, quæ penna auspicabantur. Fuere & quæ ad utrumque valerent. Ut

corvus

Digitized by Google

CDIV. ſpolia: 26 & inde Corvini. Tandem poſt aliquot annos, omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis
CCCCLXX. Dolabella delevit: ne quis extaret in ea gente, quæ incenſam à ſe Romam urbem gloriaretur.

Cap. XIV.

Bellum Latinum.

CDXIII. Converſus à Gallis in Latinos, Manlio Torquato, Decio Mure conſulibus, ſemper quidem æmulatione imperii infeſtos, tum vero contemptu Urbis incenſæ: 1 quum *jus civitatis*, *partem imperii* ac *magiſtratuum* poſcerent,

corvus quem in hoc Valeriani certaminis miraculo præpetem indigetat Livius, quod volatu feciſſet augurium, non cantu. Cæterum inter oſcines etiam celebratus corvus. Auſonio dicitur *Phœbejus oſcen*. Poëtæ, *ſacer ales* de Aquila. Græci accipitrem ἱέρακα abſolute vocant quaſi ſacram volucrem. unde quidam volunt nomen *Sacri* ad nos manaſſe. Sic vulgo nuncupamus alitem de accipitrum genere. Quæ vox plane origine Arabica eſt, ut & illa qua aliam prædatricem avém ſed degenerem *Buzam* appellamus. Verum de his alibi.

26 *Et inde Corvini*] Nazarianus codex: *Corvinii*. Non tamen *Corvinius*, ſed *Corvinus* auctoribus Latinis Græcisque dictus, qui primus hoc nomen adoptavit. Et ſic cæteri deinceps. Paulo poſt melius legas: *Ne quis extaret in ea gente quæ incenſam à ſe Romanam urbem gloriaretur*. Perperam in vulgatis *qui*. Tempore Dolabellæ tametſi ille nullus deleſſet reliquias omnes Senonum, non tamen in ea gente extare potuit aliquis qui hanc gloriam ſibi vindicaret incenſæ à ſe Romanæ urbis. Sed eorum nomen extinxit omne, ne quis ſupereſſet ex ea gente quæ gloriabatur Romam à ſe incenſam.

1 *QUum jus civitatis, partem imperii*] De jure civitatis poſtulando nullum verbum legati Latinorum in ſenatu tum cum de participando imperio egerunt. Duas res tantum petebant, ut alter conſul ex Latio crearetur, & ſenatus pars æqua ex utraque gente eſſet. Hoc eſt quod heic ait Florus, *cum partem imperii ac magiſtratuum poſcerent*. Certe jus civitatis non pro magno petiſſent, quod etiam ſubactis à ſe populis in Italia paſſim dederunt Romani, interim cum ſuffragii latione, interim ſine hoc jure. Ut

Digitized by Google

scerent, [2] atque jam amplius quam congredi auderent: quo tempore quis cessisse hostem mirabitur? quum alter consulum filium suum, quia contra imperium pugnaverat[1], quam-

Ut ecce Hernicis à consule Marcio paulo post triumphatis leges suas redditas tradit Livius lib. IX. quia hoc maluerunt quam jus civitatis. Adde quod Latini, qui hæc poscebant, ex coloniis Romanis plerique erant. Quin ille ipse Annius prætor Latinorum, qui pro omnibus verba fecit in his postulatis exequendis, ex colonia fuit Romana. Atqui certum est colonias Romanas jus civitatis habuisse. Legebam igitur aliquando: *cum in jus civitatis partem imperii ac magistratuum poscerent.* id est, ad jus civitatis, vel præter jus civitatis. Præter colonias Romanas nonnulli etiam ex populis Latinorum civitatem jam habebant, ut Tusculani. Veliterni jam cives erant veteres Romani. Non tamen omnes eo jure gaudebant. Id ex eo liquet, quod post varia prœlia Romanorum cum Latinis sæpius rebellantibus, utpote qui neque bellum neque pacem pati possent, Romanis tandem placuit, quo Latinos sibi populos conservarent, ne ad extremum delendi essent, in civitatem eos accipere, alios alio jure, prout meriti essent singuli. Hoc narrat Livius lib. VIII. Quo respexisse Florum hoc loco dubium non est, cum dicit Latinos jus civitatis petiisse. Quod tamen nec eo tempore nec unquam ab illis factum. Ex æquo se cum Romanis gerebant tunc temporis, nec pluris faciebant Romanam civitatem quam suam quisque. Participare tantum imperia & magistratus volebant, & unam ex utraque rempublicam fieri ex nomine Latino ac Romano. Hoc tamen Romæ ut parti potiori concedentes, ut Romani omnes ab ea vocarentur. Nihil igitur hoc loco mutandum censemus. Sed Flori error quales alios multos hoc toto opere notavi.

2 *Atque jam amplius quam congredi auderent*] Non hæc mihi prorsus sana aut integra videntur. Suspecta etiam faciunt, quæ in libris est varietas, & maxime quam præfert Nazarianus liber, qui sic habet: *aput quam amplius quam congredi auderent.* Nihili facio cæterorum variationes. Nam magis etiam turbat prior Palatinus hac lectione: *pari imperio atque etiam amplius.* In altero scribitur: *pari atque etiam amplius.* Si quid veri mens auguratur, totus hic locus ex vestigiis Nazariani sic concipiendus fuerit: *Cum jus civitatis, partem imperii ac magistratuum poscere, at id quam amplius quam congredi? auderent.* Plenus noster hujusmodi interjectionum admirantium vel interrogantium. cum, inquit, auderent poscere partem imperii magistratuumque cum jure civitatis. At id quam amplius quam congredi? Nimirum longe majus fuisse significat, quod ausi sunt postulare partem imperii & magistratuum, quam si Marte tantum congressi essent. Multi quippe populi ex reliqua Italia bello cum populo Romano contenderunt, at nullus ausus fuerat hactenus petere quod Latini tum poposcerunt.

quamvis victorem occiderit, quasi plus in imperio esset, quam in victoria: 3 alter quasi monitu deorum, capite velato primam ante aciem diis manibus se devoverit: ut in confertissima se hostium tela jaculatus, novum ad victoriam iter sanguinis sui semita aperiret.

Cap. XV.

Bellum Sabinum.

CDLXIII. 1 A Latinis agressus est gentem Sabinorum, qui immemores factæ sub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli se Latinis adjunxerant. Sed Curio Dentato con-

runt. Nihil mutavimus ex antiqua scriptura Nazariani Codicis, nisi quod ex *aput* fecimus *at id*. Notum est criticis, quibus veteres libri noti sunt, sæpe in his *p* pro *t* scriptum reperiri, & *p* pro *d*.

3 *Alter quasi monitu deorum.*] Immo deorum monitu id factum Livius testatur, cum utrique consuli visa species viri supra humanum habitum, denunciantis ex una acie exercitum, ex altera imperatorem diis manibus terræque matri deberi. Notabis in sequentibus cacozeliam & poëticam licentiam sive lasciviam: *ut novum ad victoriam iter sanguinis sui semita aperiret*. Satis erat dixisse: *ut iter ad victoriam sanguine suo aperiret*. Quid enim est *sanguinis sui semita*? Nec melius aut sanius quod in eadem habetur periodo: *in confertissima se hostium tela jaculatus*. Quod idem est ac si Græcus diceret ἑαυτὸν ἀκοντίζων εἰς τὸ μέσον. Manilius de petauristis & parabolanis saltatoribus dixit: *sese jaculantur in auras*. Quod in poëta & de illo hominum genere tolerabile. At insanum ac nimis κακόζηλον de imperatore qui in confertissimos hostes se immittit.

1 *A Latinis aggressus est gentem Sabinorum*] Nusquam legi Sabinos in hoc bello se Latinis adjunxisse, aut statim post Latinos gentem eorum à Romanis arreptam ac debellatam. Nusquam hoc factum. Multo etiam magis à specie veri abhorret, quod addit, à Curio Dentato consule subactos & omnem eorum agrum igne ferroque vastatum. Verum quidem est, Curium Dentatum de Sabinis triumphasse, sed nec illi Sabini se Latinis istis adjunxerant, & bellum Latinorum, de quo hic loquitur, à bello isto Sabinorum, quo devicti sunt a Curio Dentato, magno

consule, omnem eum tractum, [2] qua Nar amnis, fontesque Velini, Hadriatico tenus mari, igne ferroque vastavit. Qua victoria, tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in utro plus esset, nec ipse posset æstimare qui vicerat.

CAP.

no intervallo temporum dissidet. Latinis debellatis & victos se fatentibus, cum servari eos placuisset, & beneficio ne amplius rebellarent demereri, civitas data est ex sententia Furii Camilli, qui consul fuit anno urbis.... At Sabinorum bellum profligatum est per Curium Dentatum consulem anno urbis.... Anni sunt... Inter illud spatium multa alia bella gessit Pop. R. Bellum Ausonum, bellum Privernas, Neapolitanum, Samniticum, Etruscum & alia de quibus nullam hic mentionem habet Florus. Qui duo tempore & causa disjunctissima bella simul conjungit. Sic magno dispendio rerum ac historiæ fiunt hæc historica compendia.

2 *Quà Nar ambit, fontesque Velini*] Mihi semper de mendo suspecta visa hæc lectio. Legeram ex conjectura primò: *quà Nar amnis fontesque Velini*. Quam mihi postea veram adprobavit consultus codex bonus & antiquus Nazarianus. In antiquis Jordanis exemplaribus hanc scripturam inveni: *eorumque loca à Varanio fonte Adriatico tenus mari igne ferroque vastavit*. Quærendum, num aliquis fons Varanius in illis locis. Puto illum hanc lectionem exsculpsisse ex antiqua Flori & intricata scriptura, dum eam non satis assequitur: *quà Naranio fonte Velini*. Inde ipse fecit: *à Varanio fonte*. Quasi aliquis ibi locorum fuerit fons Varanius.

1 *Pre-*

Digitized by Google

CAP. XVI.

Bellum Samniticum.

DCX. 1 PRecibus deinde Campaniæ motus, non pro se, sed, quod est speciosius, pro sociis, 2 Samnitas invadit. 3 Erat fœdus cum utrisque percussum: sed hoc Campani san-

1 P*Recibus deinde Campaniæ motus*] Et hic ὑστερον πρότερον χρονικὸν ingens à Floro commissum, dum Samniticum bellum, quod precibus Campanorum motus cepit Populus Romanus, tempore posterius facit Latino ac Sabino bello, de quibus tractat præcedenti capite. Ac de Sabino quidem nullum est dubium, cum tot annorum interstitio præcedatur ab isto Samnitico quod susceptum est in gratiam Campanorum. Profecto ne Latinum quidem, etsi tanto antiquius Sabino, temporis primas ferre debeat contra Samniticum quod prius est. Ecce enim Campani auxilium adversus Samnitem petiere Coss. M. Val. Corvino tertium, & Aulo Cornelio Cosso, quibus cura hujus belli demandata, qui & ambo de Samnitibus triumpharunt. Hoc initium belli Samnitici, & primus de hoc Romanorum triumphus. At Latini cum Campanis defecerunt tribus ferme annis post consulatum M. Valerii & initium belli Samnitici, in consulatu Manlii Torquati & Decii Muris. Prius certe finem accepit bellum Latinorum quam Samniticum, quod quinquaginta ferme per annos duravit, cum vix debellati statim rebellarent, utpote de quibus quater & vigesies triumphatum sit.

2 *Samnites invadit*] Nazarianus cum Jordaneis: *Samnitas*. ἀρχαϊκῶς. Sic *Pæanas*, *Acarnanas*, pro *Pæanes*, *Acarnanes*. Vide Charisium lib. I.

3 *Erat fœdus cum utrisque percussum*] Immo cum solis Samnitibus. Ea causa repulsi primo Campani auxilium contra Samnitem implorantes, quod negaret Senatus opem dare se posse fide fœderis illæsa externis adversus socios atque amicos. Ita enim his respondit consul apud Livium ex authoritate senatus: *Auxilio vos, Campani, dignos censet senatus: sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur. Samnites nobiscum fœdere juncti sunt.* Vide reliqua apud Livium lib. VII. Coacti itaque Campani se & sua Romanis dedere, ut sic illis liberet dediticios suos tueri. Falsum igitur quod statim subjicit Florus: *Sed hoc Campani sanctius & prius omnium suorum deditione fecerant*. Dicit fœdus Romano percussum cum utrisque populis, Samnitibus & Campanis. Sed Campanorum fœdus prius ac sanctius fuisse, quod omnium suorum deditione factum sit. Hæc inter se plane pugnant, fœdus cum aliquo facere ac deditionem. Si dedi-
tionem

sanctius & prius omnium suorum deditione fecerant. 4 Sic ergo

tionem fecere Campani, fœdus illud non fuisse constat. Nam per fœdus æquatio juris fit inter fœderatos. Per deditionem omnia unius traduntur in potestatem alterius. Ne ipsi quidem dediticii suæ sunt potestatis & arbitrii, sed illius esse censentur cui se dediderunt. Demus fuisse fœdus quod fecerunt Campani dedentes se Romanis, non tamen prius fuerit quam Samnitium. Fœderati quippe jam tum Samnites erant Romanorum cum ab his petitum auxilium venere Campani. Nec enim ante id tempus fœdere illo aut societate juncti cum Romanis memorantur. Immo si fœdus illud fuit, tunc ideo factum est, ut defensores haberent Romanos adversus Samnites, antiquos amicos & socios populi Romani. Sed deditionem sui & omnium suorum facere adacti sunt, nec aliter auxilium obtinuissent. Tunc igitur opem illis pollicitus est senatus, quia jam inde pro suis rebus & hominibus illud auxilium dabatur. Nam dediticii in potestate sunt ac dominio eorum quibus dediti sunt. Et recte mox Florus: *Sic ergo Romanus bellum Samniticum tanquam sibi gessit.* Hinc illa in oratione Campanorum ad Senatum, cum se ac sua dederent ad auxilium impetrandum: *Quandoquidem nostra tueri adversus vim atque injuriam justa vi non vultis, vestra certe defendetis. Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra deûm, divina humanaque omnia in vestram* P. C. *populique Rom. ditionem dedimus.* Hæccine verba sunt & formula æqui fœderis & sancti? immo deditionis qua alterius potestatis fiunt quæ olim sua erant. Sed ipse sibi contradicit Florus. Nam qui mox dixerat bellum illud sibi gessisse Romanos, quia pro suis nimirum dediticiis, idem initio capitis scribit populum Rom. *precibus Campaniæ motum non pro se, sed quod est speciosius, pro sociis Samnites invasisse.* Hæc non possunt inter se conciliari, ut socii simul ac dediticii fuerint Campani Romanorum, utque Romani bellum illud pro sociis pariter ac tanquam sibi, rem suam scilicet gesturi, susceperint. Varie quidem fœdera alia æquis, alia iniquis legibus. Sed deditio nunquam fuit fœdus. Ut cœli mollitiem ac temperiem probet, bis flores ibi dicit emicare. Ut soli ubertatem ac fertilitatem ostendat, Liberum Cereremque de eo certasse proditum ait. Ut maris denique hospitalitatem testetur, portus aliquot nobiles in ejus ora recenset. Frequentior porro hujus vocis usus est in rebus narrandis, aut caussis assignandis ubi plures eduntur, ut ultimo loco ponatur ad orationis clausulam. Ut cum præponitur *primo*, deinde subjungitur *præterea*, & postremo additur ad rem finiendam, *denique*. Sæpe tamen ubi res una memoratur, aut caussa una allegatur, statim per se solet inferri ut heic: *Nihil mollius cœlo. denique bis floribus vernat.* Quasi diceret, adeo verum est nihil esse cœlo mollius, ut bis ver in anno habeat.

4 *Sic ergo Romanus*] Quidam, *pop. Romanus.* Non ita recte. Nam alibi sic

Digitized by Google

ergo, Romanus bellum Samniticum tanquam sibi gessit. Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniæ plaga est. 5 Nihil 6 mollius cœlo: denique 7 bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi

bi sic loquitur, *Romanus*, *Germanus*, *Tarentinus*, non addens, *populus*. Exempla passim obvia.

5 *Nihil mollius cælo. denique bis floribus vernat*] Qui corruptum hunc locum censent, ipsi sunt corrupti potius judicii, quod prius emendent licet quam quidquam hic attentare audeant. Nazarianus distinguit: *nihil mollius, cælo denique bis floribus vernat.* vitiose. Elegans porro vocis notio *denique*, quæ ex abrupto & ante expectatum mira brevitate venit. Nec adeo rara est apud antiquos ac probos auctores, ut videri volunt docti criticorum. Hic noster ea sæpe utitur. Supra de Vejis captis: *Denique non scalis nec irruptione, sed cuniculo & subterraneis dolis peractum urbis excidium. Ea denique visa est prædæ magnitudo, cujus decimæ Apollini Pythio mitterentur.* Frustra igitur ille vir doctus, qui corrigebat: *Nihil mollius cælo dieque: bis floribus vernat.* Nec melius juveni cuidam erudito successit, qui in notis ad Vellejum ita ex veteribus legere profitetur: *nihil mollius cælo: nihil uberius solo, denique bis floribus vernat. ideo Liberi Cererisque certamen dicitur.* qui sint illi veteres, ignoro. hoc modo scio pessimos illos veteres esse, nec cum recentibus bonitate comparandos. elegantiam suam & venustatem huic loco plane surripueris, si hanc lectionem admittas: quod ut melius appareat, locum integrum, ut legendus & distinguendus est, ponam: *Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cælo. denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari: hinc illi nobiles portus, Cajeta, Misenus, & tepentes fontibus Bajæ, Lucrinus & Avernus quædam maris otia. hinc* pro *hic* legimus, quod vulgo habetur. *denique*, *ideo*, *hinc*, elegantissime variantur, & recte secum invicem conveniunt. ut illi magnam injuriam elegantiæ fecisse videantur, qui hæc aliter legenda esse censuerunt.

6 *Nihil mollius cælo*] Temperatius, clementius. Sic infra lib. III, cap. III. *Sed in Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa cœli soli que clementia robur elanguit.* Sic Græci μαλακὸν usurpant, quod & mari cum tranquillum est tribuunt, ut & Latini cum voce inde mutuata malaciam maris appellant.

7 *Denique bis floribus vernat*] Floribus gignendis bis habet ver. Ut *hibernum* pro hieme, ita & *vernum* pro vere absolute, dum intelligitur tempus. Sed ut *hibernare* & *hiemare* annus dicitur Latine, cum hiems est anni; ita & *vernare*, cum est ver. At cœlum bis vernat, cum bis ver facit. Possumus tamen heic intelligere Campaniam bis vernare, bis ver ha-

ri Cererisque certamen dicitur. [8] Nihil hospitalius mari: Hic illi nobiles portus, Cajeta, Misenus & tepentes fontibus Bajæ: [9] Lucrinus & Avernus, quædam maris otia.

habere. Alia est significatio verbi *vernare* de avibus cantillantibus apud Poëtas. Ovidius:

—— docili gutture vernat avis.

ἀδηρεῖ. Quia vere magis garriunt aves. An à vernis pueris quorum garrulitas placuit veteribus. Unde & vernalis urbanitas, vernaculorum dicta.

8 *Nihil hospitalius mari*] Ob frequentiam commodorum portuum. Non enim homines tantum hospitales, sed etiam loca. Unde *inhospita tesqua* deserta & cultu vacua ac proinde accipiendis hominibus parum idonea. Ita & *inhospita maria* dici queunt, quorum littus importuosum & accessu difficile. Sic etiam ἄξεινος πόντος qui olim ἄξενος, inhospitalis.

Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Sed propter incolarum barbariem non ob portuum penuriam ita appellatum volunt. Eo tamen respexisse puto hunc Florum, cum nihil hospitalius mari quod Campaniam alluit esse dixit. Οὐδὲν ἀξεινότερον. Quasi melius id nominis mereretur quam cui Græci hoc insigne dederunt cognomen. Hospitium pro diversorio ac πανδοχεῖον etiam media latinitas dixit. Et Firmico *hospites* vocantur qui tabernarum institores & caupones. Quod hodieque in nostro idiomate retinemus. Portus hospitia quodammodo maris sunt. Sic & hospitale mare, cui frequentia talia hospitia. Virgilius *hospitium arenæ* appellat plagas vel stationes in littore vel etiam portus quibus naves excipiuntur. Aeneas secunda Aeneide apud Didonem conquerens, quod naves suæ prohiberentur ad littus Africanum appellere:

—— hospitio prohibemur arenæ.
Bella cient, primaque vetant consistere terra.

9 *Lucrinus & Avernus, quædam maris otia*] Inter portus maris Campani Lucrinum & Avernum recenset. Atqui lacus sunt, sed ex eo genere quas Græci λιμνοθαλάττας appellant, lacus nempe quibus mare affunditur, æstuaria quæ & στομαλίμναι dictæ quod ostia ad mare habeant quibus aquam ex mari recipiunt. Hoc videns Jordanes, lectionem antiquam Flori mutaverat, quia vix eam caperet. Igitur pro *quædam maris otia*, sicut habent antiqua Flori omnia exemplaria, in omnibus Jordaneis legitur, *quædam maris hostia*. Verum quidem est, ostia maris esse lacus illos qui in mare aperti sunt & inde marino æstu implentur, sed aliud voluit Florus. Eleganter *quædam maris otia* dicit hæc æstuaria, quibus infusum mare veluti quiescit & otiatur. Non movetur quippe mare, nec procellis obnoxium quod intra illos recessus conceptum tenetur. De bonis etiam portubus hoc possis dicere, quædam videri maris otia. Quales sunt in quibus naves haberi possunt ab omni ventorum flatu tectæ ac tutæ, sic ut vinculis alligari aut anchora fun-

Digitized by Google

otia. [10] Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & [11] pulcherrimus omnium Vesuvius, Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeji, & ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata. Pro hac urbe, his regionibus populus Romanus Samnites invasit, [12] gentem, si opulentiam quæ-

fundari ibi opus non habeant. Talem describit Ithacæ portum Homerus Odyss. XIII.

—————— δύο δὲ προβλῆτες ἐν αὐτῷ
Α'κταὶ ἀποῤῥῶγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι.
Αἵτ' ἀνέμων σκεπόωσι δυσαήων μέγα κῦμα
Ε'κτοθεν ἔντοσθεν· δὲ ἄνευ δεσμοῖο μένουσι
Νῆες ἐΰσσελμοι, ὅταν ὅρμου μέτρον ἵκωνται.

In ejusmodi portu *æquora tuta silere* canit virgilius, ut in Africano, quem adinstar illius Homerici,

—————— *geminique minantur*
In cælum scopuli, quorum sub vertice late
Aequora tuta silent.

Silent igitur & quiescunt in ejusmodi portubus maria, ac proinde otia quædam maris dici possint. Quin ostia sint nemo ambigit. Verius tamen est ut de Lucrino & Averno tantum intellexerit Florus, non etiam ad præcedentia retulerit. Nam in ejusmodi stagnis æstu marino irriguis mare restagnans plane quietum manet & quasi otiatur.

10 *Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus*] Vetus Jordanis: *Hic amici vitibus montes*, eleganter, modo ita scripserit Annæus. Sic Horatius *amicum vitibus Caulonem* dixit. de Gauro Symmachus, de Campania loquens:

Ubi corniger Lyæus
Operit superna Gauri.

Hos versus posuimus, ut scribendos putamus. Guttur vulgo mendosissime. Schedæ Palatinæ: *Gutturi.* nos, *Gauri.*

11 *Pulcherrimus omnium*] Jordanes: *cunctorum.* Idem mox: *quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numeranda.* Flori omnes libri: *numerata.* Quod melius.

12 *Gentem, si opulentiam quæris, aureis & argenteis armis, discolori veste*] Paulo aliter hic locus descriptus in Nazariano antiquo Codice, ad hunc nempe modum: *Gentem, si opulentiam quæris, aureis atque argenteis armatam misit discolori veste usque ad ambitum.* Ex quibus vestigiis non dubito legendum colligere: *aureis atque argenteis armatam armis, & discolori veste usque*

quæris, aureis atque argenteis ornatam armis, & 13 discolori

usque ad ambitum. Fortassean & melius etiam scriberetur: *aureis atque argenteis ornatam armis & discolori veste usque ad ambitum.* Nam verbum *ornari* tam ad arma quam ad vestem trahi potest. Certe & *ornamenta* dicebantur arma. Ut de gladiatore apud Senecam, *qui per ornamenta percussus est.* Vide porro, quid sit compendia scribere. Nunquam totum dicitur. Vix res ut sunt explicantur. Ut opulentiam Samnitum ex eo arguere vult Florus, quod aureis & argenteis armis ornarentur ac discolori veste usque ad ambitum, hoc est, raris ac pretiosis fucorum pigmentis versicolori. Quis non putet isto argumento Flori ita solitos semper cum armari tum indui Samnites? Atqui semel tantum aut bis sic armatos constat ac vestitos, in eo prœlio quod pugnatum est ex parte Romanorum, ductu & auspiciis Papyrii Cursoris dictatoris. Ita rem narrat Livius lib. IX. his verbis: *Pari subinde periculo gloriæque eventu bellum in Samnitibus erat, qui, præter cæteros belli apparatus, ut acies sua fulgeret novis armorum insignibus, fecerunt. Duo exercitus erant. Scuta alterius auro, alterius argento cælaverunt.* Hæc sunt aurea & argentea arma, quibus armari solitos hoc loco Samnites scribit Florus. At bene monet Livius, nova armorum insignia hæc tum quæsivisse. Quod ab illis nunquam antea, tot pugnis adversus Romanos pugnatis, nec postea nisi semel factum. Quod ad discolorem vestem attinet, noli etiam putare talem in quotidiano ac pro miscuo usu apud Samnitas fuisse. Imo tum primum eam usurparunt, cum illis armis aureis & argenteis nec deinceps usi sunt. Quin & discolor illa vestis ei tantum generi militum data est qui armis erant ornati aureis. Nam qui argentea habebant, linteas indutui sumpsere candidas. Quod non debuit omittere Florus. At Livius ibidem non omisit: *Tunicæ auratis militibus versicolores, argentatis linteæ candidæ.* Cur non dixit hîc Annæus, Samnites etiam indutui habuisse tunicas linteas candidas? Nec tacendum heîc ab illa armatura quam tum induêre Samnites, nomen & ornatum gladiatorum Samnitium apud Romanos processisse. Quod à Campanis ægre acceptum est. Hi enim cum summo odio prosequerentur Samnites, ad eorum derisum gladiatores, quod spectaculum inter cænam exhibebant suis convivis, eo ornatu armarunt. Hinc Tritannus *gladiator ornatura Samnis* apud Solinum. Ad quem locum nos olim plura. Hoc eodem porro apparatu & opulenita insignium armorum, bellum iterum adornavisse Samnites memorat Livius lib. X. Quod bellum profligatum est auspicio ac ductu Papyrii Cursoris consulis, filii illius dictatoris, qui prius eosdem Samnites similiter armatos & indutos debellaverat.

13 *Discolori veste, usque ad ambitum*] Non simpliciter discolorem fuisse vult intelligi, sed ambitioso & exquisito luxu. Necessitas vesti excogitandæ caussam & originem dedit, ut corpus tegeret. Ornatus deinde accessit ut aptum decensque esset hoc tegumentum. Postea modum excessit hæc ornandi cura & in luxum ambitumque ex ampliore artis ac materiæ pretio quærendis vestibus degeneravit. Scite Tertullianus in libro De pallio.

Digitized by Google

lori veste usque ad ambitum. [14] Si fallaciam, saltibus fere & montium fraude grassantem: [15] si rabiem ac furorem, sacratis legibus, humanisque hostiis in exitium Urbis agitatam:

14 *Si insidiarum fallaciam*] Facessat hinc vox *insidiarum*, quam nulli habent libri. Cum hac lectione, si attendas, quid aliud dicat auctor, quam, *si insidiarum fallaciam quæras insidiis grassantem?* Atqui generatim fallaces esse pronuntiat, deinde quo genere fallaciæ præstant indicat. Gentis igitur ex eo fallaciam adstruit quod struendarum insidiarum sint callentissimi. *Si fallaciam*, inquit, *quæras, saltibus & montium fraude grassantem*. Sed una hirundo non facit ver. Et male Florus in argumentum perpetuæ fallaciæ trahit quod semel atque iterum callide ab illa gente pugnatum est. Tot præliis certarunt Samnites cum Romanis, & tamen Furcas Caudinas excipias, vix reperias, quando saltuum fraude aut montium victoriam furati sint. Semel quidem atque iterum in valle instructi latere voluerunt, sed non fefellerunt. Quod spectat Furcas Caudinas, quis nescit, non arte aut fraude Samnitum eo delapsos Romanos, sed suamet ipsorum imprudentia. Occasione si usi sunt Samnites officium suum certe fecerunt. Non incallide quidem egerunt, sed fortunam tam bonam si amisissent de manibus, stupidissimi ac inertissimi omnium essent habiti.

15 *Si rabiem ac furorem, sacratis legibus*] Quidam scripti: *Sacris legibus.* Semel quoque his legibus usi Samnites. Nec recte Florus, sed suo more facit, dum unum id facinus arripit ad rabiem hujus populi arguendam, cum tot alia bella istius furoris expertia cum Romanis dispunxerint. Quasi compluries hoc genere detestationis & sacratæ legis bellum sumpserint, sacratis legibus in exitium urbis agitatos non dubitat heic dicere noster. Legem sacratam hanc in usu etiam fuisse Etruscis, Livius notat & ab his usurpatam adversus Romanos in ea pugna qua pugnatum est ad Vadimonis lacum. Sic enim scribit lib. IX. & simul explicat vim hujus sacratæ legis, qua vir virum legebat: *Et ad Vadimonis lacum Etrusci lege sacrata coacto exercitu, cum vir virum legisset, quantis nunquam alias antea simul copiis, simul animis dimicarunt.* Hoc eodem more sacrata lege Samnites exercitum semel coëgerunt, dirisque & execrationibus eum obstrinxerunt, & bello quo depugnarunt cum L. Papirio Cursore consule. Quod clare testantur hæc ejusdem Livii verba lib. X. *primoribus Samnitium ea detestatione obstrictis, decem nominatis ab imperatore eis dictum ut vir virum legeret, donec sexdecim millium numerum confecissent.* Hæc vis & interpretatio sacratæ legis, qua vir virum legebat. Qui inter primos nominabatur, ut hac se lege alligaret, jurabat in verba diri carminis, quo caput suum devovebat, nisi isset in prælium quo imperator duxisset, aut si ipse ex acie fugisset, aut si quem fugientem vidisset, non extemplo occidisset. Post hæc qui sic juraverat, hisque diris se defixerat, jubebatur virum legere, mox simili exsecrationi obnoxium, dein-

Digitized by Google

si pertinaciam, [16] sexies rupto fœdere, cladibusque ipsis animosiorem. [17] Hos tamen quinquaginta annis per Fabios & Papirios patres, eorumque liberos ita subegit ac domuit, [18] ita ruinas ipsas urbium diruit, ut hodie Samnium

deinde secundus tertium, atque ita deinceps usque ad ingentem exercitus numerum.

16 *Si pertinaciam, sexies rupto fœdere*] Toties rupisse fœdus Samnites ex Livio colligo. Auctor Epitomes Livii lib. XI. in consulatu Fabii Gurgitis qui de his triumphavit, scribit *cum Samnitibus pacem petentibus fœdus quarto renovatum esse.* Notatur ibidem sequentis anni consulem Curium Dentatum bis triumphasse in eodem magistratu, *Samnitibus cæsis & Sabinis qui rebellaverant.* Sic tum quinquies fœdifragi Samnites. Et videtur tum quoque fœdus cum his instauratum, quod tamen mox infregerunt. Nam in sequenti Epitome traditur Samnites defecisse & adversus eos ac Lucanos, Bruttios Etruscosque aliquot præliis à compluribus ducibus bene pugnatum. Hæc defectio Samnitum pro sexto fœdere ab his rupto numeranda venit. Duæ etiam sequentes Epitomæ meminere rerum prospere gestarum contra Samnites.

17 *Hos tamen quinquaginta annis*] Quinquaginta annos durasse bella Samnitium cum Romanis vult. Ego plus invenio, & sic colligo. Scribit Livius lib. X. in hæc verba: *Supersunt etiamnum Samnitium bella, quæ continua per quartum jam volumen annumque sextum & quadragesimum M. Valerio, A. Cornelio consulibus, qui primi Samnio arma intulerunt, agimus.* Hæc scripta in consulatu Q. Fabii, & P. Decii, anno urbis.... Jam tum sextus & quadragesimus ibat annus belli perpetis Samnitium ac Romanorum. Oporteret inde usque ad ejus finem non amplius quam annos quatuor processisse, ut sic fierent anni quinquaginta Annæi, quibus domitos ac subactos dicit Samnites. Atqui ab his consulibus usque ad Curium Dentatum, qui de his rebellantibus triumphavit consulatu suo, quatuor anni explendo Flori numero intersunt. Tribus tamen postea voluminibus adversus eos bellatum, ut auctor Epitomes significat, qui ea bella usque ad Pyrrhi regis mortem deducit. Sic enim in decima quarta epitome scribit: *Res præterea contra Lucanos, Samnites & Bruttios feliciter gestas, & Pyrrhi regis mortem continet.* Et sane verisimile est, quamdiu Pyrrhus in Italia adversos Romanos belligeravit, fuisse in partibus Samnites, nec occasionem tam bonam omisisse rebellandi. Cæterum à consulatu M. Valerii & A. Cornelii, quo primum arma Romana Samnitibus illata sunt, usque ad Pyrrhi mortem, anni intersunt ferme......

18 *Ita ruinas ipsas urbium diruit*] Mirum quam diversa ab hac unius Palatini scriptura, qui habet: *Ita ruinas ipsas montium diruit.* Forte, pro *mœnium* aut *mœniorum*. Aliter non video quis sit illius lectionis sensus. Quin ea ipsa potius falsa ac rejicienda. Sequitur in Nazariano: *ut hodie Samnium in ipsa*

nium in ipsa Samnio requiratur: nec facile appareat materia quatuor & viginti triumphorum. Maxime tamen nota & illustris ex hac gente [19] clades, apud Caudinas furcu-
CDXXXII. las Veturio Posthumioque Consulibus accepta est. [20] Clauso per insidias intra eum saltum exercitu, unde non posset evadere, stupens occasione tanta dux hostium Pontius, [21] Herennium patrem consuluit, & ille, *mitteret omnes, vel occideret*, sapienter, ut senior, suaserat. Hic armis exutos mittere sub jugum maluit, ut nec amici forent beneficio, & post flagitium hostes magis. Itaque & consu-
CDXXXIV. les statim magnifice voluntaria deditione turpitudinem foederis dirimunt, & ultionem flagitans miles, Papirio duce (horribile dictu) [22] strictis ensibus miles per ipsam viam ante

ipsa Samnio requiratur. Non ut habent hactenus editi: *in ipso Samnio.* Figura est πρὸς τὸ σημαινόμενον. Ut *eunuchum suam.* Et apud Poëtam: *defensa est Ilion armis.*

19 *Clades apud Caudinas furcas*] Vetus editio cum omnibus scriptis qua Flori qua Jordanis habet: *apud Caudinas furculas.* Jordanei codices etiam *forculas.* Ita etiam semel apud Livium vocantur ὑποκοριστικῶς, lib. IX. *Interclusum Romanum exercitum obsideri, cladisque imaginem Furculas Caudinas memorabant.*

20 *Clauso enim per insidias*] vox *enim* abest à Nazariano, in quo & legitur: *stupens tanta occasione dux hostium.*

21 *Herennium patrem*] Unus Jordanis *Herineum* vocat. *Herinus* vel *Herineus*, in veterum Inscriptionum indice. In altero ejusdem *Hireneum.* *Nomen* ignotum est, nisi sit Εἰρηναῖος, quod vix puto. Sed *Herennium* retinendum arbitror. Et sic Livio vocatur.

22 *Strictis ensibus miles per ipsam viam ante pugnam furit*] Imperiti librarii perversa licentia, multis modis, hæc contemerarunt. Palatinus unus: *ante pugnam agit.* Alter: *adiit.* Pessime uterque. Nec melius, aut prudentius, gens docta, sed infelix correctorum, qui pro *fuit*, quod erat vera lectio, *furit* supposuerunt, nec cogitabant id verbi sibi convenire, quod repositum ibant. Nazarianus, & uterque Jordaneus: *fuit.* Optime. Scribendum itaque, *strictis ensibus miles per ipsam viam ante pugnam fuit, & in congressu arsisse omnium oculos hostis auctor fuit.* Dicit milites antequam manus consererent, in ipsa procursione atque impetu quo in hostem vadunt, strictis ensibus fuisse, hoc est strictos enses habuisse. In congressu vero

Digitized by Google

ante pugnam fuit: & *in congressu arsisse omnium oculos*, hostis auctor fuit. nec prius finis cædibus datus, [23] quam jugum & hostibus & duci capto reposuerunt.

Cap. XVII.

Bellum Etruscum, & Samniticum.

1 HActenus populo Romano cum singulis gentium, CDLIIX. mox acervatim, tamen sic quoque par omnibus fuit. Etruscorum duodecim populi, Umbri in id tempus intacti,

vero ipso arsisse omnium oculos hostis testatus est. Sic apud Ciceronem in ea pro Roscio: *Quæ ut ne ferretur, Senatus fuerat veste mutata.* Id est, Senatus vestem mutaverat. Falsa igitur Lipsii emendatio, qui *subrectis gladiis* correxit ex Camertis editione, in qua legitur, *subjectis*. Mos prælii fuit hic militi Romano ut in concursu auspicando pila prius emitteret, deinde gladiis strictis rem gereret. At in pugna adeò avidus manus statim conferendæ & pedis conferendi cum Samnitibus fuit, ut pila velut signo dato adjiceret, strictosque gladios in ipso concursu præferret, ne qua mora daretur ardori pugnandi. Livius lib. IX. *Vadunt igitur in prælium urgentes signiferos, & ne mora in concursu pilis emittendis, stringendisque inde gladiis esset, pila velut dato ad id signo abjiciunt, strictisque gladiis feruntur in hostem.* Hoc est igitur quod heic vult Annæus, milites in eo prœlio strictis gladiis ante pugnam fuisse per ipsam viam, id est in eo procursionis spatio quod pilis emittendis sumitur. Nam pilis ex certo intervallo conjectis, ubi ad manus ventum erat, strictis gladiis res gerebatur.

23 *Quam jugum & hostibus, & duci capto reposuerunt*] Non pro certo id narrat Livius, nec de eo inter omnes constitit Annalium scriptores, ut idem ille his verbis testatur lib. IX. *cæterum id minus miror, obscurum esse de hostium duce, dedito missoque sub jugum.*

1 H*Actenus populus Romanus*] Legitur in Nazariano codice: *Hactenus populo Romano.* Sed subintelligendum esset, res aut bellum. Et sic plane præfert Palatinus alter: *Hactenus populo Romano bellum cum singulis gentium.* Jordanes, pro *acervatim*, mox legit *catervatim.* Minus recte. Ab ipso Jordane est, non à libris, hæc varietas. Inter hos populos, qui acervatim populo Romano sustinendi fuere, perperam omisit Gallos. Nam Etrusci, Umbri, Samnites, & Galli,

Digitized by Google

intacti, antiquissimus Italiæ populus, Samnitium reliqui in excidium Romani nominis repente conjurant. Erat terror ingens, tot simul tantorumque populorum. [2] Late per Etruriam infestam quatuor agminum signa volitabant. [3] Ciminius interim saltus in medio, [4] ante invius, plane quasi Calidonius, vel Hercynius, adeo tunc terrori erat, [5] ut senatus consuli denunciaret, ne tantum periculi ingredi auderet. Sed nihil horum terruit ducem. [6] Quin fra-

CDLXII.

& Galli, hi quatuor simul populi conjurarunt adversus Romanos. Vide Livium lib. x. & ejusdem libri epitomen, in qua hæc verba leges: *Cum adversus Etruscos, Umbros, Samnites, Gallos, P. Decio & Q. Fabio pugnaretur.* Et mirus sane noster, cum tres tantum populos heic recenseat, qui in excidium Romani nominis conspirarint, mox tamen quatuor agminum signa per Etruriam infestam volitasse dicit.

2 *A latere Etruria infesta*] Quid opus hac repetitione, Etruriam à latere infestam esse, cum jam dixerit, duodecim Etruscorum populos conjurasse? Nazarianus: *latere Etruriam infestam.* Scribo: *late per Etruriam infestam,* &c. Jam pridem ex Jordane ita restituisse optimum Vinetum memini. Vitiosam prorsus esse vulgatam, nobis satis constat.

3 *Ciminius interim saltus*] *Geminius* optimi libri & vetus editio pro *Ceminius* aut *Ciminius*, solemni errore. *Ciminus* in membranis Jordanis. *Ciminum* & *Ciminium* dictum esse constat, de quo quidam frustra dubitant. Sic *Titus* fluvius & *Titius* pro eodem, ut infra notabimus. Alter Palatinus *Geminus*, pro *Ceminus* vel *Ciminus*. Virgilius Cimini montem & lacum memorat Aeneide octava: *Et Cimini cum monte lacum.* Mentio apud Livium in hac eadem historia *Ciminiæ silvæ* & *Ciminiorum saltuum*, idemque etiam *Ciminii montis* meminit.

4 *Ciminius interim saltus, ante invius, plane quasi Calidonius vel Hercynius*] Livium imitatur, à quo ferme hæc expressa: *Silva erat Ciminia magis tum invia atque horrenda, quam nuper fuere Germanici saltus.*

5 *Ut senatus consuli denuntiaret, ne tantum periculi ingredi auderet*] Hoc est, ne saltum Ciminium transiret. Quod debuit ipsis verbis retineri & exprimi, sicut denunciatum esse diserte testatur Livius: *Eo forte quinque legati cum duobus tribunis plebis venerant denuntiatum Fabio senatus verbis, ne saltum Ciminium transiret.*

6 *Quin fratre præmisso exploraret accessus*] In optimo Nazariano scribitur: *explorat.* puto scribendum: *Sed nihil horum terruit ducem. Quin fratre præmisso explorat accessus.* Mutavit Jordanes & aliter distinxit in suis, hoc nempe modo: *Sed nihil horum terruit ducem, quin fratre præmisso explo-*

fratre præmisso explorat accessus. 7 Ille per noctem pastorio habitu 8 speculatus omnia, refert tutum iter. Sic Fabius Maximus periculosissimum bellum sine periculo explicavit. Nam subito inconditos atque palantes aggressus est, captisque superioribus jugis, 9 in subjectos suo jure detonuit.

exploraret accessus. Quomodo hactenus editi retinuere. Non tam bene. Videtur autem his verbis sentire Florus, Fabium nihil territum denuntiatione senatus, explorasse tamen accessus Ciminiæ silvæ, eamque penetrasse. Atqui non ita est. Jam illa penetrata erat, & victi Etrusci, cum verbis senatus hæc illi facta denuntiatio est. Livius de legatis ac tribunis plebis, qui hæc denuntiatum venerant: *Lætati serius se, quam ut impedire bellum possent, venisse, nuncii victoriæ Romam revertuntur.*

7 *Ille per noctem pastorio habitu*] Falsum & contra historiam, quam sequitur, hoc ab illo additum, *per noctem.* Imo interdiu & palam Etruscis se immiscuit, hoc solo tectus & dissimulatus quod pastorem præferret, linguæ etiam errore adiutus, qua se hostibus pro indigena insinuavit. Livius Etruscis literis eruditum fuisse hunc Fabii fratrem, qui Ciminiam silvam exploravit, & commercio linguæ fefellisse non obscure indicat, qui tamen hæc postremo adjicit: *Sed neque commercium linguæ, nec vestis armorumque habitus sic eos texit, quam quod abhorrebat à fide quemquam externum Ciminios saltus intraturum.* Quin & audaci simulatione eum se hostibus immiscuisse, & principum ejus gentis colloquia petisse, clare tradit. Tantum abest, ut per noctem hoc iter fecerit aut tenebris explorationem suam occultam esse voluerit.

8 *Speculatus omnia: refert totum iter*] Ita Vinetus ex Jordane restituit. Sed Jordanis libri duo vetustissimi & Longobardico charactere exarati legunt: *refert tutum iter.* Ubi accessus explorasset, & omnia speculatus esset, refert tuto accedi & transiri posse. Sed vetustissimus omnium atque optimus Nazarianus Flori Codex scriptum clare exhibet; *refert tum iter.* Atque ita etiam habet vetus editio. Alii Flori Codices omittunt illud *iter* ac legunt: *Tunc sic Fabius Maximus.* Quod etiam servant cæteræ Annæi editiones. Totum ego hunc locum sic lego ac distinguo: *ille pastorio habitu speculatus omnia refert. Tum iter. Sic Fabius Maximus periculosissimum bellum sine periculo explicavit.* Frater ducis, qui speculatum iverat ad explorandos silvæ aditus, ubi omnia certa attulit, tum consul Fabius eam ingressus, iter versus hostes facere cœpit. Nihil verius. Et confirmat plane Livius his verbis, quæ noster hic adumbravit. *Hæc cum relata consuli essent, impedimentis prima nocte præmissis, legionibus post impedimenta ire jussis, ipse substitit cum equitatu.* Jordanes more suo, cum brevitatem & argutiam Flori non caperet, sic mutavit ut in ejus historia habetur.

9 *In subjectos suo more detonuit*] Apage lectionem hanc *suo more.* An fulmina-

nuit. Ea namque species fuit illius belli, [10] quasi in terrigenas è cœlo

minator hic erat consul aut aliquis tonans Tarpejus & Juppiter βροντῶν? Flori Nazarianus & Jordanis Codices habent, *suo jure.* Quæ verissima est lectio. Licet hinc colligamus quam non vetusti nec optimæ notæ fuerint Vineti exemplaria, quæ mendam hanc cum vulgatis constanter retinebant. *Suo jure*, id est, suo arbitrio. Sic sæpe loquitur noster. Ita infra lib. III. cap. XVII. *Interceptis vectigalibus suo jure peculabantur rempublicam.*

10 *Quasi in terrigenas è cœlo ac nubibus tela mitterentur*] In Nazariano est: *tela jacerentur.* Nimis poëtice hæc paratragœdiat Annæus, & præter veri fidem. Fabius captis superioribus jugis in subjectos suo jure detonuit, eaque species & imago certaminis fuit, quasi in terrigenas ac gigantes à cœlo ac nubibus tela Dii jacularentur. Atqui nihil in re, ut eam gestam narrat Livius, à quo tamen hic accepit, & parum cepit ejus mentem. Fabius, explorato aditu Ciminii saltus, prima vigilia copias suas traduxit per eum saltum, præmissis impedimentis, & legionibus post impedimenta ire jussis, ipse cum equitatu substitit, & luce orta postero die obequitavit stationibus hostium, quæ extra saltum erant ordinatæ. Mox in castra se recepit cum diu morando hostem fatigasset; castris deinde egressus porta altera ante noctem agmen quod præmiserat assequutus est. *Postero*, inquit, *die luce prima juga Ciminii montis tenebat. Inde contemplatus opulenta Etruriæ arva milites emittit. Ingenti jam abacta præda, tumultuariæ agrestium Etruscorum cohortes, repente à principibus ejus regionis concitatæ, Romanis occurrunt, adeo incompositæ, ut vindices prædarum prope ipsi prædæ fuerint. Cæsis fugatisque iis, late depopulato agro, victor Romanus, opulentusque rerum omni copia in ea castra rediit.* Locum integrum retuli, ut constet eum Floro nostro lectum & male intellectum, pravamque imaginem prœlii inde concepisse. Cum enim legeret Fabium juga montis Ciminii tenuisse & inde milites emisisse, sic interpretatus est, quasi ex superioribus montis jugis cum toto exercitu in hostes qui in plano erant impetum fecerit eosque deleverit. Non ita se res habuit, ut attentius verba Livii consideranti patebit. Quod dicitur Fabius juga montis Ciminii tenuisse, id fecisse eum apparet, ut conspectum ex superiori loco caperet ad contemplandum situm & arva Etruriæ. Hoc cum fecisset, milites emisit, extra saltum nempe in agrum eos hostium emisit. Ex quo ingenti jam abacta præda in occursu habuerunt tumultarias aliquot cohortes agrestium Etruscorum, quas principes ejus regionis ad hoc concitaverant, ut prædas abactas recuperarent. Eas adeo incompositas fuisse & inconditas dicit Livius, ut vindices prædarum ipsi prædæ fuerint. Hinc noster sumpsit quod heic etiam habet: *Nam subito inconditos atque palantes aggressus est.* At falsum quod sequitur: *jam captis superioribus jugis in subjectos suo jure detonuit.* In planum jam descenderat miles Romanus & extra saltum emissus in agro Etrusco ingen-

è cœlo ac nubibus tela mitterentur. [11] Nec incruenta tamen illa victoria. [12] nam oppressus in sinu vallis alter con- CDLVIII. sulum Decius, more patrio devotum diis manibus obtulit caput: solemnemque familiæ suæ consecrationem in victoriæ pretium redegit.

CAP.

ingentem jam abegerat prædam cum eis occurrerunt illæ inconditæ atque palantes agrestium Etruscorum cohortes, quas fuderunt fugaruntque.

11 *Nec incruenta tamen illa victoria. Nam oppressus in sinu vallis alter consulum Decius*] Res diversas ac diversissima tempora temere hîc confundit noster Annæus. Nec enim victoria illa quam tum reportavit Fabius de Etruscis, penetrato primum ac transito saltu Ciminio, Decii consulis morte ac consecratione fœdata est. Nec consul tùm cum Fabio fuit Decius, sed C. Marcius Rutilus, qui annus urbis erat ..... Aliquot annis post cum una consules essent Q. Fabius quintum & P. Decius quartum, hæc acciderunt in ea pugna, quam hoc par consulum adversus Etruscos, Umbros, Samnites & Gallos simul coactos pugnavit. De qua consulendus Livius lib. x. Certe hoc caput Florus auspicatus est ab illa quatuor populorum in Romanos conspiratione, & hunc titulum materiamque capitis præcipuam esse voluit. Sed male in ea re memoranda multo ante gesta immiscuit, cum Fabius primum silvam Ciminiam aperuit viamque per eos saltus ante invios Romano bello fecit. Quam ejus victoriam perperam eandem facit cum altera quæ multis post annis contigit in eadem Etruria, quo tempore alter consul Decius, cum ab hoste premeretur, exemplum sequutus patris, Diis se manibus devovit ut victoriam exercitui lucraretur capitis sui damno.

12 *Nam oppressus in sinu vallis alter consulum Decius*] Hoc nunquam factum, nec ulli memoratum. Poëtica hæc fictio Flori & vanum commentum. Pugna illa, qua se devovit Decius hic, in agro Sentinate commissa est, non intra Ciminios saltus. Vide Livium lib. x. Mirum, in tanta eruditionis luce, talia in historia Romana peccare potuisse Florum.

Digitized by Google

CAP. XVIII.

Bellum Tarentinum, & cum Pyrrho Rege.

CDLXXII. SEquitur bellum Tarentinum, unum quidem titulo & nomine; sed victoria multiplex. Hoc enim Campanos, Apulos, atque Lucanos, & caput belli Tarentinos, id est totam Italiam, & cum istis omnibus Pyrrhum, clarissimum Græciæ regem, una veluti ruina pariter involvit: ut eodem tempore & Italiam consummaret, & transmarinos triumphos auspicaretur. [1] Tarentus Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiusque Lucaniæ caput, cum magnitudine & muris portuque nobilis, tum mirabilis situ. Quippe in ipsis [2] Adriatici maris faucibus posita, in omnes terras, Istriam, Illryicum, Epirum, Achajam, Africam, [3] Siciliam, vela mittit. Imminet portui, [4] ad prospectum maris positum, majus thea-

1 T*Arentus Lacedæmoniorum opus*] Optimus Nazarianus habet *Tarentos*, Græca forma. Sic infra in eodem libro scriptum erat *Saguntos* pro *Saguntus*.

2 *In ipsis Adriatici maris faucibus*] Raro in membranis hujus auctoris vetustissimis *Adriaticum mare* scriptum occurrit: *Adrianum* quippe semper nominant, aut *Adriam*. Ut hoc loco etiam in vetustissimis Jordanis codicibus legitur: *in ipsis faucibus Adriæ maris*. Horatius quoque *Adriam* vocat. Græcis Ἀδρίας & Ἀδρίας κόλπος. Noster *Adrianum sinum* infra vocat.

3 *Siciliam vela dimittit*] In Nazariano est: *vela admittit*. Quam scripturam firmant & Jordanis codices vetusti, qui scriptum habent: *vel admittit*. Duo Palatini: *vela mittit*. Et sic prima editio.

4 *Ad prospectum maris positum majus theatrum*] Haud scio an & minus theatrum habuerint Tarentini. Sic rectè hîc locum teneat istud *majus*. Putavi aliquando *majus* & *maris* varias fuisse lectiones ab antiquario notatas. Profecto & Jordanes, si quid illi fidimus, non agnoscit istud majus theatrum, ac sic legit: *Imminet portui ad prospectum maris positum theatrum*. Credam fuisse Tarentinis duplex theatrum, majus & minus. Sed brevitati, quam affectat noster, non satis hæc distinctio convenit majoris ac minoris theatri.

5 *Adre-*

Digitized by Google

theatrum: quod quidem causa miseræ civitati fuit omnium calamitatum. Ludos forte celebrabant, quum [5] adremigantem littori Romanam classem inde vident: atque hostem rati, emicant, sine discrimine insultant. [6] *Qui enim, aut unde Romani?* nec satis. Aderat sine mora querelam ferens legatio. Hanc quoque fœde per obscœnam turpemque dictu contumeliam violant, [7] & hinc bellum. Sed apparatus horribilis, quum tot simul populi pro Tarentinis consurgerent, omnibusque vehementior Pyrrhus: qui semigræcam ex Lacedæmoniis conditoribus civitatem vindicaturus, cum totius viribus Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ, [8] incognitisque in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito insuper ferarum terrore, veniebat. [9] Apud Heracleam, & Campaniæ fluvium

5 *Adremigantem littori Romanam classem vident*] Legitur in Nazariano, numero multitudinis: *adremigantes littori Romanas classes vident.* Sic ille mutavit, dum putat Tarentinos ipsos adremigantes littori Romanam classem vidisse. Alia multa non minoris hallucinationis in Flori historia describenda peccavit.

6 *Qui autem, aut unde Romani*] Correctores, si quid unquam & stulte atque impune fecerunt, stultissime & infelicissime in hoc loco contemerando versati sunt. Scripti omnes, & veteres editiones, vocem *norant* non norunt, & pro *qui autem*, habent *qui enim.* His notatis, facile nobis, quid verum fuerit, perspicere. Indubitanter corrigimus: *quum adremigantem littori Romanam classem inde vident, atque hostem rati, emicant: sine discrimine insultant. Qui enim aut unde Romani? Nec satis. Aderat sine mora querelam ferens legatio. Hanc quoque fœde per obscœnam turpemque dictu contumeliam violant.* Integrum locum adposui, ne de nostra emendatione dubitaretur, quod neminem paulo humaniorem facturum putamus.

7 *Ex hinc bellum*] Supra legendum hîc docuimus: *& hinc bellum.* Nec sententiam mutamus. Hoc eodem libro: *ferocius agunt, & inde certamen.*

8 *Incognitisque in id tempus elephantis*] Epitomes Livianæ auctor lib. XIII. *Valerius Lævinus consul parum prospere adversus Pyrrhum pugnavit, elephantorum maxime invisitata facie territis militibus.* Ita ibi legendum, pro *inusitata.* Quæ vox infinitis variorum Latinitatis auctorum locis pro illa *invisitata* vitio correctorum visitur.

9 *Apud Heracleam, & Campaniæ fluvium Lirim*] Insignis allucinatio Annæi

Digitized by Google

CDLXXIII. fluvium Lirim, Lævino consule, prima pugna: quæ tam atrox fuit, ut [10] Frentanæ turmæ præfectus Obsidius invectus in regem, turbaverit, coëgeritque projectis insignibus prœlio excedere. Actum erat, nisi elephanti, converso in spectaculum bello, procurrissent: quorum cum magnitudine, tum deformitate, & novo odore, simul ac stridore consternati equi, quum incognitas sibi belluas amplius quam erant, suspicarentur, fugam stragemque late dederunt. In Apulia deinde apud Asculum me-
CDLXXV. lius dimicatum est, Curio Fabricioque consulibus; jam quippe belluarum terror exoleverat, & Cajus Minucius quartæ legionis hastatus, unius [11] proboscide abscissa,
CDLXXVI. mori posse belluas ostenderat. Itaque & in ipsas pila congesta

næi nostri. Ἡράκλεια in Campania nulla, aut si ulla, indicta sane omnibus veteribus fuit. *Herculaneum*, vel, ut in scriptis pluribus habetur, *Herculanium*, in Campania collocatur, quod Græcis Ἡράκλειον. At longe aliud Ἡράκλειον & Ἡράκλεια. Vir doctissimus & summus antiquitatis vindex annotat, viginti tres numerari Stephano Heracleas, quarum una Campaniæ. Stephanum ante annum recensuimus, & castigavimus. Heracleæ in Campania nusquam meminit, sed inter viginti tres Ἡρακλείας unam Italiæ recenset: nec ideo magis possumus intelligere, illam esse Campaniæ, quam Tusciæ aut Calabriæ. Procul dubio Stephanus Heracleam intelligit, quæ prope Metapontum est. Non enim alia fuit in Italia Heraclea, juxta Sirim fluvium. Liris in Campania fluvius, Siris ἐν τῇ βρεττανίᾳ, ut Græci loquuntur. Florum igitur decepit error *Liris* & *Siris*, & Lirim pro *Siri* accepit, & cum Liris sit fluvius Campaniæ, etiam Heracleam in Campaniam traducere sine architectis & sine mœnibus debuit. Auctores omnes consentiunt, pugnam primam adversus Pyrrhum habitam fuisse juxta Heracleam & Sirim. Plutarchus, ἐν πεδίῳ τῷ μεταξὺ πανδοσίας πόλεως καὶ ἡρακλείας. At πανδοσία non est Campaniæ. Qui ad veterum errores connivere consueverunt, etiam hic Florum defendant, & illis duobus locis de quibus infra disputamus, ut omittam quos jam supra notavimus.

10 *Ferentanæ turmæ præfectus Obsidius*] *Ferentaneæ* & *Opsidius* veteres. Vetus inscriptio *Obsidius*.

11 *Proboscide*] Græcum quidem est προβοσκίς. Sed Latini veteres solemni mutatione B in M pro eo magis dixerunt *promoscidem* vel *promuscidem*. Et sic veteres libri hoc loco legunt. Hanc tamen eos mutationem ab Æolibus

Digitized by Google

congesta sunt, & in turres vibratæ faces, tota hostium agmina ardentibus ruinis operuêre: [12] nec alias cladi finis fuit, quam nox dirimeret: postremusque fugientium ipse rex à satellitibus humero [13] saucius in armis suis referretur. In Lucania suprema pugna [14] sub Arusinis, quos vocant, CDLXXVIII.
cam-

libus suis potius mutuatos crediderim, quibus frequens fuit aliorum Græcorum βῆτα in μῦ vertere & contra. Sic igitur illis προμοσκὶς dicta quæ aliis προβοσκίς. Inde Latinorum *promuscis*.

12 *Nec ante cladi finis fuit*] Vetus editio, ut summi viri annotarunt: *nec alius cladi finis fuit*. Quod cohærere cum sequentibus non posse testantur. Scripti omnes id retinent. Sed verum est, legendum esse: *nec alias cladi finis fuit, quam nox dirimeret*. Omnia jam cohærent. Sic supra iidem veteres habebant: *rarum alius decus*, pro *rarum alias decus*.

13 *Saucius in armis suis referretur*] Nescio an verum dicat Nazarianus qui legit: *sine armis suis referretur*. Aliquid simile factum ex Plutarcho colligas, cujus, eandem hanc pugnam describentis, hæc verba sunt, ἄπαξ δὲ μάχεσθαι δυσμῶν ἡλίου μαχεσαμένων μόλις ἀπαλλαγῆναι, τοῦ Πύρρου τρωθέντος τὸν βραχίονα, καὶ τὴν ἀποσκευὴν ἅμα συνιόντων διαρπασάντων. Sed ἀποσκευὴν impedimenta & sarcinas significat potius quam arma. Deinde cui verisimile fiat de magno duce & tanto bellatore, armis eum exutum fuisse? Vera igitur sine dubio lectio: *humero saucius in armis referretur*. hoc est super armis suis, ut moris erat saucios plerumque è prœlio referri. *Arma* autem hic scutum propriè notant vel clypeum. Sic *arma ancilia* scuta erant. Sic supra de Samnitibus quos aureis & argenteis armis ornatos fuisse dicit, de scutis accipiendum. Nam Livius eandem rem narrans, scuta habuisse perhibet auro & argento cælata. Notum porro illud ἀπόφθεγμα Lacænæ mulieris ad filium cui arma tradebat in bellum ituro, ἢ τὰν ἢ ἐπὶ τᾶν, subaudiendum ἀσπίδα. Aut hanc referas salvus ad penates, aut super hanc saucius mortuusve referaris. Sed lectionem ne sollicitemus quæ est in editis, nam proba & vera est. In altero etiam Palatino legi: *in castris suis referretur*. An pro, *in castra sua referretur*? Sed uni stemus vulgatæ censeo. Nam & alter Palatinus perperam: *inermis suis referretur*.

14 *Sub Arusinis quos vocant campis*] Frustra sunt viri docti, qui *Taurasinos campos* hic comminiscuntur. En testem locupletem Julium Frontinum, qui Arusinos campos nominat, lib. IV. Stratagematum cap. I. *Romani deinde victo eo* (Pyrrhum intelligit) *in Arusinis campis circa Statuentum, castris ejus potiti, & ordinatione notata paulatim ad hanc usque metationem, quæ nunc effecta est, pervenerunt*. Pro *Statuentum* vel *Fatuentum* reponunt *Beneventum*, sed cum noster Lucaniæ esse campos scribat quomodo iidem potuerint esse circa Beneventum, non video. Stephanus nescio quam Bene-

ven-

Digitized by Google

campis: [15] sed tunc toti victoriæ exitum, quem datura
CDLXXVII. virtus fuit, casus dedit. Nam productis in primam aciem rursus elephantis, unum ex his pullum adacti in caput teli gravis ictus avertit: qui quum [16] per stragem suorum recurrens stridore quereretur, mater agnovit, [17] & quasi vindi-

ventum in Campania ponit, quam scribi per δ perhibet βενεβενδὸν, cujus ἐθνικὸν βενεβενδινὸς, & aliud esse βενεβεντόν. Ridicule, nam βενεβεντὸς & βενεβενδὸς plane idem. ut βεντήσιον & βενδήσιον dupliciter scribebant, & in veteri inscriptione *Badaus* pro *Bataus* aut *Batavus*. ϗ τῦτα ἐφ' ἑαυτῶ. *Subarri* mendosissime appellantur hi campi apud Jordanem in editionibus, nec dubium quin sit ex auctore nostro emendandus, cum scripti habeant, *Subaros in his quos vocant campis*. Vel puer videat legendum esse, *sub Arosinis quos vocant campis*. *Arosini* & *Arusini* idem. Eandem mendi indolem nobis exhibuerat optimus Codicum Nazarianus paulo superius ad hunc modum: *cum tot populi portarent in his consurgerent*. pro *Tarentinis*. Sic *de bis* pro *deis* aut *diis*. Beneventum autem Samnii fuit, non Lucaniæ.

15 *Sed tunc ad totam victoriam, exitum*] Piget aliquando istas λεπτολογίας persequi, nec immerito levem hanc opellam multi carpunt, sed quorundam voto satisfacimus, & nihil tam tenue est, & sordidum in his literis, quod indignum labore nostro putare debeamus, modo bonum auctorem faciat meliorem. Quod etiam hæc minuta præstant. Ut hoc loco pro *ad totam victoriam* optimus Nazarianus liber cum altero pariter antiquissimo Jordaneo habet: *Sed tunc tota victoria*. Distinguendum igitur: *Sed tunc tota victoria. Exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit*. Stilum hæc omnino sapiunt brevem & argutum Flori. Sic enim supra loquutus est. *Speculatus omnia refert. Tum iter*. Nihil verius. Nec dissimulavero tamen in altero Jordaneo scribi: *Sed tum totam*. Ex cujus scripturæ vestigiis legendum foret: *sed tum in totam victoriam exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit*. Quomodo plane exhibet & Palatinus alter: sed verior antiqui Nazariani lectio.

16 *Per stragem suorum percurrens*] Reponendum: *recurrens*. *Qui cum per stragem suorum recurrens*.

17 *Et quasi vindicatura exiluit*] Ita maluerunt correctores. Nam hanc lectionem ab illis esse, possit fidem facere vetus editio, quæ, ut eruditissimorum virorum testimonio scimus, habet: *vindicaret*. Scripti omnes cum ea faciunt, quos vidimus. Hanc tu sine ullo correctorum odio restituas licet: *mater agnovit, & quasi vindicaret, exiluit*. Cujus argutiam non percepere. Jordanis libri: *& quasi vindicare, exiluit*. *Vindicare* male scriptum pro *vindicaret*. In editionibus Jordanis operam suam cessare non passi sunt iidem optimi correctores, & pro illis, *& quasi vindicare, exiluit*, substituerunt, *seque quasi vindicare vellet*. Homines egregios, qui tam δυστύχως & δυστυχῶς ludunt!

18 *Gravi*

vindicaret, exiluit. tum omnia circa quasi hostilia [18] gravi timore permiscuit. Ac sic eædem feræ, quæ primam victoriam abstulerant, secundam parem fecerant, tertiam sine controversia tradidêre. Nec vero tantum armis, & in campis, sed consiliis quoque & domi intra Urbem cum rege Pyrrho dimicatum est. Quippe post primam victoriam rex callidus, intellecta virtute Romana, statim desperavit armis: seque ad dolos contulit. Nam interemptos cremavit: captivosque indulgenter habuit, & sine
pretio restituit. [19] Missisque deinde legatis in Urbem, om- CDLXXIV.
ni modo annisus est, ut facto fœdere in amicitiam reciperetur. Sed bello & pace, foris & domi, omnem in partem [20] Romana virtus tum se adprobavit: nec alia magis, quam Tarentina victoria ostendit populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem. [21] Qui enim illi fuerunt viri, quos ab elephantis primo prœlio obtritos accepimus? omnium vulnera in pectore: quidam hostibus suis immortui: omnium in manibus enses: & relictæ in vultibus minæ: & in ipsa morte ira vivebat.

Quod

18 *Gravi timore permiscuit*] Occupavit hunc locum menda plane similis illi, quæ alium locum lib. II, cap. II, contaminarat: *ut quatenus nec more jungi, nec pontibus posset: more* pro *mole.* Hic quoque Nazarianus: *gravi more*, pro *gravi mole.* Cave aliter legi debere censeas. & confirmat Jordanes.

19 *Missisque deinde legatis*] Nazarianus Codex: *dein.* Idem paulo post duabus vocibus auctior est, quam editus: *omni modo annisus est, ut facto fœdere in amicitiam reciperetur.* Quæ supervacaneæ & otiosæ non sunt. Has, ne quis non satis geminas putet, retinet Jordanes, & reliqui libri asserunt.

20 *Romana virtus tum se probavit*] *se adprobavit.* N.

21 *Quinam illi fuerunt*] Ex conjectura emendo: *qui enim illi fuerunt?* Quod sequentia ostendunt: *qui autem ille senatus fuit?* &, *qui porro ipsi duces vel in castris?* Quæ quam recte cohæreant, & sibi invicem respondeant, vides. *Quinam* surrepsit pro *qui enim*, ex consuetudine scribendi, *qui n.* quod est, *qui enim.*

Quod adeo Pyrrhus miratus est, ut diceret: [22] *Quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis!* Quæ autem eorum, qui superfuerunt, in reparando exercitu festinatio? [23] Quum Pyrrhus idem, *O me*, inquit, *plane Herculis sydere procreatum, cui quasi ab angue Lernæo, tot casa hostium capita de sanguine suo renascuntur.* [24] Qui autem ille senatus fuit? quum perorante Appio Cæco, pulsi cum muneribus suis ab Urbe legati, interroganti regi suo, quid de hostium sede sentirent, *Urbem templum sibi visam*, [25] *senatum regum confes-*

22 *O quam facile*] Lege: *quam facile*, & dele τὸ O, authoribus libris melioribus.

23 *Quum Pyrrhus, video me, inquit*] Lectionem non damnamus, & quis merito damnaret? sed cum in Nazariano legerim, *Cum Pyrrhus idem omne inquit*, optime emendo, & verissime: *Cum Pyrrhus idem, O me, inquit, plane Herculis sidere procreatum.* Ideo dixit, *Cum Pyrrhus idem*, quod tribus lineis ante scripserat, *quod adeo Pyrrhus miratus est.* Recte hic ergo: *Cum Pyrrhus idem.*

24 *Quis autem*] *Qui autem.* Ita Nazarianus.

25 *Senatum regum esse confiterentur*] Suspicionem meam non frustra cecidisse gaudeo, qua semper suspicatus sum aliquid huic loco deesse. Cum enim hoc legatorum responsum ita Plutarchus expresserit, ὡς ἡ σύγκλητος αὐτῷ βασιλέων πολλῶν συνέδριον, vere mihi persuadebam desiderari hic vocem aliquam ἰσόῤῥοπον illi συνέδριον. Nec secus fuit. Nam in Nazariano exemplari fidelissimo lego: *Senatum regnum Deum esse.* Unde statim faciebam: *Senatum regum sedem esse.* Nec aliter ferme Livius, quamvis pars ejus historiæ, qua gesta Pyrrhi cum Romanis descripsit, vulgo deperdita sit. Libro tamen IX. ad illud dictum legatorum Pyrrhi alludens ita scribit: *Ne singulos nominem, senatus ille, quem qui ex regibus constare dixit, unus veram speciem Romani senatus cepit.* Qui senatum igitur Romanum regum esse confessum dixit, ex regibus eum constare intellexit. Ita enim Plutarchus expressit, βασιλέων εἶναι συνέδριον. Floro senatus *regum sedes* dicitur, si scripturam Nazarianam emendamus, quæ disertè & clare exhibet: *Senatum regnum Deûm esse.* Quod cur sollicitemus, fortasse causæ non est. Aliud certe sequutus videtur noster Annæus. Cum enim hoc dictum referens, urbem templum visam esse legatis memoret, nihil minus de senatu pronuntiare debuit quam ejusdem templi veluti deos esse. Dixeris ergo Urbem Romæ templum esse, *senatum regnum Deûm.* Senatores nempe quasi deos in illo templo

Digitized by Google

confessam esse confiterentur. Qui porro ipsi duces, vel in castris? [26] quod medicum venale Pyrrhi regis caput offerentem Curius remisit: Fabricius oblatam sibi à rege imperii partem repudiavit. vel in pace: quum Curius fictilia sua Samnitico præferret auro: Fabricius decem pondo argenti circa Rufinum consularem virum, quasi luxuriam censoria gravitate damnaret. Quis ergo miretur his moribus, [27] virtute militum, victorem populum Romanum fuisse? unoque bello Tarentino intra quadriennium maximam partem Italiæ, fortissimas gentes, opulentissimas urbes, uberrimasque regiones in ditionem redegisse? Aut quid adeo fidem superet, quam si principia belli cum exitu conferantur? Victor primo prælio Pyrrhus, [28] tota tremente Italia, Campaniam, Lirim, Fregellasque populatus, prope captam Urbem à Prænestina arce prospexit: & à vicesimo lapide oculos trepidæ civitatis fumo ac pulvere implevit. Eodem postea bis exuto castris, bis saucio, & in Græciam suam trans mare ac terras fugato, pax & quies; [29] & tanta de opulentissimis tot gentibus spolia,

templo regnare. Sic Galli, cum urbem intrarunt à se captam, senatores in curulibus sedentes, quasi genios quosdam venerati sunt.

26 *Quum medicum*] Placet vetus lectio: *quod medicum.* Mox lege: *venale caput regis offerentem*, non *afferentem.*

27 *Virtute, militia*] Hic sine dubio corrigendum: *Quis ergo miretur his moribus, virtute militum, victorem populum Romanum fuisse.* Ex omnibus libris.

28 *Totam trementem Campaniam, Lirim, Fregellasque populatus*] Si totam Campaniam populatus erat, ergo & Fregellas, & Lirim absque dubio. Satis itaque dictum esset: *totam Campaniam populatus.* Sed omnino legendum: *Victor primo prælio Pyrrhus, tota tremente Campania, Lirim Fregellasque populatus.*

29 *Et tanta adeo*] Omnes scripti cum prisca editione, quam in consilium adhibuit Gruterus noster, legunt: *Et tanta de opulentissimis tot gentibus spolia.* Absque illa dictione, *adeo.* Quam per me tollas licet.

Digitized by Google

lia, ut victoriam suam Roma non caperet. 30 Nec enim temere alius pulchrior in Urbem, aut speciosior triumphus intravit. Ante hunc diem 31 nihil, nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidisses: tum si captivos aspiceres; Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Apulus, atque Lucanus: 32 si pompam, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Sed nihil libentius Populus Romanus aspexit, quam illas quas timuerat, cum turribus suis belluas: quæ non sine sensu captivitatis, summissis cervicibus victores equos sequebantur.

CAP. XIX.

1 Bellum Picens.

CDLXXXV. Omnis mox Italia pacem habuit. 2 Qui enim post Tarentum auderent? nisi quod ultro persequi socios hostium

30 *Nec enim temere ullus pulchrior*] Sed nec temere rejiciendum quod in iisdem scriptis habetur: *Nec enim temere alius pulchrior in urbem aut speciosior triumphus intravit.*

31 *Nihil nisi pecora Volscorum*] Vocula una auctior Nazarianus Codex: *Nihil nisi quasi pecora Volscorum.* Sed illa nihil habet heic quod agat, si quid recte judico. Jordanes habet: *Nihil præter pecora Volscorum.* Sic ille pro *nisi* maluit *præter*.

32 *Si pompas, aurum, purpura, signa*] Melior fortasse lectio librorum: *Si pompam.* Una siquidem triumphi pompa fuit, qua illa omnia traducta.

1 B*ellum Picenum*] Hic titulus hujus capitis in vulgatis. Sed Picenum non alias temere legi nisi pro nomine ipsius provinciæ. Nam Picenum Annonarium, & Picenum Suburbicarium dici cœpit, ubi in duas provincias ea regio divisa est sub ultimis imperatoribus. *Picenum* igitur est provinciæ nomen. ἐθνικὸν inde esset *Picenicus*. Sed *Picens* pro eo ac *Picentinus* dicitur veteribus. Et recte hic optimus Nazarianus scribit: *Bellum Picens*. Sic Plauto *Campans genus* pro Campano. Sic vetustissimi *Lucans*

pro

Digitized by Google

hostium placuit. Domiti ergo Picentes, & caput gentis Asculum; Sempronio duce: qui tremente inter prœlium campo, Tellurem deam, promissa æde, placavit.

CAP. XX.

Bellum Sallentinum.

SAllentini Picentibus additi, caputque regionis [1] Brundusium inclyto portu, [2] Marco Atilio duce. Et in hoc certamine, victoriæ pretium templum sibi pastoria Pales ultro poposcit. CDXXCVI. CDXXCVII.

CAP. XXI.

Bellum Volsiniense.

POstremi Italicorum in fidem venere Volsinii, opulentissimi Etruscorum, implorantes opem adversus servos quondam suos: qui libertatem à dominis datam, in ipsos erexerant, translataque in se republica, dominabantur. Sed hi quoque, duce Fabio Gurgite, pœnas dederunt. CDXXCVIII.

CAP.

pro Lucano. Atque inde *Lucas* pro eodem & Luca hinc *bos Lucans* vel *Lucas* Elephantus dictus priscis Romanis, quod in Lucania primum visus esset. Ex eo per corruptionem appellari cœpit *bos Luca*, qui prius appellaretur *Bos Lucans* vel *Lucas*.

2 *Qui enim post Tarentum auderent*] Et alia lectio est: *Quid enim post Tarentum auderent*. Sed excusa melior.

1 BRundusium cum inclyto portu*] Lege: *Brundusium inclyto portu*. Nam illud *cum* à sciolis insertum est, cum veteres eo careant. Infra: *Pyræus portus, sex & amplius muris*.

2 *Marco Atilio*] Nazarianus: *Masilio*. Corrupte pro *M. Asilio*, *Asilio*, pro *Atilio*, ut *Bisuisus*, pro *Bituitus*. Multum variant reliqui libri. Alii Atilio, alii *Artilio*, Jordanis denique *Vatilio*. Mendose omnes.

1 Exar-

Digitized by Google

CAP. XXII.

De seditionibus.

HÆc est secunda ætas populi Romani & quasi Adolescentia: qua maxime viruit, & quodam flore virtutis [1] exarsit ac ferbuit. Ita quæ inerat quædam adhuc ex pastoribus feritas, quiddam spirabat indomitum. Inde est,
CCCXXXIX. quod exercitus Posthumium Imperatorem, inficiantem, quas promiserat prædas, facta in castris seditione, lapida-
CCXXCII. vit: quod sub Appio Claudio noluit vincere hostem, quum
CCXXCI. posset: [2] quod duce Volerone, detrectantibus plerisque militiam, fracti consulis fasces: indè, quod clarissimos principes,

1 EXarsit ac ferbuit] Editi à Vineto fervuit. Quod idem est. Nazarianus: *exarsit & acferbuit. acferbuit* pro *adferbuit.* Legendum igitur: *exarsit & adferbuit. adferbescere* contrarium τῷ *deferbescere*, quod est apud Comicum, *defervescere adolescentiam.* Basileæ editi, quorum editioni præfuit ventosus atque ampullosus corrector, præferunt, *ac fremuit*, ineptissime. Videri tamen nonnemini posset Nazariani Codicis scripturam eo inclinare ut potius legatur: *exarsit ac ferbuit.* Sane antiquarium illius exemplaris sæpe observavimus duas lectiones ponere solitum, cum variantiam in libro unde describebat reperisset. Sic hoc loco cum quidam libri haberent, *& ferbuit*, alii *ac ferbuit*, utramque adposuit γράφειν, *& ac ferbuit.* Profecto fervorem hunc adolescentiæ idem Florus *fretum* appellavit in fine hujus libri: *Talis pace belloque populus Romanus, fretum illud adolescentiæ, id est, secundam Imperii ætatem habuit.* Palam est, *fretum* heic ab eo nova notione usurpari pro fervore. At *fretum*, etiam cum pro mari accipitur, Grammatici quoque à fervendo deducunt.

2 *Quod duce Volerone*] Libri omnes scriptum habent: *Valerio Nerone.* Haud scio utrum ab antiquario, an ab auctore hic error. Potuit sane in hoc nomine aliter concipiendo memoria labi auctor, ut sæpe in aliis lapsum deprehendi. Volero autem Publilius hic Tribunus plebis vocabatur. Sed Florum absolvit, & culpam in librarium transmovet, quod moris ei non est pluribus aliquem nominare nominibus. Aliquando solo nomine utitur, interdum vel prænomine ut in hoc Volerone, & infra cum *Spurium* tantum nominat ex solo prænomine qui Spurius Mælius erat.

3 Ut

pes, quum adversarentur voluntati suæ, exulatione multavit: [3] ut, Coriolanum colere agros jubentem; (nec mi- CCLXII.
nus ille ferociter injuriam armis vindicasset, nisi quod jam inferentem signa filium mater Veturia lacrimis suis exarmavit.) ut ipsum Camillum, quod inique inter plebem CLCXV.
& exercitum divisisse Vejentem prædam videretur. [4] Sed hic

3 *Ut Coriolanum colere agros jubentem*] Nescio unde alterius Palatini Codicis orta lectio, quæ habet: *colere ortos jubentem*. Nisi quod manifesto falsam pronuntiare licet. Opinor hoc illum velle. Per secessionem plebis agri inculti manserant. Inde annonæ caritas. Cujus levandæ gratia frumentum primo ex Etruria venit, quo plebs sustentata est. Deinde & ex Sicilia magna vis frumenti advecta. Quo tempore agitatum in senatu dicitur, quanti plebi daretur frumentum. Hoc faciebant ad plebem premendam, ut hac injuria coacta jus pristinum patribus redderet, quod secessione extorserant, conditione oblata laxandi annonam. Tum plebis inimicus Coriolanus in oratione quam habuit in senatu inter alia hæc verba fecit: *Audeo dicere hoc malo domitos ipsos potius cultores agrorum fore, quam ut armati per secessionem coli prohibeant*. Inde noster hoc loco, posuit: *Coriolanum colere agros jubentem*.

4 *Sed hic melior obsessis in capta urbe consuluit*] Correctores sapit hæc lectio. Nec aliud sane datur augurari, quam ab eorum commento esse. Aliter quippe scriptum exhibent omnia exemplaria, in quibus ut in veteri editione legere est: *hic melior in capta urbe consenuit*. Quid illis in mente fuerit qui sic mutaverunt, non video. Nam nihil absurdius aut ineptius. Non consuluit obsessis Camillus, sed cum jam auro recessum suum venditassent barbari, jamque Romani obsidione liberati essent ex pacto quod cum Gallis pepigerant, supervenit Camillus aurum adpendentibus, & statim occasione data in barbaros irruit, eosque urbe expulit. Sed demus eum obsessos aliquatenus adjuvisse, quid illis fiet aut quo referrentur, quæ sequuntur, *& mox supplices de hoste Gallo vindicavit*. Quomodo hæc exponemus? Quid igitur vult scripta lectione author? Hoc nisi fallor. Dixit principes clarissimos aliquot, qui adversati erant voluntati plebis, exilio multatos esse. Duos recenset nominatim, Coriolanum & Camillum, qui id passi sint. Et Coriolanum quidem, ut injuriam vindicaret, arma patriæ intulisse, quem vix mater lacrimis suis exarmaverit. At Camillum meliorem, consenuisse in capta à se urbe, Vejis nempe, quo exulatum concesserat, unde postea tamen ultor suis civibus advenit, quos de hoste Gallo vindicavit. Ceterum quod ait, Camillum in capta urbe consenuisse, non ad moram aut longum tempus exulationis referendum est, sed ad mæstitiam, tædium languoremque, & iners otium, quæ senio afficiebant hunc virum. Homines amantes, ut ait ille, ϗ ἐν ἤματι γηράσκουσι. Præterea hoc sumptum è Livio, qui lib. V. de Camillo

I exule,

CCLXII. hic melior, in capta Urbe consenuit; & mox supplices de hoste Gallo vindicavit. Cum Senatu quoque vehemen-
CCCLXIII. tius æquo bonoque certatum est; adeo, ut relictis sedibus solitudinem & interitum patriæ suæ minaretur.

Cap. XXIII.

CCLVII. Prima discordia ob impotentiam fœneratorum: quibus in terga quoque serviliter sævientibus, in Sacrum montem plebs armata secessit: ægreque, nec nisi
CCLX. Tribunos impetrasset, [1] Menenii Agrippæ facundi & sapientis viri auctoritate revocata est. Extat orationis antiquæ satis efficax ad concordiam fabula, qua *dissedisse inter se quondam humanos* dixit *artus, quod omnibus* [2] *opere fungentibus, solus venter immunis ageret: deinde moribundos* [3] *à sejunctione rediisse in gratiam, quando sensissent, quod ejus opera redactis in sanguinem cibis irrigarentur.*

Cap.

exule, cum audisset Romanos intra Capitolium à Gallis compulsos, ita scribit: *Qui mœstior ibi fortuna publica quam sua, cum diis hominibusque accusandis senesceret, indignando mirandoque ubi illi viri essent qui secum Vejos Faleriosque cœpissent.* Inde igitur sumpsit Annæus quod hic ait Camillum in urbe capta consenuisse, mærore nempe ac tædio & indignatione, non ætatis exactæ vitio. Hinc *Senium* sæpe Latini pro re ingrata & odiosa dicunt. Fatendum tamen est non idem dicere Florum, etsi idem fortasse dicere voluit. Nam cum dicat Camillum in capta urbe consenuisse, quis non intelligat ibi extremum ætatis tempus consumpsisse ac senectutem exegisse? Atqui falsum est tantum temporis in exilii loco contrivisse Camillum, ut dici queat ibidem consenuisse. At recte Livius, cum inquit: ibi Camillus mærore ac tædio, Diis hominibusque accusandis ob res patriæ afflictas senesceret. Senescebat, inquam, ibi Camillus, cum illa pateretur, quæ homines ante diem senio mature afficiunt, aut ut Græci Poëtæ loquuntur, αἶψα γήρᾳ ἀλέονται, at non consenuit.

1 M*Enenii Agrippæ*] Nazarianus Codex scribit, *Maneni*. Sed primam in Menenius breviant Poetæ Latini.

2 *Opere fungentibus*] Perperam alter Palatinus: *opera fugientibus*.

3 *A sejunctione rediisse*] Idem optimum exemplar legit: *sevinctione*. Quam vocem & alibi hoc sensu offendi, pro separatione ac segregatione, cui contrarium vinctio & vinculum.

1 Ut

Digitized by Google

Cap. XXIV.

SEcundam in Urbe media decemviratus libido confla- CCCCIII.
vit. Allatas à Græcia leges decem principes lecti, jubente populo conscripserant: ordinataque erat in duodecim tabulis tota justitia: quum tamen traditos fasces regio quodam furore retinebant. Ante cæteros Appius eo insolentiæ elatus est, ut ingenuam virginem stupro destinaret, oblitus & Lucretiæ, & regum, & juris quod ipse composuerat. Itaque quum oppressam judicio filiam trahi in servitutem videret Virginius pater; nihil cunctatus, in medio foro manu sua interfecit: admotisque signis commilitonum, totam eam dominationem obsessam armis, in carcerem & catenas ab Aventino monte detraxit.

Cap. XXV.

TErtiam seditionem excitavit matrimoniorum digni- CCCVIII.
tas; [1] ut plebes cum patriciis jungerentur: qui tumultus in monte Janiculo, duce Canuleio Tribuno plebis, exarsit.

Cap. XXVI.

QUartam honorum cupido, ut plebeji quoque magistra- CCCXXCV.
tus crearentur. Fabius Ambustus duarum pater, alteram Sulpicio patricii sanguinis dederat, [1] alteram plebejo

1 UT *plebeji cum patriciis*] Repone veterem lectionem: *ut plebes cum patriciis jungerentur*. Ita Nazarianus. Recentiores: *plebs*. Idem Nazar. *Tertiam seditionem excitavit*, pro *incitavit*. Sequenti cap. *ut plebes quoque magistratus crearentur*, legitur in eodem Nazariano, & verum est.

1 ALteram plebejo Stoloni. Hæc quodam tempore] In Nazariano est: *alteram plebejo Stolo. Quodam tempore quod littoriæ virgæ sonum* &c. In altero etiam Palatino habetur: *alteram plebejo Stoloni quodam tempore*. Nec agno-

Digitized by Google

bejo Stoloni. Hæc quodam tempore, quod lictoriæ virgæ sonum ignotum penatibus suis expaverat, à sorore sa-
CCCXXCVII. tis insolenter irrisa, injuriam non tulit. Itaque nactus tribunatum, honorum & magistratuum consortium, quamvis invito senatui extorsit. Verum in his ipsis seditionibus, principem populum non immerito suspexeris. Siquidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, honorum decora & insignia vindicavit; interque hæc omnia, nullius acrior custos, quam Libertatis fuit; nullaque in pretium ejus potuit largitione corrumpi; quum, ut in magno, & in dies majore populo, interim perni-
CCLXVIII. ciosi cives existerent. [2] Spurium Cassium, Agraria lege; Mælium, largitione suspectum regiæ dominationis, præsenti

agnoscunt pronomen *hæc*. Non dubito reponere: *alteram plebejo Stoloni, quæ quodam tempore, quod lictoriæ virgæ sonum.*

2 *Spurium Cassium, Agraria lege; Manlium largitione*] Ita scripsit non Florus ipse, sed rescripsere correctores. Indicium facit primum vetus omnis lectio quæ aliter habet. Deinde mos perpetuus Flori homines unico nomine appellantis. Sic agitur ex libris optimus habet Nazarianus: *Largitione Cassium agraria lege suspectum regiæ dominationis præsenti morte multavit.* Nec aliter exhibet posterior Palatinus. At in priore scribitur: *Sp. Cassium agraria lege suspectum regiæ dominationis.* Quam scripturam corruptissimam esse liquet ac mancam. Altera illa minus vitiosa. Non tamen in ea comparet Mælii nomen, quod heic locum habere debet. Jam illud certum est, Florum heic distinguere Cassium à Spurio. Sic enim paulo post infert: *Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumpsit.* Ergo Spurius illi proprie dicitur, qui Spurius Mælius prænomine ac nomine dictus. Atqui non de hoc supplicium pater suus sumpsit, sed de Cassio, cui Spurio etiam prænomen fuit. Male itaque Florus noster, cum uterque Spurii prænomen habuerit, alterum tantum hac nota significat. Quod ad lectionem quidem ejus integrandam attinet, ordo quo usus est, & priscæ lectionis vestigium ita eum scripsisse ostendunt: *Spurium largitione, Cassium agraria lege suspectum regiæ dominationis præsenti morte multavit. Ac de Spurio quidem supplicium pater ipsius sumpsit. Hunc Quintii dictatoris imperio in medio foro magister equitum Servilius Ahala confodit.* Nihil verius hac lectione. In qua tamen duplex hallucinatio Flori notanda est. Prima, quod unum ex his Spurii prænomine insignem proprie appellat, cum uterque sic vocatus sit. Altera, quod Mælio

ſenti morte multavit. [3] Ac de Spurio quidem ſupplicium pater ipſius ſumpſit: hunc Quinctii dictatoris imperio, CCCXIIII. in medio foro magiſter equitum Servilius Ahala confodit. Manlium vero Capitolii vindicem, quia pleroſque debi- CCCLXX. torum liberaverat, altius ſe & incivilius efferentem, ab illa quam defenderat, arce dejecit. Talis domi ac foris; talis pace belloque Populus Romanus, [4] fretum illud adoleſcentiæ, id eſt, ſecundam imperii ætatem habuit; in qua totam inter Alpes fretumque Italiam armis ſubegit.


LI-

ſio tribuit, quod Caſſio competebat. Non enim de Mælio ſed de Caſſio ſupplicium patrem ſumpſiſſe memoratum eſt.

3 *Ac de Spurio quidem ſupplicium pater ipſius ſumpſit*] Pro vero adfirmat, de quo adeo dubitatum eſt, ut alteram opinionem certiorem adſtruat Livius. Poſtquam enim meminit auctorem iſtius ſupplicii fuiſſe patrem, ſtatim addit inveniſſe apud quoſdam, idque propius fidem eſſe, à quæſtoribus Fabio & Valerio diem illi dictum perduellionis, & judicio potius publico populi, quam patris privato damnatum.

4 *Fretum illud adoleſcentiæ*] Nova heic notione *fretum* pro fervore poſuit. Sic enim ſupra dixit: *Hæc eſt ſecunda ætas populi Romani, & quaſi adoleſcentia, qua maxime viruit, & quodam flore virtutis exarſit ac ferbuit.* Idem hoc loco repetens *fretum adoleſcentiæ* vocat, & ſecundam imperii ætatem. Fretum itaque à fervendo.

Digitized by Google



LIBER SECUNDUS

CAP. I.

PROOEMIUM.

DOmita subactaque Italia, Populus Romanus prope quingentesimum annum agens, quum bona fide adolevisset; si quod est robur, [1] si qua juventas; tum ille vere robustus, & juvenis, & par orbi terrarum esse cœpit. [2] Ita, (mirum, & incredibile dictu) [3] qui prope quingentis annis

1 SI *qua juventa*] In vetustissimo & optimo Nazariano lego, *Juventas*. Quomodo scripsisse Florum non dubitem. Veteres Glossæ: *Juventas*, ἥβη.

2 *Itaque (mirum & incredibile dictu*] Omnes libri, Nazarianus & duo Palatini: *Ita, mirum & incredibile dictu, qui prope quingentis annis domi luctatus est.*

3 *Qui prope quingentis annis*] Legitur in eodem Nazariano: *Qui prope quingentis annis qui sequuntur, Africam, Europam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragravit.* Quæ mutila sunt. Nam integra & vera aliorum Codicum editionumque scriptura: *qui prope quingentis annis domi luctatus est, adeo difficile fuerat dare Italiæ caput, his ducentis annis qui sequuntur.* Hanc juventam & robustam populi Romani ætatem hoc loco ducentis annis determinat, ad Cæsarem usque Augustum. At in prologo operis huic robustæ imperii maturitati ducentos quinquaginta annos assignat. *Hinc ad Cæsarem*, inquit, *Augustum ducenti quinquaginta anni, quibus totum orbem pacavit.* Et certe à Romulo ad Cæsarem Augustum septingentos annos numerat. Ex his ducentos quinquaginta annos ætati dat quæ sub regibus, quam infantiam imperii ponit. Deinde à primis consulibus usque ad Appium Claudium & Quintum Fulvium consules ejusdem adolescentiam per ducentos annos patere facit. Sic anni quadringenti & quinquaginta exeunt. Restant

Digitized by Google

annis domi luctatus est (adeo difficile fuerat dare Italiæ caput) his ducentis annis, qui sequuntur, Africam, Europam, Asiam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragravit.

CAP. II.

Primum bellum Punicum.

IGitur victor Italiæ Populus, quum à terra fretum usque venisset, more ignis, qui obvias populatus incendio silvas, interveniente flumine abrumpitur, paullisper substitit. Mox quum videret [1] opulentissimam in proximo præ- CDXXCIX.

Restant ducenti quinquaginta usque ad Augustum, quibus totum orbem pacasse dicit, ut septingenti fiant. Nec scio cur hic ducentos tantum assignet. Quod tamen etiam infra repetit in Anacephalæosi libri tertii, ubi tertiam hanc ætatem populi Romani transmarinam, qua Italia progressus arma toto orbe circumtulit, ducentis annis rotundis definit. Horum quippe superiores centum sanctos, pios & aureos, sine scelere ac flagitio fuisse dicit. Postremos alteros centum in Cæsarem & Pompejum sequutumque hos Augustum, ut claritate rerum bellicarum magnificos, ita domesticis cladibus miseros & erubescendos. Ita parum sibi constat noster. Certe idem utrobique dicere debuit. Simile porro est quod heic perhibet, quingentis prope annis domi luctatum esse populum Romanum. At in prologo dixerat, prope ducentos quinquaginta per annos circa ipsam matrem cum finitimis luctatum fuisse. Hoc est, domi. Nam tota Italia quam intra illos quingentos annos subegerunt Romani, non ipsorum proprie domus fuit. Non mirabitur lector si ἀκρίβειαν aliquando majorem in hoc auctore nos requirere fateamur.

1 *Opulentissimam in proximo prædam, quodammodo Italiæ suæ abscisam ac revulsam*] Hæc præda Sicilia est quam Italiæ abscisam mari ac revulsam, cum olim continens illa terra esset, inter omnes convenit. Nescio quomodo tamen haud satis concoquo, prædam eam dici abscisam ac revulsam Italiæ, cum aut Siciliam nominari, aut terram magis conveniret, quæ revulsa & abrupta diceretur Italiæ suæ. Sed talium cacozeliarum plenus iste, qui, dum elegantias affectat, sæpe in hoc vitium incidit.

2 Ut

prædam, quodammodo Italiæ suæ abscisam, & quasi revulsam; adeo cupiditate ejus exarsit, [2] ut quatenus mare nec mole jungi, nec pontibus posset, armis belloque jungenda, & [3] ad continentem suam revocanda bello videretur. [4] Sed ecce ultro ipsis viam pandentibus fatis, nec occasio defuit; quum de Pœnorum impotentia fœderata Siciliæ civitas Messana quereretur. [5] Affectabat autem ut Roma-

2 *Ut quatenus nec mole jungi*] Ita doctissimi viri correxerunt. Omnino recte. *More* pro *mole* vitiose scriptum erat. Inde illud *more* in *mare* mutarunt imperiti scribæ. Sic infra libro tertio, *gravi mole* pro *gravi more* reposuimus, quo loco habebant editi *gravi timore*. In vita Probi ubi legitur: *dejectis in altum navibus*, *naribus* aut *maribus* habent membranæ. Ex quo etiam fecimus, *molibus*. Vereor tamen ne adhuc aliquid requirendum sit ad sanitatem loci plenius reducendam. Certe Nazarianus codex aliud quid tentandum suadet, dum sic legit: *Ut quatenus nec mare, & nec mole jungi nec pontibus possit, armis belloque jungendum & ad continentem suam revocandum bello videretur*. Fallor utique aut scripsit auctor: *Ut quatenus mare nec mole jungi, nec pontibus posset, armis belloque jungendum, & ad continentem suam bello revocandum videretur*. Mare discidium fecit ac divortium inter Siciliam ac Italiam, continentemque terram interrupit. Quatenus ergo nec mole jungi nec pontibus poterat illud mare, bello armisque jungendum & ad continentem suam revocandum Romano visum est. Melius etiam fortasse legeretur: *Ut quatenus mare nec mole jungi, nec pontibus posset, armis belloque jungenda & ad continentem suam revocanda bello videretur*. Non enim recte dicatur mare ad continentem suam revocari. At belle hoc dicas de ipsa Sicilia, quæ olim mari abrupta & continenti suæ revulsa, mox in continentem suam, unde abscisa olim fuit, revocanda bello & armis, quatenus mare, quod intervenerat, ponte aut mole jungi nequiret. Certe alii Codices hanc correctionem firmare videntur, qui habent: *jungendam* & *revocandam*.

3 *Ad continentem suum*] Hanc lectionem magis probavit Gruterus noster. Aliud mihi videtur, & magis placet quod habent nostri: *continentem suam*. Nam continens cum dicitur, semper intelligitur terra. Mela & Plinius integre expressere, & *continentem terram* dixere. De quo nos alibi.

4 *Sed ecce ultro ipsis viam pandentibus fatis*] Libri nostri meliores: *Et ecce se ultro ipsis viam pandentibus fatis*. Probo quidem illud *&*, pro *sed*. At Syllabæ *se*, locum non invenio. Nisi forte legendum *eccere*, quod pro *ecce* usurpasse quosdam notat vetus Glossarium. *Eccere*, *ibi*.

5 *Affectabat enim*] Melius ex iisdem libris: *Affectabat autem ut Romanus, ita Pœnus Siciliam*.

6 Vere-

Romanus, ita Pœnus Siciliam; & eodem tempore, paribus uterque votis ac viribus, imperium orbis agitabat. Igitur specie quidem socios juvandi, re autem sollicitante præda; quanquam territaret novitas rei, (tanta tamen in virtute fiducia est) ille rudis, ille pastorius populus, [6] vereque terrester, ostendit nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimi- CDXXCIX.
caretur. Appio Claudio consule [7] primum fretum ingressus est, [8] fabulosis infame monstris, æstuque violentum: sed adeo non est exterritus, ut illam ipsam ruentis æstus violentiam [9] pro munere amplecteretur: statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum regem tanta celeritate vicit, ut ille ipse se prius victum, quam hostem videret, fateretur. Duillio CDXCIII.
Corne-

6 *Vereque terrester*] τῷ ὄντι ἠπειρώτης & ex illis populis Homericis οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν. Sic terrestrem hic maritimo opponit. Ita *terrestre iter* dicitur, quod terra fit, non mari. Alias terrester etiam γηγενὴ notat & terra natum, quales se haberi volebant rudes & casci populi illi quorum ignorabatur origo.

7 *Primum fretum ingressus est*] Nazarianus cum veteri editione: *Primum fretum tum ingressus est*. Illud *tum* παρέλκει non est dubium si distinguimus, ut est in editis: *Appio Claudio consule primum fretum tum ingressus est*. Sed mutanda omnino cum hac lectione distinctio, ac legendum: *Ille rudis, ille pastorius populus vereque terrester, ostendit nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur, Appio Claudio consule. Primum fretum tum ingressus est*. Appio, inquit, Claudio consule ostendit ille antea terrester tantum populus nihil interesse virtutis terra an mari dimicaretur. Tum primum fretum quippe ingressus est. Appii Claudii consulatum quasi principium firmatæ ætatis ac robustæ maturitatis in populo Romano notavit, quo Italia progredi ausus & è terra sua exire, maritimus repente factus, cum transmarinis provinciis domandis toto orbe arma circumferre cœpit.

8 *Fabulosis infame monstris*] Veteres Jordanei libri: *fabulosis fama monstris æstuque violentum*. τὰ πάλαι μυθολογούμενα καὶ φημιζόμενα intelligeret. Sed omnino recta est Flori librorum scriptura. Scyllam vero & Charybdim designat, Siculi maris fabulosa monstra.

9 *Pro munere amplecteretur*] Explicat, & addit Jordanes: *Quod velocitas navium mari juvaretur*. Quæ Flori si quis verba esse credit, profecto fallitur.

Digitized by Google

Cornelioque consulibus, etiam mari congredi ausus est, [10] quum quidem ipsa velocitas classis comparatæ victoriæ auspicium fuit. Intra enim sexagesimum diem quam cæsa silva fuerat, centum sexaginta navium classis in anchoris stetit; ut non arte factæ, sed quodam munere deorum conversæ in naves, atque mutatæ arbores viderentur. [11] Prœlii vero forma mirabilis: quum illas celeres volucresque hostium naves hæ graves tardæque comprehenderent. Longe illis nauticæ artes, [12] detergere remos, & ludificari fuga rostra. Injectæ enim ferreæ manus, [13] machinæque aliæ, ante certamen multum ab hoste derisæ: coactique hostes quasi in solido decernere. Victor ergo apud Liparas, [14] mersa & fugata hostium classe, primum illum mari-

10 *Tum quidem ipsa velocitas*] Non negabit verius esse, *cum quidem velocitas*, qui Flori imbiberit genium, & eius loquelæ assueverit. Ab omnibus Flori libris vox abest *victoriæ*. Jordanis scripti Codices, *& victoriæ* scriptum habent. Et sane vocem *victoriæ* recte abesse nullus negem. Nec præter solitum levis Jordanes, qui illam adtexuit. Pro *auspicium*, etiam *auspicio* legerim: *Cum quidem ipsa velocitas classis comparatæ, auspicio fuit.* Etsi *auspicium* rectum esse non nesciam. Ait Florus rem auspicatam illam fuisse Romanis, & bene ominatam, quod tam velociter classem comparaverint: ipsi antea τῶν ναυτικῶν ἄπειροι. Qui mihi igitur assentiendum putabit, *victoriæ* statim deleverit.

11 *Prælii forma mirabilis*] Libri Flori: *fama*. Jornandini: *forma*, & melius. Nec aliter scriptum reliquit Florus, & ita recte jam obtinere voluerunt viri docti.

12 *Detorquere remos*] Audio doctissimum virum rescribentem *detergere*. Sed cum renitantur omnes libri, cum veteres excusi, tum calamo exarati, fortasse nihil mutandum. Jordanis scripti: *remos detorqueri*. Nec aliter videtur scriptum reperisse in Flori exemplaribus quibus usus est. Græci in eadem re [illegible]γούρειν utuntur, quod convenit cum verbo *detorquere*. Posset tamen vitium videri vetus, *detorguere* pro *deterguere*. Ut *voster*, *revolsus*, & similia. Inde literulæ mutatione *detorquere* factum. & hoc verius puto.

13 *Machinæque aliæ*] Jordanis libri veteres: *machinæque validæ*. Quod minus rectum est.

14 *Mersa & fugata*] *Mersa aut fugata* iidem libri: & magis probem.

15 *Unius*

Digitized by Google

maritimum egit triumphum. Cujus quod gaudium fuit? quum Duilius Imperator, non contentus [15] unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi à cœna rediret, prælucere funalia, præcinere sibi tibias jussit, quasi quotidie triumpharet. [16] Præ tanta victoria leve prælii damnum, alter consulum interceptus [17] Asina Cornelius: qui simulato colloquio evocatus, atque ita oppressus est; perfidiæ Punicæ documentum. Calatino dictatore, fere omnia præsidia Pœnorum Agrigento, Drepanis, [18] Panormo, Eryce, Lilybæo detraxit. CDXCIV. Trepidatum est semel circa Camerinensium saltum: sed eximia virtute Calpurnii Flammæ tribuni militum evasimus, qui lecta trecentorum manu, [19] infestum & insessum ab hostibus tumulum occupavit, adeo-

15 *Unius diei triumpho*] Optimæ membranæ: *unius die triumpho*. Ἀρχαϊκῶς. *Libra die somnique pares*. Vide Gellium.

16 *Præ tanta victoria leve hujus*] Leviter trajecta vox *hujus*, quam ita restituimus: *Præ tanta hujus victoria leve prælis damnum fuit*. Præ victoria hujus Duillii, leve damnum fuit prœlii, altero Consule intercepto. Hoc omnino verum est. Puto etiam distinctione mutata scribendum: *Præ tanta hujus victoria leve prælii damnum fuit, alter consulum interceptus Cornelius Asina*.

17 *Cornelius Asina*] Nazarii liber: *Asina Cornelius*. uterque Palatinus cum vetustis Jordanis libris, *Sagina Cornelius* habet. Sed verum hujus Consulis cognomen *Asina*.

18 *Panormo, Eryce*] In Nazariano, *Eryco*. In altero Palatino: *Erica*. & fortasse verum est. Ἐρύκη, urbs Siciliæ. Latine *Eryca*. Nos *Eryco* tamen retinemus. *Erycus* pro *Eryx*.

19 *Infestum & insessum ab hostibus tumulum*] In mentem aliquando venerat, *infestum* hoc loco ex variante lectione natum. Hujus mentis mihi auctor Jordanes, qui ita hunc locum ex Floro retulit. *Qui lecta trecentorum manu insessum hostibus tumulum occupavit*. Nunc agnosco nihil ex Flori verbis esse tollendum. Non tantum insessus ab hostibus ille tumulus, sed etiam infestus & iniquus fuit Romano. Epitomes Livianæ auctor lib. XVII. eamdem hanc rem narrans: *Attilius Calatinus consul, cum in locum iniquum à Pœnis circumsessum temere duxisset exercitum, M. Calpurnii tribuni militum virtute & opera evasit*. Notandum porro, non insessum ab hostibus dicere illum tumulum, sed circumsessum. in medio quippe hostium situs, ad

Digitized by Google

adeoque moratus hostem, dum exercitus omnis evaderet: ac sic pulcherrimo exitu Thermopylarum & Leonidæ famam adæquavit: hoc illustrior noster, quod expeditioni tantæ su-
CDXCVI. perfuit & supervixit, [20] licet nihil scripserit sanguine. Lucio Cornelio Scipione, quum jam Sicilia suburbana esset populi Romani provincia; [21] serpente latius bello, Sardiniam

ad quem eruptione per medios hostes facta capiendum contendit Calpurnius, ut Pœnos in se converteret, & spatium daret cetero exercitui evadendi. Quod non solum ex illo Epitomes loco noscimus, sed etiam ex altero Livii lib. XXII. ex oratione Manlii Torquati, ubi hæc verba: *Sicut nobis adolescentibus priore Punico bello Calpurnius Flamma trecentis voluntariis, cum ad tumulum eos capiendum situm inter medios hostes duceret, dixit, moriamur milites, & morte nostra eripiamus ex obsidione circumventas legiones.* Non igitur insessus ab hostibus ille tumulus, ut heic vult Florus, sed circumsessus, nec deturbandi hostes ex illo loco fuere, quem non occupaverunt, sed his perruptis vacuus fuit capiendus. Ideo infestum & iniquum dixit illum tumulum, quia eum hostes circumsedebant.

20 *Licet nihil scripserit sanguine*] Hallucinatio Flori, qui Leonidæ imprudens attribuit quod erat Othryadis. Nihil enim sanguine scripsit Leonidas, cujus saltem restet memoria in veterum scriptis. Sed ab omnibus id de Othryade proditum, Poëtis & πεζογράφοις. Anthologiæ tertio:

Ἄρσενι δ' Ὀθρυάδαο φόνῳ κεκαλυμμένον ὅπλον
Καρύστει, θυρία ζῶ λακεδαιμονίων.

Idem in aliis epigrammatis legimus. *Licet nihil inscripserit sanguine*, scriptura est Jordaneorum Codicum. Vulgo *scripserit* in Floro legitur. ut Florus scripsit.

21 *Serpente latius bello, in Sardiniam*] *In* abest omnibus libris. Jordanes etiam legit: *Sardiniam eique annexam Corsicam transit.* Quidam libri: *Cossuram.* Sed *Corsicam* verum est. Sequitur: *ubi & sic Caralæ urbis excidio incolas terruit.* Infruniti correctores *Caralam* hîc, & urbem quam nescio sibi somniarunt. Sed illos homines missos faciamus, quorum nobis οὐ λόγος οὐτ' ἀριθμός. Optimæ & vetustissimæ Divi Nazarii membranæ, hac etiam in parte corruptæ leviter sunt, sed ita ut non arduum sit ex illis conjicere veram lectionem. Habent autem: *Olbiæ hic Baleriæ urbis.* Unde verissimam conjecturam eruo: *Olbiæ hic, ibi Aleriæ urbis excidio incolas terruit. Hic*, in Sardinia nimirum, Olbiam urbem expugnavit. *Ibi*, nempe in Corsica Aleriam excidit. Ait Romanos serpente latius bello ex suburbana tum provincia in Sardiniam eique adnexam Corsicam transisse, & in hac insula Olbiam, in illa Aleriam cepisse, Olbia Sardiniæ urbs. Stephanus varias urbes hoc nomine recensens, ἕκτη, inquit, Σαρδοῦς. At Aleria

Digitized by Google

niam annexamque ei Corsicam transit. Olbiæ hic, ibi Aleriæ urbis excidio incolas terruit; adeoque omnes terra,
22 marique Pœnos expugnavit, ut jam victoriæ nihil nisi Africa ipsa restaret. Marco Attilio Regulo duce jam in CDXCVII.
Africam navigabat bellum, nec deerant, qui ipso Punici maris nomine, ac terrore deficerent, augente insuper
24 Tri-

Aleria Corsicæ. In Corsica à Ptolemæo recensetur Ἀλερία κολωνία. Apparet colonos in eam urbem à Romanis deductos postquam a Lucio Cornelio expugnata fuit. Notat Epitomes Livianæ auctor *L. Cornelium consulem contra Sardos & Corsos & Hannonem Pœnorum ducem feliciter pugnasse.* Quod de hac victoria & urbium in Sardinia Corsicaque suprascriptarum excidio intelligendum. Vide quanti sit momenti bonos & fideles libros inspexisse. Absque illo Nazariano foret, æternum hic locus in mendo jacuisset. Nam cæteri omnes libri hac parte profligatissimi nihil fere opis dabant ad extricandam veritatem. In priore Palatino legitur: *Ubi & hic Halenet urbis.* Posterior ita scriptum præfert: *Ubi & hic Baleriæ urbis.* Vetus editio: *Ubi & hic Halenæ.* Correctores porro ex his fecerunt: *Ubi & sic Caralæ urbis.* Proclivius erat facere: *Ubi & sic Valeriæ urbis.* Nam Valeria urbs in Sardinia. Ptolemæo Οὐαλερία πόλις in ea insula ponitur. Sed omnino vera lectio quam supra reposuimus. Flori codices etiam corrupti fuisse videntur ætate Jordanis, in cujus libris ita descriptum offendi: *Olbiam ibi Aleriæ urbis.* Verius puto cum sanam in his lectionem reperisset, nec intellexisset, ita mutasse.

22 *Mari Pœnos expugnavit*] Diu est cum suspectum habeo hoc verbum, *expugnavit.* Quid enim est, *mari Pœnos expugnare*? Nec Latina est, nec proba loquutio. Nazarianus non plana via veritatem ostendit, sed digitum ad eam prorsus intendit scribendo, *repugnavit.* Quod ego statim arripui, ac scripsi, *repurgavit.* Elegans porro nec protritum loquendi genus, *Pœnos mari & terra repurgare*, cum tamen potius dicendum videretur, *mare ac terram Pœnis repurgavit.* Sic libro quarto, etsi in re dissimili ac diversa, *aurum venis repurgare* dixit. Hæc scripseram cum & veteres Jordanis Codices consulendos duxi, in quibus plane reperi: *adeoque omni terra & mari Pœnos purgavit.* Quæ scriptura vehementer sententiam meam stabilivit. Sed purgavit in Jordane falsum est. Nam *repurgavit* omnino scribendum, id est, tanquam purgamenta rejecit.

23 *Qui ipso Punico maris nomine*] Restituenda lectio vetus: *Punici maris nomine.* Nam male in veteri editione *Punico* legebatur. Meliores libri constanter *Punici* retinent. Jordanes: *qui in ipso Punici maris nomine.*

 24 Tri-

24 Tribuno Mannio metum: in quem nisi paruisset securi districta Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam. Mox ventis remisque properatum est: tantusque terror hostici adventus Pœnis fuit, ut apertis pœne portis Carthago caperetur. Prima belli præmium fuit civitas Clypea: prima enim à Punico littore quasi arx & specula procurrit. Et hæc, & trecenta amplius castella vastata sunt. Nec cum hominibus, sed cum monstris quoque dimicatum est; quum quasi in vindictam Africæ nata miræ magnitudinis serpens, posita apud Bragadam castra vexaret. Sed omnium victor Regulus, 25 quum terrorem nominis sui late circumtulisset; quumque magnam vim juventutis, ducesque ipsos 26 aut cepisset, aut haberet in vinculis; classemque ingenti præda onustam, & triumpho gravem, in Urbem præmisisset; etiam ipsam belli caput Carthaginem urgebat obsidio,

24 *Tribuno Mannio*] Nomen hujus Tribuni ita varie conceptum in scriptis libris, ut arduum sit aliquid certi ex illa varietate statuere, libris præsertim Livii deperditis, unde hæc sumpta. Nazarianus: *Nautrio.* Palatini duo: *Naurio.* Jordanis libri: *Natio.* Forte *Nautio.* Nautiorum familia notissima. Sed otii penuria prohibet pluribus hæc discutere, quod alias, si Deus faverit, facere statui.

25 *Quum terrorem nominis sui*] Vetus quidam liber: *terrorem in omnes sui circumtulisset.* Quæ minime mihi arridet lectio, nec mutatam velim aut rejectam quæ edita est, cum & melior sit, & plures habeat fautores libros vetustissimos.

26 *Aut cecidisset, aut haberet in vinculis*] Jordanes legit: *aut cepisset.* Cui consentiunt omnes Flori calamo scripti libri. Quam qui volet etiam lectionem afferat. Mihi ut non respuenda videtur, ita nec vulgata mutanda. Nam credibile est non alios habuisse in vinculis, quam quos ceperat. Nisi dicimus multos quos ceperat dimisisse, & ita locum haberet illa Jordanis, & librorum veterum γραφή. Sane consensum hunc librorum parvi pendere non possum. nec dubito quin verior sit lectio, *cepisset.* Sic enim hæc procedunt. *cum magnam vim juventutis ducesque ipsos aut cepisset aut haberet in vinculis.* Prius ad prius refertur, secundum secundo convenit. Ita enim accipiendum ac si scripsisset: cum magnam vim juventutis cepisset, ducesque ipsos haberet in vinculis. Multos ex juventute captivos abduxerat, ducesque habebat in vinculis. Solos duces in vinculis habitos significat.

27 Par

Digitized by Google

dio, ipsisque portis inhærebat. Hic paullulum circumacta fortuna est; tantum, ut plura essent Romanæ virtutis insignia: cujus fere magnitudo calamitatibus approbatur. Nam conversis ad externa auxilia hostibus; quum Xanthippum illis CDXCVIII.
ducem Lacedæmon misisset, à viro militiæ peritissimo vincimur. Tum fœda clade, Romanisque usu incognita, vivus in manus hostium venit fortissimus imperator. Sed ille quidem [27] par tantæ calamitati fuit. Nam nec Punico carcere infractus est, nec legatione suscepta: quippe diversa, quam hostes mandaverant, censuit; [28] ne pax fieret, nec commutatio captivorum reciperetur. Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec ultimo sive carceris, sive crucis supplicio deformata majestas; imo his omnibus admirabilior, quid aliud quam victus de victoribus, atque etiam, quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphavit? Populus autem Romanus multo acrior infestiorque pro ultione Reguli, quam pro victoria fuit. Metello igi- DII.
tur consule spirantibus altius Pœnis, & reverso in Siciliam bello, apud Panormum sic hostes cecidit, [29] ut ne amplius

27 *Par tantæ calamitatis*] Ita Jordanis & Nazarii libri. Uterque autem Palatinus: *calamitati*. Nec aliter legendum, quamvis aliter visum sit Grutero nostro. Ridiculum enim censeo componi Regulum cum calamitate quasi gladiatorem. Par fuit illi calamitati, quem non infregit illa calamitas.

28 *Ne pax fieret, ne commutatione captivorum reciperetur*] Melius quod est in Nazariano & Jordaneis: *ne pax fieret, nec commutatione captivorum reciperetur*. Lege etiam: *commutatio*.

29 *Ut nec amplius eam insulam concitarent*] Lege primum: *ut ne amplius*. Sic enim legunt optimi libri. Pro *concitarent*, divinarat doctissimus Lipsius, *cogitarent*, optima sane cogitatione. Sic enim etiam supra legerim: *Affectabat autem ut Romanus ita Pœnus Siciliam, & eodem tempore paribus uterque votis ac viribus imperium orbis cogitabat*. Conjecturæ Lipsii plane suffragatur optimus ille Divi Nazarii liber, qui plane *concitarent* exhibet. *c* pro *g*, ut in eodem *cessit* pro *gessit*, *recirare* pro *regirare*, & similia eodem modo scripta, ut multis locis observavimus. Nec aliter olim lectum fuisse in Flori libris ex Jordane colligi potest, apud quem scribitur: *adgredi*

Digitized by Google

plius eam insulam cogitarent. Argumentum ingentis victoriæ, centum circiter elephantorum captivitas; [30] sic quoque magna præda si gregem illum non bello, sed venatione cepisset. [31] Appio Claudio consule, non ab hostibus sed à diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat; ibi statim
DIII. classe demersa, ubi ille præcipitari pullos jusserat, quod pugnare ab his vetaretur. Marco Fabio Buteone consule, classem hostium in Africo mari apud Ægimurum, jam in Italiam ultro navigantem cecidit. Quantus ô tunc triumphus tempestate intercidit, quum opulenta præda classis, adversis acta ventis, naufragio suo Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, insularum littora, implevit! Magna clades, sed non sine aliqua principis populi dignitate; interceptam tempestate victoriam, & triumphum periisse naufragio; & tamen, quum Punicæ prædæ omnibus promontoriis [32] insulisque frustarentur & fluitarent, [33] po-

gredi cogitarent. Quis non videt illud *adgredi*, additum ab ipso Jordane, qui non capiebat usitatum veteribus hoc loquendi genus? Reducenda primum vetus lectio quæ habet: *Nec ultimo sive carcere seu crucis supplicio deformata majestas.* Deinde lector admonendus *ultimo* heic adverbiale esse. Nec enim ultimum carceris aut crucis supplicium hoc loco intelligendum. Dixit non carcere Punico infractum esse Regulum cum primum in carcerem conjectus est, non deinde legatione suscepta, qua diversum censuit quam hostes mandaverant, ne pax fieret, ac ne captivorum commutatio admitteretur. Sed nec illo voluntatio ad hostes reditu infractus est. Nec ultimo aut carcere in quem retrusus est cum rediit, nec crucis supplicio deformata majestas. Sic *ultimo* Suetonius usurpat, item Arnobius, ut alibi pluribus ostendam.

30 *Sic quoque magna præda, si gregem illum non bello*] Scribendum ex veteri editione, & libris chirographis: *Sic quoque magna præda ac si gregem illum* &c. Id firmat Jordanes, qui, more suo subtile & breve loquendi genus adtextis suis pannis amplians, scribit: *sic quoque magnas prædas agit, ut si gregem illum* &c.

31 *Publio Claudio*] Jordanes, & omnes libri: *Appio Claudio.* Ita in suis legerat Vinetus. Aliis tamen scriptoribus dicitur *Publius.*

32 *Insulisque frustrarentur*] Leve est, sed tamen monitu dignum, scribi debere, *frustarentur*, non *frustrarentur.* Aliud est *frustrari*, aliud *frustari.* Hoc

Digitized by Google

33 populus Romanus & sic triumphavit. Lutatio Catulo DXII
consule tandem bello finis impositus apud insulas, quibus nomen Ægates. Nec major alias in mari pugna; quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hostium classis, & in ea quasi tota Carthago: quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta, levis, expedita, & quodam genere castrensis: ad similitudinem pugnæ equestris sic remis quasi habenis agebatur; & in hos vel in illos mobilia rostra speciem viventium præferebant. Itaque momento temporis laceratæ hostium rates, totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio suo operuerunt. Tanta denique fuit illa victoria, ut de exscindendis hostium mœnibus non quæreretur. Supervacuum visum est in arcem murosque sævire, quum jam in mari esset deleta Carthago.

CAP. III.

1 Bellum Ligusticum.

PEracto Punico bello, sequuta est brevis sane, & quasi ad recipiendum spiritum requies, argumentumque pacis,

Hoc à *frustum*, illud à *frustra*. *Frustarentur* autem est, frustatim discerperentur, & lacerarentur. *Frustratim* perperam in Nonio legitur, pro *frustatim*. eodem errore, quem hoc loco castigamus.

33 *Populus Romanus triumphavit*] Vetus excusum, ut scimus indicio magni viri, nam illam editionem non vidimus, voculas adjicit: *& sic triumphavit*. Scripserim: *at sic triumphavit*. Ita in Jordane legitur, qui Florum verbatim descripsit. Nec aliter optimus Nazarianus habet.

1 B*Ellum Ligusticum*] Optimæ Nazarii membranæ habent: *Bellum Ligurium*. Sic sane & *Ligurius* lapis à Liguribus dictus, apud quos inveniebatur, Theophrasto teste. λιγύριον Græci vocant, quod aliis λυγκούριον, quasi sit Lyncis urina. Josepho & aliis vetustissimis auctoribus vocatur λιγύριον à Liguribus populis. Potest & legi *Bellum Ligurum*. Nam & *Liguris* infra dixit pro Liguribus.

Digitized by Google

cis, & bona fide cessantium armorum, tunc primum post Numam clausa porta Jani fuit: sed statim ac sine mora
DXVI. patuit. Quippe jam Ligures, jam Insubres Galli, nec non & Illyrii lacessebant, [2] sic desub Alpibus, id est, desub ipsis Italiæ faucibus. gentes, deo quodam assidue incitante, ne rubiginem ac situm scilicet arma sentirent. [3] Denique

2 *Sic desub Alpibus*] Legendum unica voce: *Desub Alpibus, id est desub ipsis Italiæ faucibus gentes.* Non alium memini antiquiorem hoc Floro auctorem in quo *desub* reperiatur compositum pro simplici *sub*. Frequens hujus præpositionis sic compositæ mentio occurrit in fragmentis agrimensorum veterum. *Desub monte*, *Desub lapide* & similia. Sic *Desuper* dixerunt pro super.

3 *Denique ita cotidiani*] Vetus lectio tam excusorum quam scriptorum reponenda: *denique utrique quotidiani hostes.* Emendatores rogarem quid eos moverit, ut ex *utrique ita* substituerent. Vestigia nempe scripturæ rectà illos duxerunt ad hanc tam felicem conjecturam? *Utrique hostes, pene cotidiani*, sunt Ligures, (sive *Insubres Galli*) & *Illyrii*. Eant nunc & egregia sua commenta nobis probent: satis sane fecerint. Sequitur ad conjecturæ nostræ, & veteris scripturæ confirmationem: *nec aliter utraque gente quam quasi cote quadam populus Romanus ferrum suæ acuebat virtutis.* Duos igitur hic tantum populos designat quos quasi quotidianos ac domesticos hostes populi Romani fuisse dicit. Atqui tres gentes nominat, Ligures, Gallos Insubres, & Illyrios. An Ligures & Insubres Gallos pro uno numerat populo? Hoc sane dici non potest. Nam expresse ac distincte hos tres diversos recenset populos. *Ligures*, inquit, *imis Alpium jugis adhærent.* At capite sequenti seorsim de Insubribus Gallis agit, cui capiti & titulum fecit, *de bello Gallico.* Mox altero capite separatim tractat de Illyriis sive Liburnis, cui titulus *Bellum Illyricum.* Non potest igitur effugere quin *utrosque* de tribus usurparit. Quod vix credi posset, si uno hoc tantum loco id fecisset. Nam ecce hoc eodem libro cap. XI. cum tres Galatiæ populos nominasset, Tolistobogos Trocmos & Tectosagas, statim infert: *Utrique fundis sagittisque acti in perpetuam se pacem dediderunt.* Apertissime etiam talem hujus pronominis usum apud eum animadvertere licet lib. IV. cap. XII. ubi hæc verba habentur: *Pannonii duobus saltibus ac tribus fluviis Drao, Savo Histroque vallantur.* Sequitur deinde statim: *In hos domandos Vibium misit. cæsi sunt in utrisque fluminibus.* Hæc magis possum mirari quam rationem reddere cur contra communem Latinitatis usum ac consuetudinem, *utrosque* non de duobus sed de tribus dixerit. Ex appendice Notarum hæc habeto: scripsimus in notis, *denique utrique quotidiani hostes*: idque recte scripsimus. Sed cum tres

Digitized by Google

que utrique cotidiani, & quasi domestici hostes tirocinia militum imbuebant. [4] nec aliter utraque gente quam si cote quadam populus Romanus ferrum suæ acuebat virtutis. Ligures inviis Alpium jugis adhærentes inter Varum & Macram flumen, implicitosque dumis silvestribus, major aliquanto labor erat invenire, quam vincere. [5] Tuti locis & fuga, durum atque velox genus, ex occasione latrocinia magis quam bella faciebat. [6] Itaque quum diu multumque

tres hîc gentes enumeret Alpium incolas, Ligures, Insubres Gallos, & Illyrios, & tria seorsim bella tribus capitibus ex illis constituat, Ligusticum nempe, Gallicum & Illyricum, miror quare dicat, *utrique hostes*. scio nos olim Ligures & Insubres Gallos conjunxisse, & per *utrosque* Ligures sive Insubres Gallos, & Illyrios intellexisse. nunc aliter censemus. utrique igitur sunt Ligures & Insubres, qui quotidiani hostes erant Romanorum, & quasi ἐπὶ θυρῶν adstabant Romanis. Illyrii, ut paulo remotiores, non ita assidui & quotidiani. Stephanus noster, ut alii nonnulli, Gallos Insubres, modo κελτικὸν ἔθνος appellat, modo ἰταλικόν. Idem de Liguribus. Hoc nobis olim imposuerat.

4 *Nec aliter utraque gente, quam quasi cote quadam*] Optimi libri, omissa voce *quam*, habent tantum: *quasi cote quadam*. Unde legerim: *Nec aliter utraque gente quam si cote quadam*. Atque ita in Palatinis.

5 *Tutum locis*] *Tuti locis* est vetus & vera lectio. Ita etiam distinguimus: *tuti locis & fuga, durum atque velox genus, ex occasione latrocinia magis quam bella faciebat*. In Jordane legas: *tuti siquidem locis*. Illud *siquidem* est ipsius Jordanis.

6 *Itaque cum diu multumque eluderent*] Reperio *eluderet*, in omnibus veteribus. Iidem, *saltus* non *Salyi*. Facilis mutatio τ *salyus* in *saltus*. Mihi constat numero singulorum hanc periodum concepisse Florum. Itaque scripserim: *Itaque cum diu multumque eluderet Salyus, Deciates, Oxybius, Euburiates, Ingaunus, tandem Fulvius latebras eorum* &c. In optimo libro, *Euburiatas* pro *Euburiates* legitur; & *incognitas* pro *Ingaunus*. *A* pro *u* perpetuum in illis membranis, ut in aliis quas vidimus. *Deciates* est Δεκιάτης. Alias *Deciatæ* scribendum fuisset. Ita de cæteris. Stephanus noster: Δεκίητον, πόλις ἰταλίας, τὸ ἐθνικὸν Δεκιῆται, ὡς Ἀρτεμίδωρος ἐν ἀ γεωγραφουμένων. Galliam vocarunt veteres, & Græci præcipue, totum illum Ligurum tractum, ut & ipsi Ligures, Insubres Galli dicti. Italiam tamen etiam appellarunt Cisalpinam illam Galliam Romanorum. Qui Σάλυες Græcis, hi sunt *Salyi* vel *Salui* Latinis. Jordani in vetustis membranis, *Saluvii*, ut *Saus*, *Savus*, *Draus*, *Dravus*, sic *Salvus*, *Saluvus*, & *Saluvius*. Jordanes corruptissimus

Digitized by Google

DLXXIIII. que eluderet Salyus, Deciates, Oxybius, Euburiates,
DLXXIII. Ingaunus, tandem Fulvius latebras eorum 7 ignibus sepsit: Bæbius in plana deduxit: Posthumius ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur.

Cap. IV.

Bellum Gallicum.

DXXVIII. Gallis Insubribus, & his accolis Alpium, animi ferarum, corpora plusquam humana erant. 1 Sed (experi-

ptissimus est in vulgatis editionibus hoc loco, quem liceat emendare ex iis quæ heic diximus. Stephanus in voce Σάλυις. Σάλυις, inquit, ἔθνος ἰταλικόν, πολεμικώτατον ἐμπαίοις, ὡς χάραξ ἐν ἰταλικῷ χωρίῳ. Potuit ita scribere Stephanus. Nam illæ nationes, ut & tota Italia plane ἰταλικὰ est. Sed omnino corrigendum λιγυστικόν. Nos de istis alibi pluribus. Scripti Jordanis Codices nulla litera minus hunc locum sic præferunt: *Cum diu multumque eluderent Saluvii, Decilates, Oxunii, Buriates, Ingauni.* Numero multitudinis horum nomina populorum extulit, quos Florus singulariter expressit. Ingaunorum Ligurum non rara mentio apud Livium occurrit, qui & Apuanorum Ligurum & Intemeliorum insuper meminit, qui heic non nominantur. Hactenus Salmasius ὁ πάνυ, sed in appendice Notarum sic habet ad ista, *Euburiates Ingauni*] Scripti, *Incognitas*. scripserat Florus: *Ingaunitas* vel *Ingonitas*. hoc est ἰγγαυνίτης. ut *Euburiatas* Εὐβουριάτης. aliis dicuntur *Ingauni*, non *Ingaunitæ*.

7 *Ignibus sepsit*] Jordanes: *igni sepsit*.

1 *Sed experimento deprehensum est, quippe sicut primus eis impetus*] Hæc invicem non cohærent. Et turbant hoc loco verba ista, *sed experimento deprehensum est*. Quæ nec cum præcedentibus nec cum sequentibus conveniente sensu necti possunt. Gallis, inquit, Insubribus & his Alpium accolis, animi ferarum, corpora plusquam humana erant, hoc est ultra staturam hominum enormia. Addit statim: *Sed experimento deprehensum est, quippe sicut primus impetus eis major quam virorum est, ita sequens minor quam feminarum.* Hoc nempe experimento deprehensum est, eos primum impetum habere majorem virili, secundum minorem muliebri. Sic sane intelligendum. Sed ipsa constructio satis sana non est. Hac re motus vir eruditus quatuor illa verba turbantia tollebat. *Sed experimento deprehensum est.* Quod si feceris, verba tum cohærebunt, sententia ipsa discrepabit. Gallis, inquit, corpora plus quam humana, animi vero ferarum. Causam deind

Digitized by Google

perimento deprehensum est,) sicut [2] primus impetus eis major quam virorum est, ita sequens minor quam fœminarum. quippe alpina corpora humenti cœlo educata habent [3] quiddam simile nivibus suis: quæ mox [4] ut caluere pugna

deinde subjunget: *Quippe primus impetus eis major quam virorum, sequens minor quam feminarum.* Hoc nihil jam ad bestias, cum ejusmodi feris non solum primi impetus ferocissimi sint, sed etiam sequentes, sed etiam ultimi. Imo multæ ex his in ferrum sponte sua ruunt, nec ante ferociam animorum deponunt aut impetus ardorem, quam exspiraverint. Non propterea igitur hoc illis accidit ut post primos impetus elanguescant, quod animos ferarum habeant. Nam pleræque feræ tales non sunt. Cæterum placebat etiam eidem viro docto verba hæc quatuor retinenti scribere: *Id experimento deprehensum est.* Sed res eodem recideret. Hic nempe sensus esset: Gallis animos ferarum esse experientia comprobatum. Quippe primum impetum eis esse majorem virili, sequentem minorem femineo. Inde semper concluderetur tales feris animos esse. Quod non de omnibus verum est. Immo falsum in plurimis. Putem ego potius una syllaba addita quæ exolevit ob similitudinem præcedentis, scribendum: *Sed id experimento deprehensum est: quippe sicut primus impetus eis major quam virorum est, ita sequens minor quam feminarum.* Sequens periodus non reddit causam ejus rei quæ in præcedente continetur, sed eam potius corrigit ab experientiæ documento. Gallis dixerat animos ferarum esse ac corpora majora humanis. Mox se corrigens, experimento deprehensum esse dicit ex bellis plurimis quæ cum eis Romani gessere, primos quidem impetus habere belluarum & majores quam virorum, sequentes vero minores quam fœminarum. Hoc igitur non habuere ferarum quæ ad extremum spiritum eumdem servant ferociæ & immanitatis tenorem, haud minus concitatæ secundo impetu quam primo.

2 *Primus impetus eis major quam virorum est*] Hoc habet ex Livio lib. x. qui non de Gallis Insubribus id dictum memorat, sed de Senonibus. De his enim ibi loquitur, *prima eorum prœlia plusquam virorum, postrema minus quam feminarum esse.* Item ibidem: *Gallos primo impetu feroces esse, quos sustineri satis sit.* In eamdem sententiam lib. v. de Gallis in universum pronuntiat, *naturam eis animos & corpora magna magis dedisse quam firma.*

3 *Quiddam simile cum nivibus suis*] Melius, ut opinor, in Nazariano legitur ac vetustissimis Jordaneis: *quiddam simile nivibus suis.*

4 *Ut caluere pugna statim in sudorem eunt*] Sic Livius lib. XXXIV. *mollia & fluida Gallorum corpora esse* dicit, eoque æstus ac laboris intolerantissima. Idem lib. X. *Gallorum corpora intolerantissima laboris atque æstus fluere.* Quod Florus hîc interpretatur *in sudorem ire*, hoc est, sudore diffluere. Nam fluida

pugna, statim in sudorem eunt; & levi motu, quasi sole laxantur. Hi sæpe & alias, sed Britomaro duce, *non prius soluturos se baltea, quam Capitolium ascendissent*, ju-
DXXVIII. raverant. Factum est. Victos enim Æmilius in Capitolio
DXXX. discinxit. Mox Ariovisto duce vovere *de nostrorum militum præda Marti suo torquem*. Intercepit Juppiter votum. nam de torquibus eorum aureum trophæum Iovi Flaminius erexit. Viridomaro rege *Romana arma Vulcano* promiserant. aliorsum vota ceciderunt. Occiso enim rege,
DXXXI. Marcellus tertia post Romulum patrem Feretrio Iovi arma suspendit.

Cap. V.

Bellum Illyricum.

DXXIV. ILlyrii, seu Liburni sub extremis Alpium radicibus agunt, inter Arsiam, Titiumque flumen, longissime per totum Adriani maris littus effusi. Hi regnante Teutana muliere, populationibus non contenti, licentiæ scelus addiderunt. Legatos quippe nostros, ob ea quæ deliquerant, jure agentes, ne gladio quidem, sed ut victimas, securi percutiunt. præfectos navium igni comburunt, idque, quo
DXXV. indignius foret, mulier imperabat. Itaque Cnæo Fulvio Centimalo duce, late domantur. Strictæ in principum colla secures, legatorum Manibus litavere.

Cap.

fluida & mollia corpora levi labore atque æstu facile in sudorem eunt. *In sudorem ire*, ut apud Melam, *in maciem ire*, hoc est macescere: *priusquam in maciem eant.* Apuleius de Deo Socratis: *Ibit in senectutem*, id est senescet. Sic ibi legendum nos alio loco docemus.

1 *Post*

CAP. VI.

Bellum Punicum secundum.

1 POst primum Punicum bellum vix quadriennii requies. ecce alterum bellum: minus quidem spatio (nec enim amplius quam decem & octo annos habet) sed adeo cladium atrocitate terribilius, ut si quis conferat damna utriusque populi, [2] similior victo sit populus qui vicit. DXXXV.

1 *POst primum Punicum bellum vix quadriennii requies*] Vult quatuor tantum annorum spatium intercessisse inter Punicum bellum primum & secundum. Hoc falsissimum. Unde hunc errorem hauserit noster nescio, in historia tam clara certaque. Fortean ex his Livii verbis: *Hic anxius curis ita se Africo bello, quod fuit sub recentem Romanorum pacem, per quinque annos, ita deinde novem annis in Hispania augendo Punico imperio gessit, ut appareret majus eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum.* De Amilcare hæc dicuntur Annibalis patre, non de Annibale, qui sub recentem pacem cum Romanis factam per quinque annos bellum Africum gessit, deinde Hispanicum per alios annos novem. Hi sunt anni quatuordecim. Mortuo Amilcare Asdrubal Amilcaris gener octo annos imperium obtinuit, quod puer esset Annibal. Annos jam habemus viginti tres à fine Punici primi belli quo pax facta est usque ad initium imperii Annibalis. Quin & cum hoc Asdrubale, dum in imperio fuit, fœdus renovarunt Romani. At ubi dux declaratus est Annibal, quasi si mandatum sibi esset bellum cum Romanis, statim ad id se comparavit, ac Saguntum in caussam belli arripuit. Fortasse noster quinque illos annos Africi belli somniabundus accepit pro intervallo quod fuit inter primum ac secundum Punicum bellum. Quid enim hæc aliud sibi volunt? *Post primum Punicum bellum vix quadriennii requies, ecce alterum bellum.* Certe post Africum bellum quod sub recentem pacem Romanorum ab illo susceptum est, & quinque annos gestum est, Hispaniense bellum adgressus est. Sed non cum Romanis istud, verum in ea Hispaniæ parte gestum quæ sub ditione Romanorum non erat.

2 *Similior victo sit populus, qui vicit*] Livii simia hoc etiam ab illo mutuatus & imitatus est. Sic enim ille initio lib. XXXI. de hoc ipso bello Punico: *Et adeo varia belli fortuna, ancepsque mars fuit, ut propius periculo fuerint qui vicere.*

3 Pude-

vicit. [3] Urebat nobilem populum ablatum mare, captæ insulæ, dare tributa, quæ jubere consueverat. [4] In ultionem puer Annibal [5] ad aram patri juraverat: [6] nec morabatur.

3 *Pudebat nobilem populum*] Si ita loquatur Florus, ut loquentem eum fecere correctores, vix latino cœlo natum putem. An quæso hoc est Latine loqui, *pudebat nobilem populum ablatum mare?* Dicerem ego, *pudefaciebat, in pudorem dabat nobilem populum, ablatum mare.* Aut, *pudebat nobilem populum ablati maris, captarum insularum*, &c. Veram lectionem dabimus ex scriptura Nazariana, quæ habet: *uberat.* Legimus, & distinguimus: *Urebat nobilem populum ablatum mare, captæ insulæ, dare tributa quæ jubere consueverat.* Omnia jam recta sunt, quæ prius claudebant. Si hoc non verum est quod posuimus, quid verum sit, nescio. *Urebat nobilem populum, ablatum mare, captæ insulæ, dare tributa*] Et heic Livium imitatur, sed ad populum Carthaginensem transtulit quod ille de Annibalis patre Amilcare dixit: *Angebant ingentis spiritus virum Sicilia Sardiniaque amissæ. Nam Sicilia nimis celeri desperatione rerum concessa, & Sardinia inter motum Africæ fraude Romanorum, stipendio etiam super imposito intercepto.* Hic habes omnia quæ expressit Florus, ablatum mare, insulas captas, tributum impositum. Scripti autem libri Flori & Jordanis hoc loco legunt, *raptæ insulæ*, non ut est in vulgatis, *captæ.* De Sicilia & Sardinia intelligit, quarum alteram concessam dicit ab ipsis Carthaginiensibus, alteram interceptam fraude Romanorum. Utraque certe erepta Carthaginiensibus.

4 *Hinc ultionem puer Annibal*] Istud *hinc* tantundem facit, quantum aurum in sacris, quod liquido jurem extusum esse cerebro correctorum. Vetus liber Nazarii unica voce legit: *multionem.* Nos duas facimus, & scribimus: *In ultionem puer Annibal ad aram patri juraverat. In ultionem jurare* non satis Latine dici putarunt egregii sufflatores. *Ultionem* quidem *jurare* scio Latinum esse, nec minus ideo Latinum est, *in ultionem jurare*, ut *in verba jurare*, & hujusmodi. Ita igitur hoc loco scribendum, nec quod sibi persuaserunt insani correctores, hoc statim, ut bene sanum, recipiendum est.

5 *Ad aram Patri juraverat*] Jordanis Codices: *Ad aram patris.* Falsum est. patri enim juravit, non ad aram patris. Vivebat enim adhuc pater, & annorum ferme erat novem ipse Annibal.

6 *Nec remorabatur*] Melius nostri libri, ac in his optimus Nazarianus: *Nec morabatur.* Puer Annibal novennis adhuc patri blandiens, altaribus admotus tactis sacris, juraverat, se, cum primum posset, hostem fore populo Romano. *Nec morabatur.* Nec in mora erat Annibal. Obscura tamen hæc brevitas, qualis ferme compendiorum esse solet. Puer Annibal novem annos natus, juraverat ultionem patriæ suæ & bellum in Romanos. *Nec morabatur*, inquit. Atqui ab illo jurejurando Annibalis ad illum diem quo

Digitized by Google

batur. Igitur [7] in causam belli Saguntus delecta est, vetus Hispaniæ civitas, & opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum, quam in libertatem communi fœdere exceptam, Annibal causas novo- DXXXV.

quo imperium accepit, & dux declaratus est, anni ferme cucurrerant septemdecim. Dicere sane debuit Florus ex quo die imperium & ducatum exercitus obtinuit Annibal, nullam moram interposuisse quin bellum Saguntinis inferret, & per hujus causam Romanis. Sic enim recte Livius, quem & heic adumbrare voluit Annæus noster, sed vitio brevitatis male expressit: *Ceterum ex quo die dux est declaratus, velut Italia ei provincia decreta, bellumque Romanum mandatum esset, nihil prolatandum ratus, ne se quoque ut patrem Amilcarem, deinde Asdrubalem cunctantem casus aliquis opprimeret, Saguntinis inferre bellum statuit, quibus oppugnandis haud dubie Romana arma movebantur.* Non dubium est quin hæc inspexerit Florus, cum ita hoc loco scripsit: *In ultionem puer Annibal juraverat, nec morabatur. Igitur in causam belli Saguntus delecta est.* Sic historiæ luci plerumque caliginem offundunt ista compendia, quibus nimia brevitas captatur.

7 *In causa belli Saguntus deleta est*] Verum est, *delecta*, non *deleta*. &, *in causam*, non *in causa*. Delegit Saguntum Annibal, cujus eversio causam belli præberet inter se & Romanos. Nihil verius hac lectione. Libro tertio de Tribunis: *Scaurum & Philippum reos delegit.* Sequitur, *vetus Hispaniæ civitas.* Apud Jordanem legitur: *velut Hispaniæ civitas.* Tale quid proculdubio in Flori libris legerat. Vetustissimus omnium, quos nunc extare censemus, Nazarianus ita habet: *Saguntus delecta est iis Hispaniæ civitas & opulenta. Ut* in *velut* mutavit Jordanes more suo, ut planius esset. Quantum illa habeant momenti, *ut Hispaniæ civitas*, non ignorabunt, qui aliquid in libris aliquando legerunt, quique hanc historiam tenent. Quia tamen hoc obscurum est ex narratione Flori, dilucidius est explanandum. Ultimo fœdere cautum fuerat ut Iberus disterminaret ditionem Romanorum & Carthaginiensium. Saguntus ultra Iberum quidem, fœdere tamen cum Romanis juncta, & ideo excepta ne quid in eam liceret Carthaginiensium armis, utque libera maneret inter utriusque populi imperia. Annibal, cui propositum erat bellum movere Romanis, ne fœdifragus palam videretur, non Saguntinis arma aperte nec statim intulit, sed in Olcadum fines, quæ gens ultra Iberum amnem in ea parte quam Romani non exceperant, exercitum induxit, ut non recta petisse Saguntinos, sed rerum serie ducente, finitimis perdomitis, continentia jungendo, ad oppidum ejusdem regionis ultra Iberum sitæ oppugnandum quasi tractus videri posset. Ut Hispaniæ ergo urbem Saguntum in belli causam delegit, id est ejus Hispaniæ quæ ultra finem esset imperii Romani,

novorum motuum quærens, & suis & ipsorum manibus evertit, ut Italiam sibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio est: itaque ad auditum sociæ civitatis obsidium, memores icti cum Pœnis quoque fœderis, non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt. Interim jam novem mensibus fessi fame, machinis, [8] ferro, versa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum: tum desuper se suosque cum omnibus opibus suis ferro & igni corrumpunt. Hujus tantæ cladis auctor Annibal poscitur. Tergiversantibus Pœnis, dux legationis Fabius: *Quæ*, inquit, *mora est?* [9] *In hoc ego sinu bellum pacemque porto: utrum eligitis?*

mani, hoc est ultra Iberum amnem. Quod non tacere debuit Florus: rem sane tanti momenti, ut sine ea vix intelligi queat quare dixerit *Saguntum ab Annibale delectam in causam belli, ut Hispaniæ urbem.* Non admodum autem veterem fuisse urbem Saguntum ex Livio colligere est, qui scribit lib. XXI. oriundos quidem à Zacyntho insula ejus incolas, mistis ab Ardea Rutulis, brevique in eas opes crevisse quantæ tum fuerunt cum eos expugnare adortus est Annibal.

8 *Ferro & igne*] Si absque damno chartæ possem, has duas voces, *& igne*, statim ignibus darem. Has igitur, quantum possunt, abesse jubemus, consentientibus omnibus libris. Nec enim ignem Hannibal illum admovit quo cremata est Saguntus, sed ipsi suis manibus rogum exstruxerunt, ut statim sequitur: *& desuper seque suosque imposuerunt.* Illæ voces *& igne* ex sequentibus repetitæ: *se suosque cum omnibus opibus suis ferro & igni corrumpunt.* Hinc igitur sunt tollendæ.

9 *In hoc ego sinu bellum pacemque porto*] Sic omnes nostri. Et sic Livius, unde hæc sumpta: *Tum Romanus sinu ex toga facto, Hic, inquit, vobis bellum pacemque portamus.* Notandum in his Livii verbis quod ait, *sinu ex toga facto.* Antiquæ & illorum temporum togæ sinus non habebant, qui postea duplices facti. Qui igitur sinum tum ex toga facere vellet, aut lacinia ejus in humerum rejicienda, aut brachio subjicienda fuit, aut quoquo alio modo replicanda. Diserte profecto Quintilianus observat antiquiorum Romanorum togas sinus non habuisse. Ideo Livius de toga illorum temporum dixit, *sinu ex toga facto.* Quod non opus habuisset dicere de suæ ætatis togis, ut nec Florus quidquam tale innuit. Nam sinum illæ duplicem habuerunt, de quibus nos affatim in Notis ad Tertulliani librum de Pallio. Quod ait

Digitized by Google

gitis? [10] Succlamantibus; Bellum. *Bellum igitur*, inquit, *accipite*: & [11] excusso in media curia togæ gremio, non sine horrore, quasi plane sinu ferret, bellum effudit. Similis exitus belli initio fuit. nam quasi has inferias sibi Saguntinorum ultimæ diræ in illo publico parricidio incendioque mandassent; ita Manibus eorum vastatione Italiæ, captivitate Africæ ducum & regum, qui id gessere bellum, exitio parentatum est. Igitur ubi semel in Hispania movit illa gravis & luctuosa Punici belli vis atque tempestas; destinatumque Romanis jam diu fulmen Saguntino igne conflavit: statim quodam impetu rapta medias perfregit Alpes; & inter Italiam ab illis fabulosæ altitudinis nivibus, velut cœlo missa descendit. Ac primi quidem impetus turbo inter Padum & Ticinum valido statim fragore detonuit. Tunc Scipione duce fusus exercitus. saucius DXXXV. etiam ipse venisset in manus hostium imperator, nisi protectum

ait mox Livius, *& cum is iterum effuso sinu bellum dare dixisset*, per sinum effusum dimissam ac laxatam togæ laciniam intelligit, quam in sinum contraxerat. At Florus temporum suorum togas respiciens pro eo excussum *in media curia togæ gremium* dixit. Id est excusso sinu, qui togis tunc temporis adhærens & artificio factus, quomodo pera aut marsupium excutitur, cum evolvitur quod intus est repositum. Alicui tamen placere posset ut per *effusum sinum* accipiamus quasi excussam illam sinus quem ex toga formaverat capacitatem ut effunderet bellum quod in eo Fabius se attulisse simulaverat. Ita sane accepit & interpretatus est hoc loco Florus his verbis: *excusso in media curia togæ gremio non sine horrore, quasi plane sinu bellum ferret, effudit.* Melius quod prius.

10 *Succlamantibus bellum*] Diversus hic abit à Livio suo. Non enim ut bellum daret succlamasse Carthaginenses dicit, sed utrum vellet: *Sub hanc vocem haud minus ferociter, daret utrum vellet, succlamatum est. Et cum is iterum sinu effuso bellum dare dixisset, accipere se omnes responderunt.* Nihil tamen in Floro mutandum, ut putavit Lipsius. Nam omnes scripti ejus codices stant pro vulgata.

11 *Excusso in mediam curiam togæ gremio*] Jordanes ac cæteri libri Flori meliores: *In media curia.*

tectum patrem [12] prætextatus [13] admodum filius ab ipsa morte rapuisset. [14] Hic erat Scipio, qui in exitium Africæ crescit, nomen ex malis ejus habiturus. Ticino Trebia succedit.
DXXXV. Hic secunda belli Punici procella desævit, Sempronio consule. Tunc callidissimi hostes frigidum & nivalem nacti diem, quum se ignibus prius oleoque fovissent (horribile dictu) homines à meridie & sole venientes nostra nos hieme vicerunt. [15] Trasimenus lacus tertium fulmen

12 *Prætextatus admodum filius à morte rapuisset*] Quasi prætextatus nomen sit ætatis, ita dicit admodum prætextatum, sicut aliquis dicitur, admodum puer, admodum adolescens. Hoc sensu admodum prætextatus idem significaret quod admodum puer. Prætextatior quippe is intelligitur, qui ab hoc habitu deponendo per ætatem longius distat. Ut puer admodum is capiendus est, qui longius abest ab egressu pueritiæ. At Livius hunc Scipionem, qui patrem a morte servavit, tum primum pubertatis annos attigisse ostendit, quo tempore toga virilis sumebatur, deposita prætexta. Verba Livii: *Auxitque pavorem consulis vulnus, periculumque intercursu tum primum pubescentis filii propulsatum.* Si tum primum pubescebat, in exitu utique erat prætextatæ ætatis, ac proinde non tam prætextatus videri potuit quam si ingressus tum esset ætatem qua prætexta sumitur. Nec illud sine nota prætereundum est quod huic auctori in historia ita familiare est, ut sit perpetuum. Ubi duæ incidunt diversæ opiniones, alterius fere semper meminit tantum, eamque sequitur quæ minus certa est. Ut hoc loco de servato consule duplex fama ferebatur. Una à filio ereptum neci ferebat, altera à servo. Quæ decus in servum transtulit, eam magis vulgatam fuisse Livius testatur his verbis quæ sic ex vetustissimo codice legenda sunt: *Malim equidem de servo verum esse, quod & plures tradidere auctores, sed fama obtinuit servum.*

13 *Prætextatus admodum*] Hoc est, admodum puer. Livius *juvenem* vocat. & certe tum primum pubescebat, qui finis est prætextatæ ætatis. Nec admodum prætextatum fuisse oportet, qui tum militabat in contubernio patris.

14 *Hic erit Scipio qui in exitium Africæ crescit*] Livium imitatur ne quis censeat ab alio auctore hæc accepisse, aut dum in his scribendis erat, alium consuluisse. Sic enim ille eadem re memorata: *Hic erit juvenis penes quem perfecti hujusce belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Annibale & de Pœnis appellatus.* Ita enim ibi scribendum ex auctoritate vetustissimi codicis. Nam vulgo est: *Hic erat juvenis.*

15 *Trasimenus lacus*] Veteres scribunt, *Trasumenius* aut *Trasymenius.* Ita

Digitized by Google

men Annibalis, imperatore Flaminio. ibi quoque ars nova Punicæ fraudis. quippe nebula lacus, [16] paluſtribuſque DXXXVI. virgultis tectus eques, terga ſubito pugnantium invaſit. Nec de diis poſſumus queri. imminentem quippe temerario duci cladem prædixerant [17] inſidentia ſignis examina, [18] & aquilæ prodire nolentes, & commiſſam aciem ſequutus

Ita apud Quintilianum legendum alibi docebimus lib. I. cap. v. *& Tarſumenium pro Traſumenio multi authores, etiamſi in eo eſt tranſmutatio, vindicaverunt.* Vel *Tarſumenum pro Traſumeno.* Hunc lacum intelligit. Perperam vulgo legitur, *Thraſomenum* pro *Thraſumeno.*

16 *Paluſtribuſque virgultis tectus eques*] Hæc ars Punicæ fraudis, qua paluſtribus virgultis tectus eques terga ſubito pugnantium invaſit, non eſt adhibita ab Annibale in hoc prælio ad Thraſimenum lacum, ſed in altero ad Trebiam flumen. In ea quippe pugna, quæ ad Thraſimenum pugnata eſt, nihil aliud fraudis commentus eſt Pœnus, nec aliud curavit, quam ut clauſum lacu & montibus, copiiſque ſuis circumfuſum haberet hoſtem. Eumque ſic circumcluſum militi ſuo ad ſatietatem præbuit cædendum. Vide Livium, cujus hiſtoriam qui cognovit, vix huic ignoverit. At ad Trebiam Magonem fratrem cum equitibus in inſidiis locavit, inter vepres ac virgulta, qui in ardore medio pugnæ ſubito exorti terga præliantium ceciderunt. *Erat*, inquit, *in medio rivus peraltis utrimque clauſus ripis, & circa obſitus paluſtribus herbis, & quibus inculta ferme veſtiuntur, virgultis vepribuſque.* Hæ paluſtres fortaſſe herbæ fecerunt ut ad lacum Thraſimenum pugnam transferret noſter. Idem Livius paulo poſt: *Et Mago Numidæque ſimul latebras eorum improvida præterlata acies eſt, exorti à tergo ingentem tumultum ac terrorem fecere.* Nihil tale tentatum ad Thraſimenum memorat.

17 *Inſidentia ſignis examina, & aquilæ prodire nolentes*] Duplex prodigium cladem eam quæ conſule Flaminio accepta eſt præceſſiſſe ac prænuntiaſſe vult, examen apum ſignis inſidens, & aquilas prodire nolentes. Duplici quoque prodigio prædictam eam cladem temerario duci prodit Livius, ſed pro examine apum aliud habet, conſulis nempe caſum ſupra ceſpitantis equi caput evoluti cum in eum inſiluiſſet. At examen apum pro malo omine fuit Scipioni in eo prælio quod commiſſum eſt inter Padum & Ticinum. Livius lib. XXI. *Nam & lupus intraverat caſtra, laniatiſque obviis ipſe intactus evaſerat, & examen apum in arbore prætorio imminente conſederat.* Sed hæc magni momenti non ſunt, & habere potuit auctorem noſter qui ſic prodiderit. Et examen iſtud apum ſignis ipſis inſediſſe hoc loco dicit. Quod aliud eſt.

18 *Et aquilæ prodire nolentes*] Qui Romani ac militaris moris rudis eſſet, & ho-

Digitized by Google

quutus ingens terræ tremor: [19] nisi illum horrorem soli, equi-

& hospes in lectione auctorum præcipue historicorum, quamlibet alias sagax & acutus, vix divinando assequi possit quomodo hoc prodigium factum sit, ut aquilæ prodire noluerint, adeo impropriis & alio rem ducentibus verbis hoc expressit Florus. Conti quibus aquilæ sustinebantur, & alia militaria signa in imo ferrati, acuminatam habebant cuspidem, Græci in pilis οὐρίαχον & σαυρωτῆρα appellant. Ea cuspide in terram defigebantur eo loco castrorum ubi signa reponi solebant. Cum castra movebantur, aut alias e castris educebantur in aciem signa, convelli ea necesse erat ut refigerentur. Inter evellendum ab humo si sponte sequerentur & facile extraherentur, bonum omen habebatur. Si tenacius hærerent, & vis major esset adhibenda ut evelli possent, pro tristi omine res accipi solita. Flaminio pugnam ad Thrasymenum capessere paranti hoc prodigium objectum. Livius rem sic narrat: *Territis omnibus qui circa erant, velut fœdo omine incipiendæ rei, insuper nuntiatur signum omni vi moliente signifero convelli nequire.* At consul non turbatus nec territus hoc prodigio, signum jussit effodi, si convelli nequiret. Quæ convelluntur, solo nisu vehementius agitata, & concussa extrahuntur, ut pali validius in terram impacti aut defixi. Arbores vero & virgulta quæ radice viva humo tenentur, convelli non possunt, ideo effodi oportet. Quod mirum non est si prodigii instar obtineat in conti cuspide in terram defixa, quæ effodienda est ut evellatur. Sic prodire nolentes aquilæ Flori nostri explicandæ fuerunt, non ut fecit Gallicus interpres, qui etiam pictas in tela aquilas illas imaginatus est.

19 *Nisi illum horrorem soli equitum virorumque discursus*] Terræ tremorem, qui contigit cum acies Romana & Punica ad Thrasimenum pugnaret, ex equitum virorumque discursu & motis vehementius armis factum sibi videri ostendit his verbis Annæus. Quam ineptissimam ausim dicere animo ejus incidisse suspicionem. Nullus enim tam horribilis motus ac discursus in superficie terræ fieri potest, qui ipsam à fundamentis concutiat ac tremefaciat. Præterea tremor ille terræ non in eo tantum loco factus ubi pugnatum est, sed multas etiam Italiæ urbes magna parte diruit, & cursum fluviorum pluribus locis retro abegit. Livius lib. XXII. de hac pugna: *Tantusque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnæ animus, ut eum terræ motum, qui multarum Italiæ urbium magnas partes prostravit, avertitque cursu rapido amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.* An verisimile est, tantum terræ motum, & qui tanta terrarum spatia concussit, ex discursu militum ad Thrasymenum pugnantium, & armorum vibratione validiore causam & ortum habuisse? Nonne multo credibilius, mentis emotæ fuisse tum Florum, cum hæc scripsit? Ne in verbis quidem satis sanus. Horror medicis in febri recte vocatur quo totum corpus fere concutitur, frigore sub cutem ac per omnes venas didito, unde

equitum virorumque discursus, & mota vehementius arma fecerunt. [20]Quartum, id est, pæne ultimum vulnus imperii [21]Cannæ ignobilis Apuliæ vicus: sed magnitudine cladis DXXXVII.

unde horror ille gignitur, qui proprie in pilis corporis erigentibus se ac capillis horrentibus perspicitur. φρίκω Græci appellant. Sed & *horrent comæ* poëtis, quas magnus pavor & subitus erigit, ne solum censeas febrile frigus, aut brumale id facere. Quod & φρίσσειν Græci appellant. unde & φρίκη pro trigore & antiquum φρῖκος unde Latinum *frigus*. Quin & *horrere seges* eleganter poëtis dicitur, cum vento impulsa nutantibus tremit cacuminibus. φρίττειν λήϊον Græci poëtæ similiter dicunt. At *horrorem soli* pro tremore terræ, aut *horrere terram* cum movetur, qui dixerit, neminem adhuc opinor inventum, qui idoneus haberi possit Latinitatis auctor.

20 *Quartum id est pæne ultimum vulnus imperii*] Quatuor has populi Romani bello Annibalis acceptas clades variis nominibus insignit. Quin & totum illud Punicum bellum gravem ac luctuosam tempestatem fuisse dicit. Hujus primi impetus turbinem inter Padum ac Ticinum valido fragore detonuisse scribit. Inde secundam belli Punici procellam ad Trebiam desæviisse. Mox Trasymenum lacum tertium fuisse Annibalis fulmen. Non habuit quartum nomen, quo in eadem metaphora perstans cladem exaggerare posset, ideo cœptam omisit tralationem, & ad aliam transiit, quæ cum rem augere deberet, plane diminuit. *Quartum*, inquit, *imperii vulnus Cannæ*. Voluit tamen jacentem figuram extollere addendo; & *pæne ultimum*. Atqui Cannensis hæc clades, si cum præcedentibus compararetur, nullam relinquit hyperbolem. Hîc enim quadraginta hominum millia cæsa. Cui parem stragem ne tria quidem reliqua prælia, quæ præcesserunt, dedere. Quæ singula tamen turbinibus, procellis ac fulminibus comparavit, hoc postremum, quod omnium fuit gravissimum, vulneris nomine satis habuit amplificare. Nec satis est quod *pæne ultimum* dixit. Nam majora omnia verba quæ extollendis aliis ante consumpsit. Potuisset sane dicere, reliqua imperii vulnera non ad mortem fuisse, hoc ultimum ad Cannas acceptum, pœne mortiferum.

21 *Cannæ ignobilis Apuliæ vicus*] Vicus hic juxta Aufidum amnem. *Cannam* etiam ibi amnem fuisse ex carmine Marcii vatis quod Livius recitat lib. XXV. colligitur, idemque ex verbis ipsius Livii discitur. In carmine sic habetur: *Amnem Trojugena Cannam Romane fuge, ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manum.* Subjicit post totum carmen recitatum Livius: *Et Diomedis Argivi campos & Cannam flumen qui militaverant in iis locis juxta atque ipsam cladem, agnoscebant.* Ubi tamen Cannensem pugnam idem auctor describit. Cannæ fluminis nullus meminit. Forte ab illo amne nomen vico impositum. Nec dubia res est. Cannas quasdam prope Carthagi-

cladis emersit; [22] & quadraginta millium cæde parta nobilitas. Ibi in exitium infelicis exercitus, dux, terra, cœlum, dies, tota denique rerum natura consensit. Siquidem non contentus simulatis transfugis Annibal, qui mox terga pugnantium ceciderunt, insuper callidissimus imperator, patentibus in campis observato loci ingenio, quod & sol ibi acerrimus, & plurimus pulvis, [23] & Eurus ab

thaginem collocat Stephanus: ἐστὶ καὶ Κάνναι διὰ δύο πλησίον Καρχηδόνος, ὁ ἐθνικὸν καὶ Καννᾶος. Nescio an has Cannas designare voluerit, & per errorem ex Apulia in Africam transtulerit.

22 *Et quadraginta millium cæde parta nobilitas*] Haud paulo elegantius mea quidem sententia quod in optimo habetur Nazariano codice: *& quadraginta millium cæde facta nobilitas*. Nobilis ille factus vicus quadraginta millium cæde. Sic loquitur & Livius lib. xxv. *Sed ad Capuam oppugnandam nobilem se consulatum tam opulentæ urbis excidio rati facturos*. Profecto nisi vetus illam lectionem prodidisset, controversiam vulgatæ non movissem. Livius: *Majoris partis sententia ad nobilitandas clade Romana Cannas profecti sunt. Quadraginta millium cæde*] Peditum tantum, eorumque Romani nominis. Nam equitum præterea duo millia cæsa, & septingenti. Sociorum vero æquata cædes. Livius: *Quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equites, & tanta prope civium sociorumque pars cæsi dicuntur*. Significat ex sociis, & civibus æquam partem cecidisse. Romani tum exercitus ex civibus ac sociis constabant. Auxilia ex sociis proprie dicebantur, Legiones Romanorum civium. Exercitus sociorum plerumque numero æquabat legiones Romanas. Livius lib. xxv. *Data pro quinque octo millia militum, pars dimidia cives, pars socii*. Utrum igitur verbis illis, quæ supra posuimus, quadraginta millia civium cæsa & totidem sociorum significat Livius, an ex quadraginta millibus, quæ feruntur occisa, æquam partem civium & sociorum interemptam innuit? Hoc verius.

23 *Et Eurus ab oriente semper quasi ad constitutum*] Is Volturnus Livio dicitur, qui ab incolis ejus regionis, ubi tum pugnatum est, ita vocari prodit. Ab amne Volturno qui veniebat ventus, quod ab oriente his flaret, sic appellarunt indigenæ. Hoc quoque nomine notus scriptoribus Romanis fuit. De sole quod ait noster contrarium Romanis fuisse, id negat Livius, qui utrique parti æquum fuisse tradit, ex obliquo ambobus accidentem. *Sol*, inquit, *seu de industria ita locatis seu forte ita stando peropportune utrique parti obliquus erat, Romanis in meridiem, Pœnis in septentrionem versis*. Luce prima acies instructas utrimque idem affirmat. Ita igitur versis

Digitized by Google

ab Oriente semper quasi ad constitutum, ita instruxit aciem, [25] ut Romanis adversus hæc omnia adversis, [26] quasi secun-

versis Romanis in meridiem, Pœnis in septentrionem, sol ab oriente accidens utrisque obliquus erat, & è transverso ingruebat. Atqui indidem quoque Eurus spirans neutri parti poterat contrarius esse, utpote ab eadem parte, qua sol ipsis illatus, ex æquo favebat aut nocebat his & illis. Livius tamen qui solem ambobus æquum dicit, Romanis iniquum Volturnum fuisse ibidem refert: *Ventus quem Volturnum incolæ regionis vocant, adversus Romanos coortus multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit.* At Romanis in meridiem spectantibus, ita enim locatos in acie pugnasse testatur, haud alius ex adverso ventus flare potuit, & in ora pulverem ferre quam qui ab ipso meridie incideret, aut certe ab ea parte quæ inter meridiem & orientem, quem Græci Euronotum nominant. Qui tamen ventus non recta pulverem in oculos Romanorum importasset, sed ex obliquo. Aut igitur de Volturno falsa veterum Grammaticorum notatio, qui Eurum Græcorum esse affirmarunt, aut ipse Livius falsus in notanda locatione utriusque aciei.

25 *Ut Romanis adversus hæc omnia obversis*] In Nazariano & Palatinis duobus constanter & plane habetur: *adversis*. Atque ita legendum. Indicat Romanos soli & vento adversos fuisse, Pœnos aversos. De vento verum est, dum Volturnus non sit Eurus, & ab oriente flans. De sole falsum esse ante ostendimus. Livius: *Prope eum vicum*, Cannas intelligit, *Annibal castra posuerat aversa Volturno vento, qui campis torridis siccitate nubes pulveris vehit. Id cum ipsis castris percommodum fuit, tum salutare præcipue futurum erat, cum aciem dirigerent, ipsi aversi terga tantum afflante vento in occæcatum pulvere effuso hostem pugnaturi.* Idem situs castrorum Annibalis, eademque locatio militum ab eo in acie instructorum. Ut illa aversa à Volturno vento, ita ab anteriore castrorum parte prodeuntes sic ordinati sunt ac locati ad pugnandum, ut ventus Volturnus his terga afflaret. Atqui frontem ejus aciei directam in septentrionem idem Livius paulo post asserit, cum Pœnos pugnantes in septemtrionem versos ait. Necesse est itaque sic septentrioni adversis & à vento Volturno ita aversis ut terga eorum afflaret, in ora vero Romanis ingrueret, ab ipsa meridiei plaga ventum illum eis adspirasse. Inde pronuntiandum fidenter succurrit Volturnum non eundem cum Euro fuisse ventum, sed ipsissimum Notum, aut ab latere proximo Noti flantem. Legebam porro hic aliquando: *Ut Romanis adversis, ac Pœnis aversis quasi secundum cœlum tenens vento, pulvere, sole pugnaret.* Nunc non sollicito scriptam fideliorum codicum lectionem: *Romanis adversus hæc omnia adversis.* Id est adversus solem, ventum & pulverem.

26 *Quasi secundum cœlum tenens*] Hæc scriptura est omnium nostrorum codicum

Digitized by Google

secundum cœlum tenens, vento, pulvere, sole pugnaret. itaque duo maximi exercitus cæsi ad hostium satietatem, 27 donec Annibal diceret militi suo; *Parce ferro.* Ducum effugit alter, alter occisus est: dubium uter majore animo. Paullum puduit, Varro non desperavit. Documenta cladis, cruentus aliquamdiu Aufidus; 28 pons de

codicum longe optima præ illa quam Vinetus prætulit: *Quasi secum cælum tenens*. Eam etiam adstruit vetus editio. Non protrita autem nec vulgaris notæ hæc loquutio. Quasi secundum cœlum tenebat Annibal, qui secundo sole juxta hunc nostrum, ac secundo vento pugnabat. Secundus porro ventus, qui à tergo spirat euntis navis, ut adversus, qui contrarius. ita secundo amne navigat, qui sequitur amnis cursum, nec contra quam rapit ille ac defluit. Sic secundo sole ventum flare Nigidius olim dixit, qui non contra solem, sed ab ea regione unde sol. Quod non intellexit Agellius, ut pluribus ad Solinum dixi.

27 *Donec Annibal diceret militi suo, Parce ferro*] Nihil tale Livius. Nec vero de Annibale verisimile est. Quinimo, ut res fuit, & ridiculum est. Tempestive sane Annibal militem suum parcere ferro jussisset, internecione deleto tum exercitu Romano post quadraginta millium cædem, ad satietatem non magis quam ad lassitudinem usque cæsorum, cum alterum consulem qui superfuit, quinquaginta fere milites fugientem sequuti sint? Ubi igitur aut quando in illa pugna locum habuit illud Annibalis ad militem suum, *parce ferro*? Strages ipsa satis illustre documentum dedit an pepercerint ferro.

28 *Pons de cadaveribus jussu ducis factus in torrente Vergelli*] Nihil de hoc quoque apud Livium. Et profecto ineptum est documentum magnæ cladis ex ea re arcessere, quod vel minima strages potest implere. Quadraginta millia peditum cæsa sunt Cannensi acie. Fac octavam tantum partem, fac adhuc minorem cecidisse, non erit difficile ex cadaveribus pontem in torrente vel exiguo aliquo amne facere. Vel centum aut ad summum ducenta cadavera id præstabunt. Pone mille opus esse. At ex quadraginta millibus cadaverum non pontem feceris, sed acervum, sed cumulum pæne præ altitudine insuperabilem. *Documenta*, inquit, *cladis cruentus aliquamdiu Aufidus, pons de cadaveribus jussu ducis factus in torrente Vergelli, modii duo annulorum Carthaginem missi*. Nequaquam par documentum ad indicandam cladis magnitudinem pons de cadaveribus in aliquo torrente factus, cum duobus modiis Carthaginem missis, & cum eo quod dicit aliquamdiu cruentum fluxisse Aufidum.

29 La-

Digitized by Google

de cadaveribus jussu ducis factus [29] in [30] torrente Vergelli; [31] modii duo anulorum Carthaginem missi, dignitasque equestris taxata mensura. [32] Dubium deinde non erit, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Annibal in Capitolio potuerit, [33] si (quod

29 *In torrente Vergelli*] Hujus torrentis in illa pugna describenda nulla in Livio mentio. Ab alio igitur hanc habet historiam de ponte facto in torrente Vergelli ingestis & accumulatis cadaveribus. Extat porro apud Valerium Maximum lib. IX. cap. XI.

30 *Torrente Vergelli*] Libri omnes nostri heic habebant, *torrente Vergelli*. Pro quo Jordanes maluit communiore & usitatiore phrasi, *in torrente Vergello*. Nec causa erat cur Pighio magis placeret lectio Jordanis quam librorum Flori. *Torrens Vergelli*, ut *urbs Romæ*, *herba Lapathi*, & Græcis Poëtis, πόλις Ὀρχομενοῦ. Nec probo etiam viri docti sententiam pro *Vercello* reponentis *Cerballo* apud utrumque, quod amnis Apuliæ nomen Plinio. Ego Plinium potius, si res esset mei arbitrii, ex his duobus auctoribus corrigerem. Nec difficilis transpositio ut pro *Vercello* degenerarit in scribarum manu, *Cervellus* aut *Cerballus* amnis.

31 *Modii duo anulorum*] Abit heic diversus à suo Livio. Tantum acervum anulorum fuisse dicit, ut metientibus dimidium supra tres modios explesse quidam auctores fuerint. Addit tamen ibidem, famam tenuisse, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio. Inter utrumque viam secat ea fama, quæ duos modios posuit. Quam hic Florus sequitur, nec hujus meminit Livius.

32 *Dubium deinde non erat*] Lege: *non erit*. Ita in Jordane legimus, ita in veteribus Flori libris. Lib. III. *&* *quum ille non evaserit, certum erit eam non esse perituram*. Supra: *Hic erit, qui crescit in excidium Carthaginis*. Postulat hic locus idem plane tempus.

33 *Si (quod Pœnum illum dixisse Adherbalem Bomilcaris ferunt)*] Duplex *si* in hac eadem periodo adgnoscit vetus Nazarianus, qui ad hunc modum legit: *Si, quod Pœnum illum dixisse Adarbalem Bomilcaris ferunt, Annibal si quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria sciret.* Nec putandum alterum *si* ex vitiosa librariorum irrepsisse manu. Sic antiqui auctores plurimi loquuti, à recentioribus criticis semper male correcti. Ex Jurisconsultis nostris aliquot exempla, quæ ad manum sunt, proferam. L. XVI. D. *Qui testamenta facere possunt*. In Pandectis Florentinis ita scribitur. *Nam etiam compotibus mentis personales actiones, etiam ignorantibus acquiruntur.* Ubi alterum *etiam* abundat. Sic apud Ulpianum *de Peculio*, particula *an* otiose repetitur, in his verbis: *Quæsitum est*, ait Ulpianus, *an, licet quis paternæ hereditatis nihil attingat, aliquid tamen propter voluntatem patris aut faciat, aut habeat, an creditoribus paternis cogatur respondere*. Similiter & apud Pomponium

quod Poenum illum 34 dixisse Adarbalem Bomilcaris ferunt)

ponium, *De verborum obligatione*, eadem particula bis ponitur, quæ semel satis esset: *An etiam si me non prohibeas, uxorem autem meam prohiberes, vel contra uxore mea stipulata, me prohibeas, an committatur stipulatio.* Sic apud Ulpianum, *De extraordinariis cognitionibus*, iteratur istud idem *si*, & quod magis mirum est in brevi periodo: *Si imprecatus est, si ut vulgari verbo impostorum utar, si exorcizavit.* Idem etiam observavi sæpe apud alios auctores, quos aliquando cum scriptis codicibus contuli, qui frequentius hoc faciunt in longioris spiritus periodis, aut hyperbato aliquo implexioribus. Quid mirum autem particulam *si* in hac periodo præter necessitatem iterari, cum & nomen Annibalis bis in ea positum sit, ubi semel ad sententiam sufficeret? *Dubium deinde non erit, quin ultimum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Annibal in Capitolio potuerit, si, quod Pœnum illum dixisse Adherbalem Bomilcaris ferunt, Annibal si quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria scisset.* Non opus erat repetito illo *Annibal*, quod secundo loco positum est.

34 *Dixisse Adherbalem Bomilcaris ferunt*] Quantum est librorum Flori, qui modo melioris sint notæ, habent *Adarbalem.* Nec aliter exhibuere scriptum sui Vineto. Jordanes cum hæc è Floro transcriberet, *Maharbalem* rescripsit ex Livio, qui ita vocat. Non propterea tamen Floro reddendus fuit Maharbal pro Adarbale. De Maharbale noluisse intelligi Florum, quinimo Adarbali attribuisse, quod Livius Maharbali dictum dat, vel illud indicio est, quod hunc Adarbalem Bomilcaris filium facit: At ille Maharbal Livii, quem hæc de Annibale in os ipsius Annibalis dixisse refert, Himilconis erat filius. Hoc cum videret Jordanes, Maharbalem, quem in Floro reponebat, non posse dici Bomilcaris filium, lectionem etiam hac parte mutavit ac correxit: *Quod Pœnum illum dixisse Maharbalem Bomilcari ferunt.* Quasi id Maharbal iste Bomilcari dixerit quod sequitur, non Bomilcaris filius fuerit. Fortasse etiam genus istud loquendi non intellexit, *Adarbal Bomilcaris*, ubi subintelligitur filius. At sic Livius passim in nominibus Punicis usurpat. Ut lib. XXVI. *Asdrubal Amilcaris ad lapides atros castra habebat in Ausetanis.* & libro eodem: *Asdrubal Gisconis usque ad Oceanum & Gades.* Apud eundem Livium lib. XXVIII. mentio fit Aderbalis hoc secundo bello Punico, qui prætor fuit Carthaginensium, qui ad Gades cum Lælio classe certavit. Nec meminit Livius, cujus patris filius esset hic Aderbal, quod alias facere solitum non puto, nisi ubi eadem tempestate duo ejusdem nominis clari viri extarent. Eos ut discernat invicem, à patribus cognominare fere solet. Sic cum *Asdrubalem Amilcaris* vocavit, apposito hoc signo distinguere voluit ab altero Asdrubale, qui filius fuit Gisconis, quem & propterea Asdrubalem Gisconis appellat. Sic idem lib. XXI. cum *Maharbalem Himilconis filium* nominavit, eo ipso judicavit, alium per

runt) *Annibal quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria scisset.* [35] Tum quidem illum, ut dici vulgo solet, aut fatum urbis imperaturæ, [36] aut ipsius mens mala, & aversi à Car-

per tempora extitiſſe Maharbalem, qui forte hic eſt Maharbal Bomilcaris, quem *Aderbalem* vocare Floro noſtro libuit, neſcio quem alium auctorem ſequuto. Sane quæ heic de illo afferuntur, à Maharbale dicta ad Annibalem teſtatur Livius lib. XXIII. pæne iiſdem verbis, cum à Cannenſi pugna conſilium ei daret, ut ſtatim Romam pergeret: *Immo ut quid hac pugna ſit actum ſcias, die quinto*, inquit, *victor in Capitolio epulaberis*. Et cum hoc conſilium reſpuiſſet Annibal, *non omnia nimirum eidem Dii dederunt; vincere ſcis Annibal, victoria uti neſcis*. Libri porro omnes *Adarbal* heic legunt. Quod eſt אדיר־בעל ut Maharbal מהר־בעל.

35 *Tum quidem illum, ut dici vulgo ſolet*] Quid eſt quod vulgo dici ſolitum ait? Nempe Annibalem à Roma ſtatim poſt pugnam Cannenſem adoriunda avertiſſe vel fatum urbis, vel ipſius malam mentem. Invertit quod ab ipſo Annibale dictum Livius adfirmat, non quidem tunc cum deviciſſet pugna Cannenſi Romanos, ſed aliquamdiu poſt cum Capua à Romanis obſeſſa, ut eam liberaret obſidione, contendit & ipſe ad Romam obſidio premendam. Quo quidem tempore cum caſtris ad tertium lapidem poſitis, bis inſtructa acie decertare paraſſet, tempeſtate immani deſubito exorta, ſemper diremptum eſt prælium. *Quæ res*, inquit Livius, *in religionem apud Pœnos verſa eſt, auditaque vox Annibalis fertur; potiundæ ſibi urbis Romæ modo mentem non dari, modo fortunam*. Mentem tum ſibi non datam fuiſſe ſignificat, cum poſt Cannenſem pugnam, conſilium danti Maharbali recta Romam adire & adoriri, non auſcultavit, & in alia ipſe mente fuit; fortunam vero tunc ejus rei ſibi denegatam innuit, cum Romam expugnare aggreſſo non reſpondit eventus, tempeſtate quaſi cælitus miſſa ſemper eadem prælium cœptum dirimente. Quæ diverſorum fuere temporum Florus hic junxit, & utrumque ad illud tempus, quod proxime fuit poſt Cannenſem cladem, tranſtulit. Atqui tunc ſola mens defuit Annibali. Nam fortuna in ipſius erat manu. Fortunam tamen aliter interpretatus eſt, pro fato ejus urbis quæ imperare debebat, quod fatum Annibalem tum dementavit.

36 *Aut ipſius mens mala*] Alio ſenſu heic dicitur *mala mens*, alio apud Comicum cum dixit, *mala mens, malus animus*. Ibi enim mala mens pro improba, heic apud Florum *mala mens* opponitur bonæ menti, quæ in illo eſſe dicitur, qui ſuæ mentis eſt compos. Ut apud Propertium: *Mens bona ſi qua Dea es tua me in ſacraria dono*. Qui mentem hanc bonam habet, utique & ſuæ mentis eſt. Qui ea caret, is demens vel dementatus. At qui malæ mentis eſt, is quidem mentis ſuæ potens, ſed malæ & improbæ. Atqui defectus potius mentis, quam malus ejus affectus prohibuit Annibalem à Roma potiunda. Mala mens

à Carthagine dii in diversum abstulerunt. [37] Quum victoria posset uti, frui maluit; relictaque Roma Campaniam Tarentumque peragrare: [38] ubi mox & ipse & exercitus ardor

mens adversus Romam illi non deerat, immo etiam supererat, sed mentem ad hoc versam non habuit cum occasio in manu fuit. Mens, inquam, defuit illi tunc, fortuna adfuit, ac fortuna defuit, cum mens adfuit. Hic sensus illius dicti Annibalis & Livii fuit, quem alio retorsit, & male etiam expressit Florus.

37 *Quum victoria uti posset, frui maluit*] Nec acumen hujus Flori sententiæ capio. Acutius sane dictum quam verius. Quo enim tendit hæc argutia? Dixerat de Annibale Maharbal, vincere quidem illum scire, sed victoria uti nescire. Nempe quod occasionem & fortunam majoris rei, Romæ nimirum potiundæ, quam illi hæc victoria obtulerat, de manibus amitteret, nec ea uti vellet. At quid sibi vult iste, dum ait Annibalem victoria cum posset uti, frui maluisse? Immo vel fructum hujus victoriæ amplissimum tulisset, si Romam cepisset, quod illi fortuna tum videbatur quasi in manum dare, si ea usus esset. Scio quidem aliarum rerum usum esse, aliarum, immo & in eadem re potiunda & usurpanda, usum à fructu plerumque distingui. Ceterum nihil heic tale fingi aut accommodari potest. Aliquid esset, si Annibal post hanc victoriam Cannensem, ab armis ac bello in totum cessasset, atque otio desidiæque, aut victoriæ bonis frueretur, sese dedisset. Tum sane dici posset, victoria illum frui maluisse quam uti. Quod enim relicta Roma in Campaniam flexit, non eo id fecit animo ac proposito, ut delitiis Campanis frueretur, sed voto ac spe nobilissimæ urbis capiundæ Capuæ, quæ duarum tum toto orbe maximarum, Romæ & Carthaginis erat æmula. Sed robur ejus exercitus luxuria Capuana enervatum est. Quid tum? Hoc noluerat Annibal, & magno redemptum vellet, non accidisse. Certe cum à victoria Cannensi Romam capere posset, rem tantam statim animo concipere non potuit. Sic victoria uti nesciit. *Mora ejus dici*, ut Livius tradit, *satis creditur saluti fuisse urbi atque imperio.*

38 *Ubi mox & ipse & exercitus ardor elanguit*] De Annibale ipso hoc nemo prodidit, ardorem ejus elanguisse Capuanis hibernis. Exercitum ejus ea res plane perdidit. In Annibale autem duo præcipue notata ac reprehensa ducis magni peccata à peritis artium militarium. Quod ex Cannensi acie non recta Romam duxisset, & quod in hiberna Capuam militem misisset. Ac posterius quidem hoc peccatum majus illis visum priore. Nam mora & cunctatione tum peccasse tantum videri potuit, quæ victoriæ dilationem attulerit. Hic secundus error inhabilem ad vincendum prorsus reddidit, viresque ademit.

Digitized by Google

ardor elanguit; [39] adeo ut verum dictum sit, *Capuam Annibali Cannas fuisse.* Siquidem invictum Alpibus, indomitum armis, [40] Campaniæ (quis crederet?) soles, & tepentes fontibus Bajæ subegerunt. Interim respirare Romanus, & quasi ab inferis emergere. [41] Arma non erant; detracta sunt tem-

39 *Adeo ut verum dictum sit*] Ita Flori libri. At in optimis Jordanis scriptis: *Adeo ut vere dictum sit.* Sequitur in antiquissimo Nazariano: *Capuam Annibali Cannam fuisse.* Supra notabamus *Cannam* etiam de fluvio dici ad quem pugna Cannensi victi sunt Romani. Livius lib. XXV. *Et Diomedis Argivi campos, & Cannam flumen, qui in illis militaverant, agnoscebant.* Præterea scimus quam frequens sit enallage numerorum apud auctores in urbium nominibus significandis. Hoc dictum porro, cui veritas fidem adstruxit, *Capuam Annibali Cannas fuisse*, sumptum ex oratione Marcelli ad milites, quæ apud Livium est lib. XXIII. *Reliquias illorum virorum, vix arma membraque sustinentes pugnare. Capuam Annibali Cannas fuisse. Ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi præteriti temporis famam, ibi spem futuri extinctam.* Vide reliqua.

40 *Campaniæ, quis crederet? soles & tepentes fontibus Bajæ subegerunt*] Hæc poëtica potius elegantia, quam historica fide dicuntur. Intra muros ac tecta Capuæ urbis hibernavit exercitus Annibalis. Ibi maximam hiemis partem in vino, epulis, balneis, scortis transegerunt. Hæ res eum perdiderunt, non Campaniæ soles, aut tepentes fontibus Bajæ, quæ in Campania quidem, sed satis longe à Capua. Livius lib. XXIII. *In hiberna Capuam concessit. Ibi partem majorem hiemis exercitum in tectis habuit.* Et paulo post: *Somnus enim & vinum, & epulæ & scorta balneaque, & otium consuetudine in dies blandius ita ea enervarunt corpora animosque, ut magis deinde præteritæ eos victoriæ, quam præsentes tutarentur vires.* Eadem ferme habentur in oratione Marcelli, cum militi suo ad Nolam degenerem prioribus factis & animis Pœnum militem inculcaret: *Non omnes esse in acie, prædantes vagari in agro, sed qui pugnant marcere Campana luxuria, vino, scortis, omnibusque lustris per totam hiemem confectos.* Soles Campaniæ Floro & tepentes Bajæ pro lustris illis sunt, & scortis & vinis & balneis somnoque, quibus totam hiemem intra tecta Capuana traduxere milites Annibalis. Sic sola naturalia cœli solique bona corrumpendo Pœno militi reliquit, soles amœnos ac molles Campaniæ, tepidosque soli fontes. Quam bene, aliorum esto judicium.

41 *Arma non erant; detracta sunt templis*] Exequitur heic quædam ultimæ necessitatis tela, ad quæ confugerunt Romani, Cannensis cladis vi subacti. Sed nonnulla ex his refert, quæ longe post Cannensem cladem usurpata sint. Arma ut templis detraherentur, & servitia ad delectum empta pu-

Digitized by Google

templis: deerat juventus; 42 in sacramentum militiæ liberata servitia: 43 egebat ærarium; opes suas libens senatus in medium protulit; nec præter quod in bullis singulisque anulis erat, quicquam sibi auri reliquere. Eques sequutus

ta publice armarentur, necessitas & inopia armorum ac liberorum capitum ex Cannensi coorta strage fecit. Reliqua quæ post enumerantur, aliorum sunt temporum. Livius lib. XXII. *Et vetera hostium spolia detrahunt templis porticibusque. Et aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum ac necessitas dedit. Octo millia juvenum validorum ex servitiis, prius sciscitantes singulos vellentne militari, empta publice armaverunt.* Quod non alii autem sumpti quam qui militare se velle respondissent, inde *volones* appellati. *ἐθελούσιοι* Græci dicerent. Sic eos perpetuo deinde vocat idem Livius. Ita autem *Volones* à volo, ut *colones* à colo Sallustio pro clientibus qui magnates colunt. ut *accendones* Tertulliano lanistæ, qui pugnæ ardorem accendunt inter gladiatores. Diversi autem hi *Volones* à *voluntariis* militibus, quorum etiam frequens apud Livium mentio. Ita vocati qui emeritis stipendiis erant, quive per ætatem militare cogi non poterant, hi si voluntate sua militiæ nomen dederant, *voluntarii* dicebantur. Præter servorum delectum non debuit etiam omittere Florus ultimum desperatæ reipublicæ auxilium, ad quod tum descendere coacti sunt Romani, cum dictator ita pronuntiavit & edixit: *Qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniæ judicati in vinculis essent, qui eorum apud se milites fierent, eos noxa pecuniaque se exsolvi jussurum.* Vide Livium lib. XXIII.

42 *In sacramentum militiæ liberata servitia*] Non verò liberata ad delectum, sed publice empta, diuque in ea conditione retenta, donec, post fortem fidelemque in bello navatam operam, meruere libertatem. Qua de re videndus Livius lib. XXIV.

43 *Egebat ærarium, opes suas libens senatus in medium protulit*] Non hoc eos facere adegit Cannensis calamitatis necessitas, nec statim post eam ad id venerunt, sed diu post cum jam Capua recepta esset, ac Sicilia tota captis Syracusis in potestatem venisset, Marcello & Lævino consulibus. In eorum, inquam, consulatu, cum ornanda classis esset ac de remigum supplemento in senatu ageretur, nec ad eam rem pecunia in ærario foret unde homines pararentur, & stipendium his constitueretur, decreverunt consules ut privati ex censu & ordinibus remiges darent cum stipendio cibariisque dierum triginta. Cum ex eo edicto tanta indignatio plebis insequuta esset, ut ad seditionem haud dubiam tenderet animus, utpote oneri tanto injuncto ferendo impar, in ea difficultate hærentes patres explicuit Lævinus consul, qui senatui auctor fuit ut ipsi exemplum plebi monstrarent, & aurum argentum æsque signatum omnes senatores in medium profer-

tus exemplum; imitatæque equitem tribus. Denique vix suffecere tabulæ, vix scribarum manus, Lævino Marcel- DXLIII.
celloque consulibus; quum privatæ opes in publicum deferrentur. In deligendis autem magistratibus quæ centuria- DXLIV.
rum sapientia, quum juniores à senioribus consilium de creandis consulibus petivere? Quippe [44] adversus hostem totiens victorem, tam callidum, [45] non virtute tantum, sed

proferrent. Sic edictum, sic factum. Quo de negotio Livius consulendus lib. XXVI.

44 *Adversus hostem totiens victorem, tam callidum*] Vide rationes auctoris, tum etiam, quam conveniant, videbis. Post pugnam Cannensem dicit eam fuisse centuriarum in eligendis magistratibus prudentiam, ut juniores consilium a senioribus petierint, cuinam potissimum mandandus esset tum summus honos. Rationem addit: *Quippe adversus hostem totiens victorem, tam callidum, non virtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat.* Eos igitur tum electos ac creatos consules oportuit, qui non solum bellicosi essent, & virtute militari pollerent, sed etiam qui astutia & consiliorum calliditate prævalerent, ut suismet ipsius artibus Annibalem premerent. Hoc sane voluit. Atque illis ipsis comitiis, quibus seniores a junioribus consulti sunt, consules creatos esse constat Marcellum & Lævinum. Cujus electionis ipsam propemodum plebem paulo post pœnituit, non ob aliam causam, nisi quod nimium acres & feroces essent viri creati, ut memorat Livius lib. XXVI. Ad Lævinum quidem quod attinet, ei statim decreta Sicilia provincia, nihilque callide calideque cum Annibale egit. Marcellus aliquot præliis, imperii, quod ei prorogatum est, tempore, cum Annibale commissis, partim male pugnavit, partim prospere quidem, non tamen ulla insidiarum fallacia aut fraude, quibus artibus summus erat Annibal. Quin & accusatus à Tribuno plebis eodem tempore Marcellus, quod bis cæsus exercitus ejus foret, & quod æstiva Venusiæ sub tectis egisset. Ad quam deprecandam ignominiam cum Romam venire coactus esset, ita se purgavit, ut summo consensu consul crearetur. Quo in consulatu adeo nulla astutiæ aut calliditatis laude claruit, ut etiam insidiis ab Annibale circumventus, in quas improvide præcipitaverat, & occisus sit. De Fabio quidem, quem primam imperii reviviscentis spem fuisse mox dicit, certum est, Annibalem aliquando dixisse, ab eo duce suis se artibus premi. Sed ille Fabius in imperio fuit, & hæc omnia prudentiæ & calliditatis exempla edidit ante Cannensem pugnam.

45 *Non virtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat*] Non hoc tunc allegatum est creandos esse consules, qui Annibalem suis artibus & consiliis

sed suis etiam pugnare consiliis oportebat. Prima redeuntis, & ut sic dixerim, [46] reviviscentis imperii spes Fabius fuit:

consiliis petere ac premere possent, sed cum consulem declarasset Veturia Juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Manlium Torquatum, cui ab oculis male erat, & is valetudinem excusans redire in suffragium eam centuriam juberet, cogitandum ipsis esse dixit bellum Punicum in Italia, & hostium ducem Annibalem esse. Imprudentem enim & gubernatorem & imperatorem esse, postulantem sibi credi capita & fortunas omnium, cui alienis oculis omnia agenda sint. Auctoritate tanti viri mota Veturia juniorum, velle se colloqui cum senioribus dixit & ab his consilium petere, quos consules facere deberent. Citata seniorum Veturia respondit de tribus consulendum esse, duobus jam magistratu perfunctis, Q. Fabio & M. Marcello & tertio M. Valerio Lævino, qui adversus Philippum Regem terra marique res egregie gesserat, si novum aliquem vellent adversus Annibalem creari consulem. Tum Juniorum Veturia, ex consilio Veturiæ seniorum, Marcellum honorum veterem & novum Lævinum consules pronuntiavit. Auctoritatem prærogativæ cæteræ centuriæ sequutæ sunt. Ceterum adeo certum est Lævinum & Marcellum hac seniorum consultatione ita consulatum adeptos, non ad hoc creatos fuisse, ut dolis cum Annibale certarent, & fraudes ejus paribus fraudibus repellerent, ut post mortem Marcelli consulis per dolum Annibalis interemti, ea prima cura patres populumque incesserit, eos potissimum consules deligendi, quorum virtus tuta esse posset à fraude Punica. Verba eorum ita refert Livius: *Cum toto eo bello damnosa, præpropera ac fervida ingenia imperatorum fuisse, tum eo ipso anno consules nimia cupiditate conserendi cum hoste manum in nec opinatam fraudem lapsos esse.* De Marcello intelligit & collega ejus Crispino. Hæc fuere enucleatius explicanda, ut constet veritatem historiæ ab hujusmodi compendiorum scriptoribus non esse semper exigendam, concinnitatis magis studiosis, quam fidei, quæ requiritur in causis rerum exponendis, & ordine quo quæque gesta sunt memorando.

46 *Reviviscentis imperii spes fuit*] Præpostere res Fabii gestas cunctationisque ejus artem, qua Annibalis fervorem ludificatus est, & impetus ejus tardavit, in id tempus confert, quod sequutum est Cannensem cladem, cum nihil eorum ille gesserit, nisi ante Cannense prælium, nec post id omnino. Quæ sequuntur, post Cannensem pugnam omnia acta sunt. Pæne ultimum vulnus fuisse imperii Cannas supra dixerat. Quid fecerint Romani postea ut inde emergerent, narrare instituit, quibusque ducibus precipue ad res perditas restituendas usi sint. Arma detracta templis, liberata servitia ad militiæ delectum post illam pugnam narrat. Ducem autem Fabium primam imperii reviviscentis & quasi ab inferis redeuntis spem fuisse, cunctando ac ludificando. Marcellum etiam primum cominus congredi ausum.

Digitized by Google

fuit: qui novam de Annibale victoriam commentus est, non pugnare. Hinc illi cognomen novum, & Reipublicæ salutare, *Cunctator*. Hinc illud ex populo, ut *Imperii scutum* vocaretur. Itaque per Samnium totum, per Falernos Gauranosque saltus sic maceravit Annibalem, ut qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Inde Claudio DXXXIIX.
Marcello duce etiam congredi ausus est. 47 Cominus venit, DXXXIX.

ausum. Ausum etiam Sempronium Gracchum per Lucaniam sequi & premere terga cedentis.

47 *Cominus venit, & pepulit è Campania sua*] Mirum, non animadversum hujus vitium lectionis à tot ante correctoribus. Ut Marcellus Annibalem è Campania sua pepulerit? Atqui Capuam Campaniæ caput non eo anno amisit Annibal, nec opera Marcelli Campania possessione cessit, sed obsidione tantum Nolæ urbis excussus est. Solus ex nostris veteribus libris Nazarianus Codex sinceram retinuit lectionem, qui habet: *Cominus venit, & pepulit in Campania sua*. Suam jam pæne totam fecerat Campaniam Annibal. Nam & Capuam sedem & domum & patriam alteram Annibalis fuisse noster Annæus paulo post dicit. Quo magis mirum est, in ea provincia, in qua tantum poterat, pulsum à Marcello esse. Sic proverbii vicem *in castris suis* aliquis *cædi* dicitur. Nola autem Campaniæ urbs. Eamque Livius ut & Neapolim inter Campaniæ urbes recenset. Scripsisse olim Virgilium volunt Grammatici: *vicina Vesevo Nola jugo*. Mox iratum Nolanis id mutavisse, & rescripsisse *ora* pro *Nola*. Vesevus porro Campaniæ mons. Alii Piceno Nolam vindicant. Si ex illis fuit noster, scripserit: *Repulit in Campaniam suam & ab obsidione Nolæ urbis excussit*. Sic infra lib. III. cap. IV. *Didius vagos & libera populatione diffusos intra suam repulit Thraciam*. Sed priorem cum lectionem tum expositionem magis amplector. Et Nola omnino Campaniæ. Bis autem ad Nolam cum Annibale congressus est Marcellus, semel tamen tantum ab Annibale Nola obsessa. Nam prima vice spes illi hujus urbis potiundæ affulserat proditione plebis. Ad eam spem votumque propius urbem castra appulerat, à qua repulsus est eruptione Marcelli ex urbe. Anno sequente eamdem urbem legitima obsidione cinxit & corona circumdedit, acieque justa etiam cum eodem Marcello pugnavit ac victus est, quod hibernis Capuanis militum ejus ardor & robur omne elanguisset. De hoc secundo prælio hic Florus accipiendus, cum ait, Marcellum cominus ausum congredi cum Annibale, & ab obsidione Nolæ urbis eum excussisse. Tertio quoque eam rem tentasse Annibalem scribit Livius lib. XXIV. cap. XVII. & cum eodem Marcello acie pugnasse, victumque esse: & exinde spem in posterum omisisse Nolæ potiundæ.

Digitized by Google

nit, & 48 pepulit in Campaniam suam, & ab obsidione No-
DXL. lae urbis excussit. 49 Ausus & Sempronio Graccho duce per Lucaniam sequi, & premere terga cedentis: 50 quamvis tunc

48 *Pepulit è Campania sua*] *In Campania sua*, ita praefert Nazarianus: nec scio tamen, quid velit alter Palatinus *à Campania*. optimum factu censeo nihil mutare. verum posset illius optimi Codicis γραφὴ sic defendi: *pepulit in Campania sua*; eodem modo quo dicimus, *in castris suis aliquem caedere*. Sic Marcellus in Campania sua cecidit Annibalem pepulitque, quem ab obsidio Nolae urbis excussit. sed hac lectione legeretur melius, *perculit in Campania sua*. nos eo tandem redimus, ut NIHIL MUTANDUM pronunciemus. [Vide dicta ad numerum 68, ubi ingenue haec retractantur.]

49 *Ausus & Sempronio Graccho duce per Lucaniam sequi*] Nusquam id legi Sempronium Gracchum per Lucaniam institisse fugienti Annibali, & cedentis terga pressisse, praesertim cum id dicat eum fecisse cum servili manu. Volones Livii intelligit, hoc est servos publice redemptos, qui voluntate sua sacramento dixerant, octo millium numero. His militibus Gracchus ad Beneventum proelio decertavit cum Hannone, eumque devicit, ut narrat Livius lib. XXIV. At cum Annibale ipso eum pugnasse, non leges. Multo minus ut vestigiis ejus fugientis institerit aut terga cedentis presserit. De Marcello id memorat idem Livius lib. XXVII. Is per Lucaniam cedentem Annibalem insequutus est, & aliquoties cum eo conflixit, interim vincentis fato, interim victi fortuna. Epitome illius libri, de Numistrone Lucaniae oppido ad quam incerta victoria pugnatum est ab Annibale & Marcello: *Inde Annibal noctu recessit, & subinde cedentem pressit, donec effugeret*. Sempronio igitur Graccho dat noster, quod Marcellus fecit. Cui porro verisimile fiat, Sempronium cum servili ac parva manu coëgisse ad fugam Annibalem, ac cedentem subinde pressisse?

50 *Quamvis tunc, ò pudor! manu servili pugnaret*] De his ipsis supra dixerat, in sacramentum militiae liberata servitia. Si liberati priusquam militarent, ergo liberi tum fuere cum pugnaverunt duce Sempronio Graccho. Verum quidem, etiam tum servos fuisse cum eorum opera usus est Gracchus in debellando Hannone. Ita falsum quod supra scripsit Annaeus, liberatos illos servos ad militiae sacramentum. Addit statim: *Sed libertate donati fecerant de servitute Romanos*. Obscura omnimodo haec verba. Genus ipsum loquendi non satis assequor. *Libertate donati fecerant de servitute Romanos*. Quis haec intelligit? Servi illi nempe, donati libertate, Romanos fecerunt de servitute. Quid est *Romanos de servitute facere*? Mitto elegantiam, solam quaero Latinitatem. Sed fac Latina esse, jam ego de historia inquisierim. Quid vult sibi, Si servi tum pugnarunt, quando aut quomodo libertate donati sunt? Hoc debuit dicere. In re ita est. Gracchus

Digitized by Google

tunc (ô pudor!) manu servili pugnaret. Nam hucusque
tot mala compulerant. Sed libertate donati. Fecerat de
servis virtus Romanos. O horribilem in tot adversis fidu-
ciam! ô singularem animum ac spiritum populi Romani!
tam arctis afflictisque rebus, quum de Italia sua dubita-
ret, ausus est tamen in diversa respicere, quumque ho-
stes in jugulo per Campaniam Apuliamque volitarent,
[51] mediamque de Italia Africam facerent; eodem tempo-
re & hunc sustinebat, & in Siciliam, Sardiniam, His-
paniam, divisa per terrarum orbem arma mittebat. Sici-
lia mandata Marcello, [52] nec diu restitit. Tota enim insu- DXXXIX.
la in una urbe superata est. Grande illud, & ante id tem-
pus,

chus cum Pœnis & eorum duce Hannone pugnaturus istis servorum copiis qui jam alterum servi militantes libertatem taciti suspirabant, & arbitrio ejus reliquisset senatus quid de illis faceret, priusquam cum Pœnis manum consereret, pronuntiavit eum se extemplo liberum esse jussurum qui caput hostis retulisset. Cum strenue pugnassent, virtutem eorum libertate remuneratus est. Sic ergo virtute de servis liberi facti. Hoc opinor dicere voluisse Florum atque etiam dixisse, si verba ejus integra haberemus quæ ad hanc faciem ut ab auctore concepta sunt restituenda censeo: *Sed libertate donati. Fecerat de servis virtus Romanos.* Vel quomodo fortasse mallet aliquis: *Fecerunt se de servis virtute Romanos.* Libertatem virtute meruerunt. Ita fecerunt se de servis Romanos ac liberos propria virtute. Perperam coaluerant istæ duæ voces in unam ob soni affinitatem. *De servitute* pro *de servis virtute.* Priorem tamen malo lectionem, ut genio Flori convenientiorem. *Fecerat de servis virtus Romanos.* Cum vitio librariorum scriptum esset *de servitus*, pro *de servis virtus*, correctores præsto fuerunt ac *de servitute* fecerunt, ut solœcismum tollerent. Nihil certius nostra correctione.

51 *Mediamque jam de Italia Africam facerent*] *Jam* non habetur in Nazariano, & potest vel haberi, vel abesse, sine magno, ut quidem puto, sententiæ detrimento.

52 *Nec diu restitit*] Immo diu. Nec aliter dicat qui historiam oppugnationis Syracusanæ apud Livium legerit. Quot labores, quot pericula circa mœnia Syracusana Marcellus exhauserit, non uno libro pertexuit. Sed nec in una urbe superata Sicilia est. Nam successori suo Lævino consuli, quod in ea ageret, reliquit. Agrigentum adhuc tenebatur valido Carthaginiensium præsidio, quod ille expulit, & sic quod reliquum erat belli in Sicilia perfecit.

Digitized by Google

DXLI. pus, invictum caput Syracusæ, [53] quamvis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando cesserunt. [54] Longe illi triplex

53 *Quamvis Archimedis ingenio defenderentur*] Archimedis ingenium nihil contra proditionem valuit qua captæ sunt Syracusæ. Eo sane usque processerat ingenio suo & machinis Archimedes, ut non solum navalem oppugnationis maritimæ apparatum Marcelli eluserit, sed etiam terestrem iisdem artibus impedierit, & ab oppugnatione eum in totum absistere coegerit. Nec hic debuit tacere proditione potissimum captas fuisse Syracusas.

54 *Longe illi triplex murus, totidemque arces*]. Nusquam reperio triplici fuisse muro cinctam Syracusarum urbem. Interpretatione itaque sublevandus vanus ac nugax scriptor. Amplissimam quidem civitatem fuisse Syracusas constat ac lato ambitu diffusam, sed vastam ac spatiis dissipatam, & in plures divisam partes, quæ singulæ fere instar urbium fuere. Eæ partes muro etiam invicem disclusæ & interseptæ. Tres præcipuas videtur facere noster, qui & totidem arces quasi singularum urbium agnoscit. Hoc modo & triplicem murum habuisse intellexerit. Cum enim unaquæque harum arcium ac partium urbis Syracusanæ proprio muro ab altera fuerit separata, trinus murus illi fuit superandus, qui totis Syracusis potiri in animum induxerit. Livius urbem & partem eam, quæ proprie *Insula* vocabatur, distinctam fuisse docet. Νᾶσον incolæ vocabant. Atque ita legendum apud Livium ubi editiones ejus ubique *Nasson* cum duplici Nun scribunt. Lib. XXIV. *Epicydes ab insula, quam ipsi Nason vocant, citato profectus agmine.* Ea insula muro peculiari ab cetera urbe quasi intersepimento disjuncta. Idem Livius: *murique ea pars quæ ab cetera urbe nimis firmo munimento intersepiebat insulam.* Jam ceteræ urbes, quæ ab insula sive Naso proprie dicta separabatur, variæ quoque partes, & ipsæ urbium instar. Neapolim & Tycham inter has nominat Livius his verbis: *Marcellus ut Euryalum neque tradi, neque capi vidit posse, inter Neapolim & Tycham, nomina partium urbis, & instar urbium sunt, posuit castra.* Meminit & Hexapyli urbis partis non modicæ à numero postarum sic dictæ. Ex Livio tamen colligo nomen portæ potius fuisse. Sic enim scribit lib. XXIV. cap. XXI. *Hexapylo Theodorus ac Sosis post solis occasum jam obscura luce invecti, transvecti per Tychum.* Item cap. XXIV. *Prope Hexapylon est portula, Ea magna vi refringi cœpta.* Et paulo post: *Sub luce Hexapylo effracto, Marcellus omnibus copiis urbem ingressus.* Apparet igitur ex his portam fuisse à numero portarum vel portularum sic appellatam. At Achradina portio urbis longe maxima ac munitissima ad mare posita, cujus frequens in oppugnatione Syracusarum apud eundem Livium mentio. Sic quatuor urbis partes, quas instar urbium idem fuisse dicit, Nasos, Achradina, Neapolis & Thyca. Arces trinas fuisse hic Annæus vult. At Livius duas tantum commemorat. Unius arcis primum habet mentionem, quæ in insula erat. Horrea ibi fuere publica. *In insula*, inquit, *inter cetera Andronodorus præsidiis fir-*
mat

Digitized by Google

triplex murus, totidemque arces, [55] portus ille marmoreus,

mat horrea publica. Locus saxo quadrato septus atque arcis in modum emunitus capitur a juventute quæ præsidio ejus loci attributa erat. Ea est arx de qua ibidem paulo ante loquutus est: *Itaque Andronodorus & insulam & arcem & alia quæ poterat, quæque opportuna erant, præsidiis firmat.* Hæc arx insulæ fuit. Altera porro arx in extrema parte urbis à mari versa & viæ imminens, quæ in agros ferebat & mediterranea loca, Euryalus vocabatur. *Ad Euryalum signa referri jussit. Tumulus est in extrema parte urbis versus à mari, viæque imminens ferenti in agros, mediterraneaque insulæ, percommodus ad commeatus excipiendos.* Præter has duas arces alterius non meminit auctor ille, cum diligentissime exequatur obsidionem Syracusarum. Noster vero triplicem murum totidemque arces Syracusis tribuit, non solum obscure sed etiam parum scienter loquutus.

55. *Portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ*] Non video quam magni momenti instar efficere potuerit ad defensionem Syracusarum, portus marmoreus potius quam ex alio lapide factus, & fons Arethusæ poëtis decantatus. Facile quidem patiar dici nihil profuisse urbi quæ capta sit, triplicem murum, totidemque arces. Sed quid urbi prodesse tali in tempore quibat, magnifica portus substructio, & celebris fontis amœnitas? Portus majoris meminit ad Syracusas Livius. Ergo & minorem alterum habuerit. Is portus in Achradina. Ibidem & Arethusæ fons. Hic portum cum Arethusa jungit. Similiter & Livius ubi memorat Achradinam sub tribus præfectis fuisse, quorum unus Mœrichus Hispanus, qui Achradinam tradidit Romanis. Cum Achradinæ partes inter tres præfectos divisæ essent, & suam quisque tuendam partem suscepit, Mœricho obtigisse regionem dicit Livius ab Arethusa fonte ad ostium magni portus: *Ipsi regio evenit ab Arethusa fonte usque ad ostium magni portus. Id ut scirent Romani fecit.* Hæc cum apud Livium legisset noster, fortasse inde arripuit, ut diceret nihil illi profuisse quominus caperetur, portum marmoreum & fontem Arethusam. Nempe eam partem obtinuit præfectus ille, qui Achradinam prodidit Marcello, & milites ejus recepti per eam portam quæ prope Arethusam erat. Qua proditione non solum capta Achradina, sed etiam eadem opera & Nasos sive insula. Urbs ipsa ante in ditionem venerat Marcelli cum arce Euryalo. Magnum autem portum fortasse pro magnifico vel magnifice extructo accepit Florus. Nusquam enim prodidit Livius ex marmore fuisse. Ut ut sit, ineptum est quod Florus portum heic marmoreum fontemque Arethusam cum triplicis muri & trinæ arcis munimentis jungit, quasi & in illis satis præsidii esse debuerit ne urbs caperetur, quod tamen parum valuerit: *Longe illi triplex murus totidemque arces, portus ille marmoreus & fons celebratus Arethusæ.* Sic supra cum vellet dicere parum valuisse artes nauticas Carthaginiensibus: *Longe illis nauticæ artes, detergere remos, & ludificari fuga rostra.* Ceterum ut adesse alicui dicitur qui eum defendit ac protegit, ita abesse & longe esse à quo non

Digitized by Google

reus, & fons celebratus Arethusæ: [56] nisi quod hactenus profuere, ut pulchritudini victæ urbis parceretur. [57] Sardiniam

non potest præsens auxilium sperari. Virgilius in duodecima Æneide, *Longe illi Dea mater erit.* Longinquum auxilium ei, cui præsens periculum, pro nullo putandum est. Ideo vicinos auxiliatores præferebat Hesiodus longe habitantibus si forte cognatis.

Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο ᾗ πηοί.

Vicinus in qualicunque habitu deprehensus, etiam seminudus, etiam discinctus, ex proximo potest accurrere. Cognatus, qui longe incolat, præter moram itineris, id etiam temporis moratur, quod in vestiendo se ac cingendo sumere cogitur. Quia nudus ex longinquo per mediam urbem aut discinctus venire non possit. Ut serum igitur auxilium idem fere quod nullum, ita, qui longe alicui sunt vel absunt, in præsenti periculo constitutis parum idonei defensores. Inde illa loquutio è medio vulgi sermone sumpta, *Longe esse aliquid* vel *aliquem*, qui parum prodest vel non defendit. Cæsar de bello Gallico, *Longe illis absuturum nomen populi Romani.* Ubi etiam emendari potest: *longe illis futurum.* Etsi nec improbem absuturum. Sic *adsistere*, quod adesse ac præsentem esse significat, recens Latinitas pro *adjuvare* posuit. Et ita nos quoque nunc Francoceltæ in idiomate nostro Romanensi usurpamus.

56 *Nisi quod hactenus profuere*] Ita recte Gruterus noster restituit ex veteri sua editione, cum reliquæ recentiores haberent: *Quid nisi hactenus profuere?* cum interrogatione. Veteribus editis nostri codices scripti suffragantur. Portum marmoreum & fontem Arethusæ hactenus Syracusis profuisse, ut victæ urbi parceretur, Flori somnium est. Pulcritudo urbis ac vetusta gloria, omnium fermè illa tempestate clarissimæ ac pulcherrimæ, memoria præterea beneficiorum Hieronis socii regis, potius effecerunt ut ne deleretur.

57 *Sardiniam Gracchus arripuit*] In Sardinia tum quidquam egisse Gracchum non reperio. Sardiniam à Graccho perdomitam post captas Syracusas, ordo rerum, prout hic narrantur, postulat. Atqui nihil in Sardinia gestum eo anno quo expugnatæ Seracusæ. Tribus aut quatuor annis ante domita fuit Sardinia per T. Manlium prætorem, qui triginta millia Sardorum uno prœlio cecîdit, duce Hiosto filio Hamsicoris. Qui etiam altera acie Sardos cum Pœnis devicit, quibus præerat imperator Asdrubal, Cornumque urbem totius gentis primam cepit. His perpetratis ac debellata insula, Manlius Romam navigavit, perdomitamque Sardiniam patribus nunciavit. Vide Livium lib. XXIII. Non potest de alia subactione Sardiniæ Florus intelligi, nec ipse potuit intelligere. Sed perperam Graccho tribuit, quod à Manlio gestum est. Sempronius Gracchus tum Consul Campanos cecidit. Epitome Liviana: *Sempronius Gracchus consul Campanos cecidit. Præterea in Sardinia feliciter T. Manlio prætore adversus Pœnos Sardosque res gestas continet, à quo Asdrubal dux & Mago & Hanno capti.* Multa igitur heic

Digitized by Google

diniam Gracchus arripuit. [58] nihil illi gentium feritas, Insanorumque (*nam sic vocantur*) immanitas montium profuere. Sævitum in urbes, urbemque urbium Caralim, ut [59] gens contumax, vilisque morti, saltem desiderio patrii soli domaretur. In Hispaniam missi Cnæus & Publius Scipiones, pæne totam Pœnis eripuerant; sed insidiis Punicæ fraudis oppressi [60] rursus amiserunt, magnis quidem illi prœliis, quum DLXXVI. I DXXXVI.

heic à Floro peccata. Primum, quod subactam Sardiniam à Graccho facit, quam Manlius subegit. Deinde, quod post captas Syracusas id actum memorat, quo tempore constat nondum obsessas fuisse. At tres annos integros in obsidione Syracusarum contrivit Marcellus. Postremo, quod in Caralim urbem sævitum ait, quæ Romanorum tunc fuit, & sedes erat belli Romano imperatori. Ducem Sardorum Livius in editis *Harsicoram* vocat. Sed vetustissimus liber Bibliothecæ Puteanorum modo *Hamsicoram* appellat, modo *Hapsicoram*. Græcis Ἀψικόρας. *Pellidos Sardos* ibidem commemorat, qui debent esse *Pelliti*, a pellibus quas gerebant pro veste. Sic *pelliti Scythæ*. Livius: *Hapsicora tum forte profectus erat in pellitos Sardos*. Ita scribendum. Pellitos fuisse Sardos aliquos vel *mastruga* vestis indicio est, quam à Sardis acceptum auctores scribunt, & pelliceam esse volunt.

58 *Nihil illi gentium feritas, insanorumque immanitas montium profuere*] De Syracusis idem dixerat alio modo: *Longe illi triplex murus totidemque arces*. Hoc est, Nihil illi triplex murus profuit totidemque arces. Frigida porro & absurda Flori hæc conceptio de Insanis montibus, qui nihil Sardiniæ profuere quo minus subigeretur. Quasi insani illi montes tam ardui atque ascensu difficiles fuerint, ut prohibere potuerint insulam adiri, vel domari. Ad mare illi montes, ac cognomine horrendi magis quam re ipsa. Meminit eorum Livius lib. XXX. ea inde accepit noster, quamvis ibi de alia re mentio fiat quam de Sardinia à Manlio subacta: *Iluam insulam & ab Ilua Corsicam, à Corsica in Sardiniam traiecit. Ibi superantem Insanos montes multo & sævior & infestioribus locis tempestas adorta disjecit classem*. Ex eo loco arripuit Insanos istos montes, quorum immanitatem heic nihil profuisse dicit Sardiniæ, cum à Graccho perdomaretur. Qua de re nihil ibi Livius cum Sardiniam redactam in ditionem memorat. Et sane ineptum est. Nullum enim impedimentum aut moram objecisse armis Romanis montes illos historia ipsa perhibet, haud sane magis quam fons Arethusæ.

59 *Gens contumax, vilisque mortis*] Verius legerim, *vilisque morti*. *Vilem morti* eleganter vocat facilem ad mortem excipiendam, & mortem nihili facientem.

60 *Rursus amiserunt*] *Amiserant*, Jordanes. *amiserunt* probamus.

quum Punicas opes cecidissent: sed Punicæ insidiæ alterum ferro castra metantem, alterum quum evasisset in turrim, cinctum facibus oppresserunt. Igitur in ultionem pa-
DXLII. tris, ac patrui missus cum exercitu Scipio, cui tam grande de Africa nomen fata decreverant, bellatricem illam, viris armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam Annibalis eruditricem, (incredibile dictu) totam à Pyrenæis montibus in Herculis columnas &
DXLVII. Oceanum recuperavit: [61] nescias citius an felicius. quam velociter, quatuor anni fatentur: quam facile, vel una civitas probat. eodem quippe, quo obsessa est die, capta est; omenque Africanæ victoriæ fuit, quod tam facile victa est Hispana Carthago. Certum est tamen, ad profligandam provinciam maxime profecisse singularem ducis sanctitatem: quippe qui captivos, puellasque præcipuæ pulchritudinis, barbaris restituerit, ne in conspectum quidem suum passus adduci; nequid de virginitatis integritate delibasse [62] vel oculis videretur. Hæc inter diversa terrarum populus Romanus: nec ideo tamen Italiæ visceribus inhærentem summovere poterat Annibalem. Pleraque ad hostem defecerant: & dux acerrimus contra Romanos Italicis quoque viribus utebatur. Iam tamen eum plerisque oppidis & regionibus excusseramus.
DXLIV. [63] Tarentus ad nos redierat: jam & Capua, sedes & domus,

61 *Nescias citius, an facilius*] Quod cito fit, etiam fieri facile puto. Scribendum igitur *felicius* ex veteri editione & optimo Nazariano, utroque Palatino, & Iordane ipso denique. Sic lib. III. cap. VI. *Quid prius in hac mirere victoria, velocitatem, quod quadragesimo die parta est, an felicitatem, quod ne una quidem navis amissa est.* Sic infra lege *feliciter*, pro *facile*.

62 *Saltem oculis videretur*] Legebatur prius, *Saltem vel oculis*. Inepte. alterutrum enim tantum probum est, alterum ejiciendum. in Flori certe libris omnibus, *vel oculis videretur*, scriptum extat.

63 *Tarentus ad nos redierat*] In veteribus Nazarii membranis scribitur: *Idem Tarentius*. facilis emendatio: *pridem Tarentinus ad nos redierat*. sic fere semper loquitur Florus. *Tarentinus* pro *Tarentini*, *Romanus* pro *Romani*,

Germanus

Digitized by Google

modus, & patria altera Annibalis tenebatur: cujus amis- DXLII
sio tantum Pœno duci dolorem dedit, ut inde totis viri-
bus Romam converteretur. O populum dignum orbis
imperio! [64] dignum omnium favore, & admiratione homi-
num ac deorum! [65] Compulsus ad ultimas metus ab incepto
non destitit: & de sua Urbe sollicitus, Capuam tamen non
omisit; sed parte exercitus sub Appio consule relicta, par-
te Flaccum in urbem sequuta, absens simul præsensque
pugnabat. Quid ergo miramur moventi castra à tertio la- DXLII.
pide Annibali iterum ipsos deos, deos inquam, (nec fa-
teri pudebit) restitisse? Tanta enim ad singulos illius mo-
tus vis imbrium effusa, tanta ventorum violentia coorta
est, ut divinitus hostem summoveri; [66] neque cœlo, sed
ab Urbis ipsius mœnibus, & Capitolio ferri videretur. Ita-
que fugit, & cessit, & in ultimum se Italiæ recepit sinum,
quum Urbem tantum non adoratam reliquisset. Parva res
dictu, sed ad magnanimitatem populi Romani probandam
satis efficax: quod illis ipsis, quibus obsidebatur diebus,
ager, quem Annibal castris insederat, venalis Romæ fuit,
hastæ-

Germanus pro *Germani*, & talia passim obvia sunt multa, hunc authorem pervolventibus.

64 *Dignum omnium favore*] Dele *omnium*, & lege: *dignum favore & admiratione hominum ac deorum.*

65 *Compulsus ad ultimos metus*] Quid videbitur si legamus *ad ultimas metas*? Ita sane elegantius multo censeam legi juxta scripturam Nazariani libri. *Ad ultimas metas compelli*, paroemiæ vicem obtinet, & simile illi *ad incitas redigi*, Cyrus Prodromus lib. v. amorum Rhodanthes & Dosiclis, *ἐν ἐσχάτοις πίθοις* eleganter dicit pro eodem. senecæ *extrema tegula*. Notum illud Poëtæ: *His ego nec metas rerum.*

66 *Non à cælo, sed ab urbis ipsius mœnibus*] Non dubitem ita concinnatam & deproperatam hanc esse lectionem manibus & ingenio correctorum, retentis quæ volebant, quæ nolebant reiectis. Vetus editio, ut nos docuit vir doctissimus qui ea usus est, habet: *Nec cælo, sed ab urbis ipsius mœnibus in Capitolio ferri videretur.* Vide facinus correctorum. *Ferri* sustulerunt, in quo cardo erat sententiæ. *Nec* in *non* perverterunt, & alia, quæ omitto,

 corr-

hastæque subjectus invenit emptorem. Voluit Annibal contra fiduciam imitari; subjecitque argentarias Urbis tabernas: nec sector inventus est, ut scias [67] etiam præsagia fatis fuisse. Nihil actum erat tanta virtute, tanto favore etiam deorum. siquidem Asdrubal frater Annibalis, cum exercitu novo, novis viribus, nova belli mole veniebat. Actum erat proculdubio, si vir ille se cum fratre junxisset, sed hunc quoque castra metantem Claudius Nero cum Li-
DXLVI. vio Salinatore debellat. [68] Nero in ultimos Italiæ angulos summovebat Annibalem. [69] Livius in diversissimam partem, id est, in ipsas nascentis Italiæ fauces signa converterat. Tanto, id est, omni qua longissima Italia, solo in-

terja-

commiserunt. Totum hunc locum ita ex veteri editione & libris scriptis emendamus: *Tanta enim ad singulos illius motus vis imbrium effusa est: tanta ventorum violentia coorta, ut divinitus hostem summoveri, nec cælo, sed ab urbis ipsius mœnibus & Capitolio ferri videretur.* Hoc sensu: tanta imbrium & ventorum vis coorta, ut divinitus hostem summoveri putares, nec illam vim imbrium cœlo ferri, sed ab ipsis mœnibus urbis & Capitolio diceres. Quid planius? An hæc pervertenda erant, ut intelligi possent? Isne autem erat Hannibal, quem mœnia urbis Romæ fugarent & summoverent? Quod illa lectio omnino innuit. Satis & nobis & illis hæc diximus.

67 *Etiam præsagia fatis fuisse*] In duobus Palatinis, *& præsagia fatis fuisse.* editam retinemus.

68 *Nero in ultimos Italiæ angulos*] Optimus Nazarianus, *ultimo Italiæ angulo.* corrupte sane: nam, *ultimos Italiæ angulos*, rectum est. sic supra, *& pepulit in Campania sua*, pro *in Campaniam suam*: ad quem locum annotationem nostam delere debes, & pro nulla putare: nam vera lectio illius loci, *pepulit in Campaniam suam, & ab obsidione urbis Nolæ excussit*, quod tunc non videramus. tantum enim abest, ut Hannibalem à Campania pepulerit Marcellus, ut vel ad ultimas metas redactus, Capuam tamen, quæ caput est Campaniæ, non omiserit. Nola urbs est Piceni, cujus obsidionem relinquere coactus est Hannibal, & in Campaniam suam refugere. vides ut perpetuo nobis cor non recte saliat.

69 *In diversissimam partem & in ipsas nascentis Italiæ fauces*] lege ex libris: *Id est, ipsas nascentis Italiæ fauces.* Paulo ante dixerat, *ultimos Italiæ angulos.* Nunc diversissimam partem opponit, id est, *nascentis Italiæ fauces.* Nec dubium quin hæc sit vera scriptura. cujus nisi authores essent fidei non culpandæ libri, nec eam proponerem, nedum tueri vellem. Sic infra me-

mini

Digitized by Google

terjacente, quo consilio, qua celeritate, consules castra 70 conjunxerint, inopinanterque hostem collatis signis compresserint, neque id fieri Annibal senserit, difficile dictu est. Certe Annibal re cognita, quum projectum fratris caput ad sua castra vidisset: *Agnosco*, inquit, *infelicitatem Carthaginis*. Hæc fuit illius viri, non sine præsagio quodam fati imminentis, prima confessio. Jam certum erat, Annibalem, etiam ipsius confessione, posse vinci: sed tot rerum prosperarum fiducia plenus populus Romanus, magni æstimabat asperrimum hostem in sua Africa debellare. Duce igitur Scipione, in ipsam Africam tota mole con- DXLIX.
versus, imitari cœpit Annibalem, & Italiæ suæ clades in Africam vindicare. Quas ille (dii boni!) Asdrubalis copias, quos Syphacis exercitus fudit? quæ quantaque utrius- DL.
que castra facibus illatis una nocte delevit? denique jam non à tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat. Sic factum est, ut inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret Annibalem. Non fuit major sub DLI.
imperio Romano dies, quam ille, quum duo omnium & antea & postea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ victor, collatis cominus signis direxere aciem. Sed & DLI.
colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione defixi: ubi de pace non convenit, signa cecinere. Constat utriusque confessione, *nec melius instrui aciem, nec acrius potuisse pugnari*. Hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis exercitu prædicaverunt. Sed tamen

mini correxisse: *Senatus, id est, Pompeius*. Ubi vulgo: *Senatus, & Pompejus*.

70 *Conjunxerint*] Uterque Palatinus: *conjunxerant*. Sequitur: *inopinantemque hostem*. Optimæ membranæ: *inopinanterque*. Si verum licet dicere, *inopinantem* vix Latinum censeo. Jordanis veteres libri: *inopinatumque*. Glossæ: *Inopinanter, Ἀπροσδοκήτως*. Certe aut *inopinatum* scribendum, aut *inopinanter*.

Digitized by Google

DLII tamen Annibal cessit; præmiumque victoriæ Africa fuit, & sequutus Africam statim terrarum orbis.

Cap. VII.

Bellum Macedonicum primum.

Post Carthaginem vinci neminem puduit. Sequutæ sunt statim Africam gentes, Macedonia, Græcia, Syria, cæteraque omnia, quodam quasi æstu & torrente fortunæ. [1] Sic primi omnium Macedones, affectator quondam imperii populus. Itaque quamvis tunc Philippus regno præsideret, Romani tamen dimicare sibi cum rege Alexandro
DXXXIIX videbantur. Macedonicum bellum [2] nomine amplius, quam spectatione gentis fuit. Caussa cœpit à fœdere Philippi, quo rex jampridem dominantem in Italia Annibalem sibi sociaverat: postea crevit, implorantibus Athenis auxilium contra regis injurias, quum ille ultra jus victoriæ in templa,

1 *Sed primi omnium Macedones*] Num ex *sed* sit faciendum *sic* videamus. Ita mihi videtur, adstipulante veteri scriptura, & postulante sententia, duabus enim ante lineis scribit, Africam statim Macedones sequutos esse. Recte igitur nunc quasi repetens ait, *sic primi omnium Macedones*, scilicet, cum quibus bellum, Africa devicta aut pacata, Romani gesserint. Sequitur, *affectator quondam imperii populus. quondam*, retineo, nec otiosum arbitror: immo maxime ἐνεργεῖ hoc loco. respicit ad tempora Philippi & Alexandri Macedonis, post quos reges nulla imperia inveniuntur affectasse, ut qui multum à viribus & virtute majorum excidissent.

2 *Nomine amplius, quam exspectatione*] Hanc pridem vocem explodendam judicaveram, substituta meliore, quam extare in veteri editione, indicante magno viro, cognoveram: nempe, *spectatione*. *exspectatione*, ut vulgo legitur, quid heic sonat? spectatio est consideratio, & respectus: ut dicat, amplius illud bellum nomine fuisse, propter nomen & memoriam olim virtutis Macedonum, quam consideratione & respectu ipsius gentis, quæ illo tempore non multum laudata erat. *Exspectare*, pro *spectare* scriptum, millies in veteribus libris animadverti.

3 Qui-

pla, aras, & sepulcra ipsa saviret. Placuit senatui opem tantis ferre supplicibus. Quippe jam gentium reges, du- DLII.
ces, populi, nationes, præsidia sibi ab hac urbe petebant.
Primo igitur Lævino consule populus Romanus Jonium DXLIII.
mare ingressus, tota Græciæ littora veluti triumphanti classe peragravit. Spolia quippe Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniæ, Africæ præferebat: & manifestam victoriam nata in prætoria puppe laurus pollicebatur. Aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamenorum. aderant Rhodii, nauticus po- DLV.
pulus: [3] quibus à mari, consul à terris omnia equis virisque quatiebat. Bis victus rex, bis fugatus, bis exutus castris: quum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso vulnerum aspectu: quæ non spiculis, non sagittis, [4] nec ullo Græculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, ultra mortem patebant. Enimvero Flaminio duce invios antea [5] Chaonum montes, Aoum- DLV.
que

3 *Quibus à mari Consul, à terris omnia equis*] Pravissima hujus loci distinctio, quam jam pridem non meliorem factam miror. omnino distinguendum, *aderant Rhodii nauticus populus, quibus à mari, consul à terris omnia equis virisque quatiebat.* aliquid tamen subintelligendum, quibus à mari, omnia infestantibus & quatientibus, consul à terris, equis & viris omnia quatiebat & infestabat. qui Florum leget, videbit illum sæpe ita loqui.

4 *Nec ullo Græculo ferro*] Ita in omnibus fermè libris: & haud dubie rectum est. verum in quodam Jordanis antiquissimo Codice, *gracili* legitur pro *græculo*: sed perperam, ut arbitror. Græci levioribus & brevioribus utebantur armis & telis: contra Macedones vastis clipeis & longis sarissis. Inde *Græculum ferrum* dicit, per contumeliam. nam & Græcos *Græculos* ignominiose vocabant.

5 *Chaonum montes, Aoumque amnem*] Egregie nomen hujus amnis restitutum ab optimo & doctissimo Vineto, cum prius in omnibus editis corruptum haberetur. *Aum* vetus lectio in optimo Nazariano, postea facili mutatione *a* in *d* mutavit: ex eo alter Palatinus *dum amnem* exhibet. ex quo postea *indum* & *pindum* & alia quæ nescio fecere correctores. Jordanes *savum* in editis, in scriptis *saum*: sed male, *s* adhæsit ex præcedentis vocis ultima syllaba. Α'ῷος etiam fluvius Cypri, & mons Aous apud Isidorum. perperam, si recte memini, scriptum est *Alous*, aut alio modo etiam corruptius.

6 Quos

que amnem per abrupta vadentem, id est, ipsa Macedoniæ claustra penetravimus. Introisse, victoria fuit. nam
DLVI. nunquam postea ausus congredi rex. Ad tumulos, [6] quos Cynoscephalas vocant, uno, ac ne hoc quidem justo prælio opprimitur. Et illi quidem consul pacem dedit, regnumque concessit: mox, ne quid esset hostile, Thebas, & Euboeam, & grassantem sub Nabide suo [7] Lacedæmona
DLVII. compescuit. Græciæ vero veterem statum reddidit, ut legibus viveret suis, & avita libertate frueretur. Quæ gaudia, quæ vociferationes fuerunt, quum hoc forte Nemeæ in theatro quinquennalibus ludis à præcone caneretur? quo certavere plausu? quid florum in consulem profuderunt? Et iterum iterumque præconem repetere illam vocem jubebant, qua libertas Achaiæ pronunciabatur: nec aliter illa consulari sententia, quam modulatissimo aliquo tibiarum, aut fidium cantu fruebantur.

CAP.

6 *Quos Cynocephalas vocant*] Scribendum contendo, *Cynoscephalas*: Græce enim κυνὸς κεφαλαὶ illi tumuli vocantur. Stephanus meus, κυνὸς κεφαλαὶ λόφος τῆς Θεσσαλίας. erat & locus Thebis hoc nomine, unde quidam illum Lyrices principem ortum volunt. Stephanus: ἔστι δὲ καὶ χωρίον Θηβῶν, ἀφ' οὗ Πίνδαρος Δαϊφάντου παῖς Βοιώτιος ἐκ κυνὸς κεφαλῶν μελῶν ποιητής. quem locum vir doctissimus & diligentissimus Lilius Giraldus vertens, male scribit, *vicum Cynocephalorum*. non enim κυνοκέφαλοι sed κυνὸς κεφαλαὶ vicus ille appellabatur. debuit igitur dicere *vico Cynoscephalis*. quinam populi sint qui dicuntur κυνοκέφαλοι notissimum est, quos ita describit Apollonius his versibus, qui quia corruptissimi vulgo leguntur, ut emendari debent, obiter ponam.

Ἡμικύνων τ' ἐνόησε γένος περιώσιον ἀνδρῶν
Τοῖς ὤμων καθύπερθεν ἐϋστρεφέων κύνιος κράς
Τέτραφε γαμφηλῇσι περικρατέεσσιν ἐρυμνός
Τῶν μὲν θ' ὥστε κυνῶν ὑλακὴ πέλει, οὐδέ τι τοῖγε
Ἄλλων ἀγνώσσουσι βροτῶν ἐνομίκλυθον αὐδήν.

Elegantissimi hi versus, nec satis scio ex quo Apollonii opere sumpti sint. nunc ad ordinem redeo.

7 *Lacedæmoniam compescuit*] Non damno *Lacedæmoniam*, sed Florum scripsisse dico *Lacedæmona*, præeuntibus libris. Sic superiori capite: *cum Xantippum illis ducem Lacedæmon misisset.*

I Ad

Digitized by Google

CAP. VIII.

Bellum Syriacum regis Antiochi.

Macedoniam statim, & regem Philippum Antiochus excepit, quadam quasi industria, sic adgubernante fortuna, ut quemadmodum ab Africa in Europam, sic ab Europa in Asiam, ultro se suggerentibus caussis, imperium procederet, & cum terrarum orbis situ ipse ordo victoriarum navigaret. Non aliud formidolosius fama bellum fuit. quippe quum Persas & orientem, Xerxem atque Darium cogitarent; quando perfossi invii montes, quando velis opertum mare nunciaretur. [1] ad hoc cœlestes minæ territabant, quum humore continuo Cumanus Apollo sudaret. Sed hic faventis Asiæ suæ Numinis timor erat. Nec sane viris, opibus, armis quicquam copiosius Syria: sed in manus tam ignavi regis inciderat, ut nihil fuerit in Antiocho speciosius, quam quod à Romanis victus est. Impulere regem in id bellum, illinc Thoas Ætoliæ princeps, inhonoratam apud Romanos querens adversus Macedones militiæ suæ societatem: hinc Annibal, qui in Africa victus, profugus, & pacis impatiens, hostem populo Romano toto orbe quærebat. Et quod illud fuisset periculum, si se consiliis ejus rex tradidisset, id est, si Asiæ viribus usus fuisset miser Annibal? Sed rex suis opibus, & nomine regio fretus, satis habuit bellum movere. Europa jam dubio procul jure ad Romanos pertinebat. DLXI.

1 *Ad hoc cælestes minæ*] *Ut hoc* ex Nazarii libro. *ut* pro *in*, multis locis scriptum in illo Codice deprehendi. libro quarto, *totus ut monstrum illud desciscebat*, pro, *in monstrum illud.* sic hoc loco, *in hoc cælestes minæ.* nihil moverim tamen *at* pro *ad.* deinde *a* in *u*, ita corruptum *ut* pro *ad.*

nebat. Hic Lysimachiam urbem, in littore Thracio positam à majoribus suis, Antiochus ut [2] hæreditario jure reposcebat: hoc velut sidere Asiatici belli mota tempestas. Et maximus regum contentus fortiter indixisse bellum, quum ingenti strepitu ac tumultu movisset ex Asia, occupatis statim insulis, Græciæque littoribus, otia & luxus tanquam victor agitabat. Euboeam insulam continenti adhærentem tenui freto reciprocantibus aquis Euripus abscidit. Hic ille positis aureis sericisque tentoriis, sub ipso freti murmure, quum inter fluenta tibiis fidibusque concineret, collatis undique, quamvis per hiemem, rosis, ne non aliquo ducem genere agere videretur, virginum puerorumque delectus habebat. Talem ergo regem jam
DLXII sua luxuria debellatum populus Romanus, Acilio Glabrione consule, in insula aggressus, ipso statim adventus sui nuncio coëgit ab insula fugere. [3] Tum præcipitem apud Thermopylas assequutus, locum trecentorum Laconum speciosa cæde memorandum, ne ibi quidem fiducia loci resistentem, mari ac terra cedere coëgit. Statim & è vestigio itur in Syriam. Classis regia [4] Polyxenidæ Annibalique commissa. nam rex prælium nec spectare poterat. Igitur duce Æmilio Regillo, [5] adremigantibus Rhodiis, tota laceratur. Ne sibi placeant Athenæ; in Antiocho, vici-

2 *Hæreditario jure reposcebat*] *Repetebat*, in aliis.

3 *Tam præcipitem*] Non dubito scribere, *tum præcipitem*. ipsa postulante ratione & sententia.

4 *Polyxenidæ*] Vt supra *Leonidæ*, & tamen Græcis πολυξενίδης & λεωνίδης. Vide Priscianum lib. 11. in vetustissimis membranis Græcorum epigrammatum λεωνίδα fere semper scribitur, & Σιμωνίδα, pro Σιμωνίδου & Λεωνίδου. sic Maro dixerat *Belida Palamedis* pro *Belidæ*: ut annotat Carisius.

5 *A remigantibus Rhodiis*] Ex duabus vocibus unam faciendam censeo, *adremigantibus*. & distinguendam: *igitur duce Æmilio Regillo, adremigantibus Rhodiis, tota laceratur*. Libro tertio: *adremigantem litori Romanorum videns classem*. Sic, *adgubernare* alibi dixit.

6 Mon-

Digitized by Google

vicimus Xerxem; in Æmilio Themistoclem æquavimus; Epheso Salamina pensavimus. Tum consule Scipione, DLXIV. cui frater, ille modo victor Carthaginis Africanus, voluntaria legatione aderat, debellari regem placet: & jam toto cesserat mari:. sed nos imus ulterius. Mæandrum ad amnem [6] montemque Sipylum castra ponuntur. Hic rex, incredibile dictu, quibus auxiliis, quibus copiis consederat. trecenta millia peditum; equitum, falcatorumque curruum non minor numerus. Elephantis ad hoc immensæ magnitudinis, auro, purpura, argento, & suo ebore fulgentibus aciem utrimque vallaverat. Sed hæc omnia præpedita magnitudine sua. Ad hoc imber, qui subito superfusus, [7] mira felicitate Persicos arcus corruperat: primum trepidatio, mox fuga, dehinc triumphus fuerunt. Victo & supplici pacem atque partem regni dari placuit, eo libentius, quod tam facile cessisset.

CAP.

6 *Montemque Sipylum*] Divi Nazarii liber: *montemque Sipylum & Spilum.* In quo frustra quis se torqueret. *Spilum* enim varia lectio est, sed mendosa, quam adposuit antiquarius more suo, ut nos aliis locis notavimus.

7 *Mira facilitate Persicos arcus*] Lego: *felicitate.* Non enim mirum si imber subito superfusus arcum facile potuit corrumpere. Magis mirum deberet videri, si arcus ab imbre & madore vitiati non essent. Sed mira profecto felicitas illa Romanorum, pro quorum partibus coelum stare videbatur, cum effusus imber hostium arcus inutiles reddidit. Libri sane veteres Nazarianus & Palatinus *felicitate* retinent.

Digitized by Google

CAP. IX.

Bellum Ætolicum.

DLXIV. 1 Syriatico bello successit, 2 ut debebat, Ætolicum. Victo quippe Antiocho, Romanus faces Asiatici belli persequebatur. Ergo Fulvio Nobiliori mandata ultio est. Hic protinus caput gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi machinis quatit. Sequuta deditio est. Aderant Ætolorum precibus Attici, Rhodii: & memineramus auxilii. sic placuit ignoscere. Serpsit tamen latius in proximos bellum; omnisque late Cephalenia, Zazynthos, & quicquid insularum in eo mari inter Ceraunios montes jugumque Maleum, Ætolici belli accessio fuerunt.

CAP. X.

Bellum Histricum.

DLXXVI Histri sequuntur Ætolos: quippe bellantes eos nuper adjuverant. & 1 initia pugnæ prospera hosti fuerunt, eadem-

1 *Syriaco bello*] Non temere reperi ullum veterem codicem, in quo non frequentius *Syriaticum*, quam *Syriacum* scriptum occurreret. Ita scribi in Solini vetustis exemplaribus, ita in Isidori, ita denique in Flori libris semper visus sum animadvertere. Ut hoc loco, *Syriatico bello* non *Syriaco* legebatur. Ἐθνικὸν τοῦ σύρος σύριος, συριάτης. Inde συριατικός. Nec horum tamen mentio in ἐθνικῶν scriptore, apud quem θεοῦ βοηθοῦντος, περὶ τῶν ἐθνικῶν [illegible] multis disputabimus. Sic *Asiaticus* dicitur, ut *Syriaticus*.

2 *Ut debebat*] *Et debebat*, veteres quidam non male.

1 *Initia pugnæ prospera*] Addit particulam *&* Nazarianus, *& initia pugnæ*. quod etiam aliæ editiones retinebant. malim, *sed initia pugnæ prospera hosti fuerunt*. errori causam præbuit, *set* veteri consuetudine scriptum, pro *sed*.

2 Cum

eademque exitii caussa. Nam quum [2] Cnæi Manlii castra cepissent, opimæque prædæ incubarent; epulantes, ac ludibundos plerosque, ac ubi essent præ poculis nescientes, Appius Pulcer invadit. Sic cum sanguine & spiritu male DLXXVI. partam revomuere victoriam. [3] Ipse rex Apulo equo impositus, [4] quum subinde crapula, & capitis jactati fervore lapsaret, captum sese vix & ægre, postquam experrectus est, didicit.

CAP. XI.

Bellum Gallogræcum.

GAllogræciam quoque [1] Syriatici belli ruina involvit. Fuerint inter auxilia regis Antiochi, [2] an fuisse, DLXIV. ac

2 *Cnæi, Manlii*] *Mallii*, aliis. Græci Romanorum *Manlium* μάλλιον fere solent scribere.

3 *Ipse rex Apulo equo impositus*] Dubitant docti, regis sit istud nomen, an mutari in aliud quid debeat. Lipsius *ab epulo* emendabat. Fuit quando putarem Apulum equum dici ex Apulia. De quibus Lucillius apud Festum: *Apulidæ pedibus stlembi*. Nunc vix ausim dubitare quin *Apulo* sit reguli illius nomen. Apulonis mentio in veteri inscriptione: CAMURIUS APULONI FECIT. *Apulo* igitur nomen proprium reguli hujus & sic malim scribere quam *Aepulo*, ut apud Livium legitur, ubi sic vocatur lib. XLI.

4 *Quum subinde crapula, & capitis errore lapsaret*] Κραιπαλῶν καὶ ἀλύων καὶ [illegible]. Liber Nazarii verbum *jactaret* interserit, in hunc modum: *quum subinde crapula, & capitis jactaret errore lapsaret*. Nec, qui possit retineri aut emendari, video, nisi legimus: *quum subinde crapula caput jactaret & errore lapsaret*. aut forte legendum, *& capitis jactatus errore lapsaret*. Proprium eorum qui crapula laborant, caput jactare & motare. Cui convenienter Grammatici veteres; κραιπάλην dictam aiunt ἀπὸ τοῦ κάρα πάλλειν τοὺς μεθύοντας. Illa conjectura non leviter mihi placet.

1 *Syriaci belli ruina*] Et hoc loco *Syriatici* veteres agnoscant. Vide quæ supra notamus.

2 *An fuissent, an visos eos simulaverit*] De sinceritate hujus lectionis nolim dubitare. quia tamen ab ea paulo in diversam abeunt veteris scripturæ ve-

Digitized by Google

ac cupidus triumphi Manlius eos visos simulaverit, dubium est. Certe negatus est victori triumphus; quia caussam belli non approbavit Senatus. Cæterum gens Gallogræcorum, sicut ipsum nomen indicio est, 3 mixtæ & adulteratæ reliquiæ Gallorum, qui Brenno duce vastaverant Græciam; 4 mox Orientem sequuti, in media Asiæ parte sederunt. Itaque ut frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum, Asiatica amœnitate mollita est. Duobus itaque præliis fusi fugatique sunt: quamvis sub adventu hostis relictis sedibus, in altissimos se montes recepissent, 5 quos Tolostobogi, Tectosagique

vestigia, dubium excitabimus in re satis dubia. Hæc est lectio veterum, & inter eos Nazariani vetustissimi: *an fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos visos simulaverit, dubium est.* quæ stare non potest si sententiam spectes. Nihil consultius mihi visum est, quam si scribas, pro *an eos visos*, *ac eos visos*, & ita legas, *an fuisset cupidus triumphi Manlius, ac eos visos simulaverit.* optima nunc sententiæ ratio est. præcedit, *fuerant inter auxilia regis.* Hoc in dubium revocat, iis quæ sequuntur: an, inquit, triumphi cupiditas eo Manlium impulerit ut iis attribueret quod fuissent in auxilius regis Antiochi, ac eos visos simulaverit, dubium video quid possit opponi. nos veterem scripturam, quam licet & quam possumus tueri satis tutum putamus. alter Palat. *an fuisset cupidior triumphi Manlius.*

3 *Mixta, & adulteratæ reliquiæ*] Placet, ut ita scribamus, *cæterum gens Gallogræcorum, sicut nomen indicio est, mixta & adulterata est: reliquiæ Gallorum, qui Brenno duce vastaverant Græciam.* mixtam & adulteratam gentem Gallogræcorum, & reliquias esse Gallorum, qui Brenno duce in Græciam venerant, dicit: plana sententia & lectione nec neminem mihi assensurum spero.

4 *Mox Orientem sequuti*] In altero Palatino, *in Orientem sequuti*, perperam.

5 *Quos Tolostobogi, Tectosagique jam insederant*] Multa habentur in editionibus, de quibus alias dubitare ineptum esset, nisi discrepantiam ostenderent antiqui libri. Ut hoc loco scripti omnes cum veteri editione concorditer scribunt: *Tolostobogiorum Tectosagi jam insederant.* Tres sane partes, sive μοίρας [illegible] fuisse auctores scio, & unam partem qui Τολοστοβόγιοι dicuntur, alteram Τεκτοσάγας, tertiam Τρόκμους obtinere. At ex hac lectione videretur Florus Τεκτοσάγας inter Τολοστοβόγιους reponere, ita ut in his comprehenderentur. An ita auctior scripserit, & hoc ut alia nonnulla peccarit,

defecto

que jam insederant. Utrique fundis sagittisque acti, in perpetuam se pacem dediderunt. Sed alligati miraculo quodam fuere, quum catenas morsibus & ore tentassent; quum offocandas invicem fauces præbuissent. Nam [6] Orgiagontis regis uxor à centurione stuprum passa, memorabili exemplo custodiam evasit, revulsumque militis caput ad maritum suum retulit.

CAP. XII.

Bellum Macedonicum secundum.

DUm aliæ aliæque gentes [1] Syriatici belli sequuntur ruinam, Macedonia se rursus erexit. Fortissimum populum memoria & recordatio suæ nobilitatis agitabat. & successerat Philippo filius Perses; qui semel in perpetuum victam esse Macedoniam, non putabat ex gentis dignitate. Multo vehementius sub hoc Macedones, quam sub patre consurgunt. quippe Thracas in vires suas traxerant: atque ita industriam Macedonum viribus Thracum; ferociam Thracum [2] disciplina Macedonum temperaverunt. Accessit his consilium ducis, qui situm regionum suarum summo speculatus Hæmo, positis per abrupta castris, ita Macedoniam suam armis ferroque vallaverat, ut non reliquisse DXXCII.

nescio. Sed juvat potius inclinare in favorem antiqui auctoris, eumque menda simul & culpa absolvere, scriptam lectionem ad hunc modum, quem ipsa præmonstrat, reformando: *Tolistobogi*, *Trocmi*, *Tectosagæ jam insederant*. Pro *Tolistobogi Trocmi*, imperiti librarii fecerunt, *Tolistobogiorum*.

6 *Orgiagontis uxor*] Male scriptum, pro *Orgiagontis*. & hoc ex prisca scriptura, *Orciagontis*, *c* pro *g*. deinde etiam *c* in *g*, ut alias, degenerante.

1 *Syriaci belli*] *Syriatici belli*. supra de hoc diximus.

2 *Disciplina Macedonum temperaverint*] Nazarianus liber, *disciplinam Macedonicam*. lege, *disciplina Macedonica temperarunt*.

3 Per

DXXCIV. quisse aditum nisi à cælo venturis hostibus videretur. Nam Marcio Philippo consule eam provinciam ingressus populus Romanus, exploratis diligenter accessibus [3] per Bistonidem paludem, per acerbos dubiosque tumulos, illa quæ volucribus quoque videbantur invia, accessit, regemque securum, & nihil tale metuentem, [4] subita belli irruptione terruit. Cujus tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare jusserit mergi, ne periret: classem
DXXCVI. cremari, ne incenderetur. Paullo consule quum majora & crebra essent imposita præsidia, per alias vias [5] Macedonia deprensa est; summa quidem arte & industria ducis, [6] quum alia minatus, alia irrepisset. Cujus adventus ipse adeo terribilis regi fuit, ut interesse non auderet, sed gerenda ducibus bella mandaverit. Absens ergo victus fugit in maria, insulamque Samothracem, fretus celebri religione, quasi templa & aræ possent defendere, quem nec

3 *Per Astrudem Paludem*] Hæc Astrudis palus, sive Astrudæ sit, ut alii volunt, mihi inaudita est, & omnibus scriptoribus, si bene scio, indicta. *Astimidam*, *Astiundam*, *Astomdam*: his tot modis variatum habent libri. quarum scripturarum varietate bene perpensa corrigendum putavi, *Bistonidam paludem*, vel *Bistonidem*, quod idem est. Hac lectione non longo intervallo relinquimus antiquæ vestigia. *Bistonis palus* in illis tractibus notissima ex scriptoribus. *Bistonidam* autem, ut *Elidam*, *Persidam*, *Leucadam*, *Chalcidam*, & alia, quæ supra notavimus.

4 *Subita belli irruptione*] Quidam, *eruptione*. *irruptione* retinendum.

5 *Macedonia deprensa est*] Alter Palatinus *depressa*. perperam, & recte *deprensa* substituit vir summus I. Gruterus, cum editiones aliæ *depressa* legerent.

6 *Quum alia minatus, alia irrepsisset*] Scribe: *alias eminatus*, *alias irrepsisset*. Libri etiam, *eminatus* legunt, quibus compar est editio vetus. Plautus utitur hoc verbo *eminari*. in simili autem re designanda paulo aliter loquitur Frontinus lib. I. stratagematum: *reliquit suos paucos*, *qui speciem remanentis exercitus praeberent*, *& ipse cum cætera manu*, *qua non expectabatur aditus*, *intravit*. Hæc postrema varie emendant docti. Ego vocem *aditus* delendam censeo omnibus modis, & legendum: *quà non exspectabatur*, *intravit*. Sic supra de Scipione: *quà non exspectabatur*, *irrupit*. *Pontes jungunt*, *instrumentaque moliuntur*. Nihil cohæret.

7 *Ab*

Digitized by Google

nec montes sui, nec arma potuissent. Nemo regum diutius amissæ fortunæ conscientiam retinuit. Supplex quum scriberet ad imperatorem [7] ab illo quo confugerat templo, nomenque epistolæ notaret suum, *regem* addidit. Sed nec reverentior captæ majestatis alius Paullo fuit. Quum in conspectum venisset hostis, [8] in templum recepit, & conviviis adhibuit, liberosque admonuit suos, ut fortunam, cui tantum liceret, revererentur. Inter pulcerrimos hunc quoque populus Romanus de Macedonia duxit atque vidit triumphum: quippe cujus spectaculo triduum impleverit. Primus dies signa tabulasque: sequens arma pecu- DXXCVI.
nias-

7 *Ab illo quo confugerat templo*] Nazarianus liber, *a illo.* forte, *de illo.*

8 *In templum recepit*] Unius voculæ depravatio, sed in qua tota sententia, ut in cardine suo vertitur, satis exercuit hujus ætatis doctissimos viros. Viderunt omnes mendum tegere vocem hanc *templum*, sed potuit adhuc nemo id detegere. Si de templo illo Samothraces, ad quod confugerat rex Perses, & ex quo ad Paulum deductus fuit, aliquis intelligit, is, ut verbo dicam, nugatur: longe enim Samothracia distat ab eo loco in quo tum constiterat Paullus. sed verum videamus. suspicor vitiosa illa, & veteri scribendi forma scriptum fuisse, *in temptum recepit*, pro *tentum*, ut *tempto* pro *tento*, & *contemptus* pro *contentus* non semel in antiquis libris repperi: ex illo *temptum*, imperiti *γραφεῖς templum* posuerant, errore facili. *Tentum* ut diximus, vera & sana lectio. si quis ignorat quid sit *tentum*, docemus illum, esse *tabernaculum* vel *tentorium*. *Tendere* est σκηνὴν πήξασθαι, *tentum* est σκηνή. Recentiores latini genus mutarunt, & pro eo *tenta* dixerunt, & corruptius *tenda* sic veteribus *strata viarum* dicebantur, at recentibus *stratæ*. apud Suidam in voce σκηνή. καὶ σκηνὴν ἐπήξατο, τουτέστι τένδαν κατὰ γλῶσσαν. alibi idem, τένδα παρ' ἡμῖν οἰκία ἐκ λινοῦ. Glossæ Latinæ quæ penes me sunt, *tentum*, *tabernaculum*. Hanc vocem ut videtur vetustam usurpat Florus, quæ nescio an apud alium temere occurrat. sed & alias priscas voces, quæ alibi leguntur nusquam, in hoc auctore suscitavimus ope præstantissimorum codicum: ut sunt, *inmodum* pro *admodum*, *insemel*, *impes*, *insimul*, *intermænia*, & alia quæ non succurrunt, & hoc loco *tentum*. *tentum* aliud est in illo versu Tibulli, *Hanc tu, sed tento. scis, puto, quod sequitur.* obscœnum enim est. narrat igitur Florus tanta humanitate sese præditum ostendisse circa regem captivum, ut tabernaculo suo receperit, & conviviis adhibuerit. non multo aliter apud Plutarchum: sed aliter tamen, quem vide, & dissensum inter scriptores solemnem agnosce. nemo certe negarit, nisi iniquus, quin nos ita recte reposuerimus.

Digitized by Google

niasque transvexit: tertius captivos, ipsumque regem, attonitum adhuc, tanquam subito malo stupentem. Sed multo prius gaudium victoriæ populus Romanus, quam epistolis victoris perceperat. quippe eodem die, quo victus Perses in Macedonia, Romæ cognitum est. Duo juvenes candidis equis apud Juturnæ lacum pulverem & cruorem abluebant. hi nunciavere. Castorem & Pollucem fuisse creditum vulgo, quod gemini fuissent: interfuisse bello, quod sanguine maderent: à Macedonia venire, quod adhuc anhelarent.

CAP. XIII.

Bellum Illyricum.

Macedonici belli contagio [1] traxit Illyrios. Ipsi quidem ut Romanum à tergo distringerent, à Perse rege conducti pecunia militavere. Sine mora ab Anicio prætore subiguntur. [2] Scodram caput gentis delesse suffecit, statim sequuta deditio est. Denique hoc bellum ante finitum est, quam geri Romæ nunciaretur.

DXXCVI.

CAP.

1 *Traxit Illyrios*] Optimæ schedæ, *illyrros*, ἴλλυρες Græcis, & ἴλλυροι. sic etiam Latinis Illyres & Illyri. Plauto Illyribus & Megaribus. sic Ligures & Liguri. Baleares & Baleari. Salustius Jugurtha, *funditorum Balearorum*. *Balearorum* pro *Baliarium*. vulgo legitur *Balearicrum*. scripti Codices, ut annotant viri docti, scribunt, *Baleatorum*. nos *Balearorum* fecimus. Nam, ut diximus, *Baleares* & *Baleari* dicuntur veteribus.

2 *Scerdam caput gentis*] Forte *Scodram* melius scriberetur. σκόδραν Ptolomæus inter Liburniæ μεσογείας ponit. alia est σκόδρα apud Stephanum meum, qui scribit σκόδραν esse μακεδονικὴν πόλιν. Posset tamen eadem esse σκόδρα & σκόδραι: ut iidem sunt αἴλυροι & αἴλουροι, [illegible] & [illegible]. sed alias hac de re plura.

I In

CAP. XIV.

Bellum Macedonicum tertium.

QUodam fato, quasi ita convenisset inter Pœnos & Ma- DCV.
cedonas, ut tertio quoque vincerentur, eodem tempore utrique arma moverunt: sed prior jugum excutit Macedo, aliquanto quam ante gravior, dum contemnitur. Caussa belli prope erubescenda. quippe regnum pariter & bellum vir ultimæ sortis Andriscus invaserat; dubium liber an servus, mercenarius certe: sed quia vulgo ex similitudine Philippi *Pseudophilippus* vocabatur, regiam formam, regium nomen, animo quoque regio implevit. Igitur dum hæc ipsa contemnit populus Romanus, Iuventio prætore contentus, virum non Macedonicis modo, sed Thraciæ quoque auxiliis ingentibus validum temere tentavit: invictusque à veris regibus ab illo imaginario & scenico rege superatur. Sed consule Metello amissum cum legione prætorem plenissime ultus est. Nam & Macedoniam servitute multavit, & ducem belli deditum ab eo ad quem confugerat Thraciæ regulo, in Urbem in catenis reduxit; hoc quoque illi in malis indulgente fortuna, ut de eo populus Romanus quasi de vero rege triumpharet.

Digitized by Google

Cap. XV.

Bellum Punicum tertium.

DCIV. TErtium cum Africa bellum, & tempore exiguum, nam quadriennio patratum est, [1] & in comparatione priorum minimum labore: non enim tam cum viris, quam cum ipsa urbe pugnatum est; sed plane maximum
CDXXCIX. eventu: quippe eo tandem Carthago finita est. [2] Atque
DXXXV. si quis trium temporum momenta consideret, primo com-
DCIV missum bellum, profligatum secundo, tertio vero confectum est. Sed hujus caussa belli, quod contra foederis legem adversus Numidas quidem semel parasset classem, & exercitum, frequens autem Masinissæ fines territabat. Sed huic bono socioque regi favebatur. [3] Quum bellum sederet, de belli fine tractatum est. Cato inexpiabili odio delendam esse Carthaginem, & quum de alio consuleretur, pronunciabat: Scipio Nasica servandam, ne metu abla-

1 IN *comparatione priorum*] Lege, *in comparationem priorum*. Sic alibi loquitur, ut lib. IV. cap. X. *nihil acciderat in comparationem cladis quæ in posterum diem imminebat*.

2 *Atque si quis*] Quidam, *at si quis*. nihil muto.

3 *Quum bellum sederet*] Nazarianus, *bello cederet*. perperam. Eleganter & venuste bellum sedere diceret, quod plane depositum & finitum non erat, sed intermissum & pro tempore cessatum. quidam tamen heic legunt, *cum bellum sedaret*, quos minime sequendos puto. contra enim accipiendum est ac illi putant. *cum bellum sederet*, exponendum, quum bellum decretum esset, ut dicimus *sententiam sedere*, sic *bellum sedere*, eadem imagine. & ita accipi postulat sententia. nisi enim bellum decretum fuisset, quam ineptum erat dicere, *de fine belli tractatum est*. Acumen est Annæi, fiduciam virium Romanarum respicientis, cum, inquit, vix bellum suscipiendum esse decrevissent, jam de belli fine tractabant. tota igitur erravunt via, qui *sedaret* heic legebant, nec mentem horum verborum attenderunt.

4 Cum

Digitized by Google

ablato æmulæ urbis, luxuriari felicitas inciperet. Medium senatus elegit, ut urbs tantum loco moveretur. Nihil enim speciosius videbatur quam esse Carthaginem, quæ non timeretur. Igitur Manilio Censorinoque consulibus, populus Ro- DCIV.
manus aggressus Carthaginem, spe pacis injecta, traditam à volentibus classem sub ipso ore urbis incendit. Tum evocatis principibus, *si salvi esse vellent, ut migrarent finibus* imperatum. Quod pro rei atrocitate adeo movit iras, ut extrema mallent. Comploratum igitur publice statim, & pari voce clamatum est, Ad arma. seditque sententia quoquo modo rebellandum: non quia spes ulla jam superesset, sed quia patriam suam mallent hostium, quam suis manibus everti. Qui rebellantium fuerit furor vel hinc intelligi potest, quod in usum novæ classis tecta domusque resciderunt: in armorum officinis aurum & argentum pro ære ferroque conflatum est: in tormentorum vincula matronæ crines suos contulerunt. Mancino deinde Consule terra marique fervebat obsidio. Operis portus nudatus; & primus, & sequens; jam & tertius murus, quum tamen Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera civitas resistebat. Quamvis profligato urbis excidio, tamen fatale Africæ nomen Scipionum videbatur. Igitur in alium Scipionem conversa Respublica, finem belli reposcebat. Hunc Paullo Ma- DCVI.
cedonico procreatum Africani illius magni filius in decus gentis assumpserat, hoc scilicet fato, ut quam urbem concusserat avus, nepos ejus everteret. Sed quam maxime mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum; sic plus negotii fuit 4 cum semiruta Carthagine quam integra. Compulsis in

4 *Cum semiruta Cathagine*] Voce *semirutum* Annæum hunc solum usum esse volunt, nec præterea uspiam reperiri. sed falluntur. bis enim aut ter legisse apud alios certo memini. Schedæ meæ mihi non jam ad manum, ex quibus exempla proferrem. extare in Velleio puto, nisi me deficit memoria. optimæ glossæ apud me, *semiruta, leviter emendata*, quam diversa significatione:

in unam arcem hostibus, [5] portum quoque mari Romanus obsederat. Illi alterum sibi portum ab alia urbis parte foderunt: nec ut fugerent, [6] sed quia nemo illos hac evadere posse credebat. Inde quasi enata subito classis erupit: quum interim jam diebus, jam noctibus nova aliqua moles, nova machina, nova perditorum hominum manus, quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma, prodibat. Deploratis novissime rebus, quadraginta se millia virorum dediderunt, quod minus credas, duce Asdrubale. Quanto fortius femina, quæ comprehensis duobus liberis à culmine se domus in medium misit incendium, imitata reginam, quæ Carthaginem condidit. Quanta urbs deleta sit, ut de cæteris taceam, vel ignium mora probari potest. quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incendium exstingui, quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant: ut, quatenus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.

C A P I

cation: censeo legendum, *semierrata*, *leviter emendata*. at de illarum glossarum bonitate alias dicemus. aliæ glossæ, *semirutum*, ἡμίχωστον.

5 *Portum quoque maris Romanus obsederat*] Quis iste portus maris? An portum maris ἀνέλκυστον καὶ αὐτοφυῆ ὅρμον, ut Græci dicunt, vocat? ut opponatur fossitio portui. sequitur enim, *illi alterum ibi portum ab alia urbis parte foderunt*. legebam aliquando, *portum quoque Mari Romanus obsederat*. Sed adhuc hæreo cur non ita loquutus est, *portum quoque Romanus obsederat*, ut sexcentis aliis in locis loquitur? nihil tamen video melius illa lectione, quam etiam confirmant veteres libri.

6 *Sed quia nemo illos hac evadere posse credebat*] scripti omnes *nec* pro *hac* retinent. ita igitur hunc locum emendamus: *illi alterum ibi portum ab alia urbis parte foderunt, nec ut fugerent, sed qua nemo illos, nec evadere posse credebat.* manifesta sententia.

I Exer

CAP. XVI.

Bellum Achaicum.

QUasi sæculum illud [1] eversionibus urbium curreret, ita DCVI.
Carthaginis ruinam statim Corinthus excepit, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Jonium & Ægæum quasi spectaculo exposita. Hæc ([2] facinus indignum!) ante oppressa est, quam in numerum certorum hostium referretur. Critolaus caussa belli: qui libertate à Romanis data adversus ipsos usus est, legatosque Romanos dubium an manu, certe oratione violavit. [3] Igitur Metello ordinanti, tum maxime Macedoniam mandata est ultio: & hinc Achaicum bellum. ac primam Critolai manum Metellus Consul, [4] per patentes Elidis campos toto cecidit Alpheo. Et uno prœlio peractum erat bellum: jam & urbem ipsam terrebat obsidio: sed (fata rerum!) quam Metellus dimicasset, ad
victoriam Mummius venit. Hic alterius ducis Diæi late DCVII.
exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminosque portus sanguine infecit. Tandem ab incolis deserta civitas, direpta primum, deinde tuba præcinente deleta est. Quid signorum, quid vestium, quid tabularum raptum, incen-
sum

1 Eversionibus urbium curreret] Forte, quasi sæculum illud eversionibus urbium curreret.

2 Facinus indignum] ô facinus indignum.

3 Igitur Metello ordinanti, tum maxime mandata est ultio] Hæc quomodo possint consistere, ignoro: distinctione non minus quam lectione falsa. Corinthii superbius tractaverant legatos Romanos: mandata ultio Metello, qui tunc Macedoniam pro prætore regebat. non autem Macedoniæ ultio illi mandata est, quæ nihil peccaverat, quod verum esset, si Corinthus in media Macedonia sit. lege, *igitur Metello ordinanti tum maxime Macedoniam, mandata est ultio.*

4 *Per patentes Elidis campos*] vetus *Elide.* est *Elidæ.* sic alibi *Leucadiam* dixit, ut pluribus ibi disputamus.

1 Sola

ſum atque projectum eſt? Quantas opes & abſtulerit & cremaverit hinc ſcias, quod quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur incendio ſuperfuiſſe comperimus. Nam & æris notam precioſiorem ipſa opulentiſſimæ urbis fecit injuria: quia incendio permiſtis plurimis ſtatuis atque ſimulacris, æris, auri argentique venæ in commune fluxere.

CAP XVII.

Res in Hiſpania geſtæ.

UT Carthaginem Corinthus, ita Corinthum Numantia ſequuta eſt. Nec denique toto orbe quicquam intactum armis fuit. Poſt illa duo clariſſimarum urbium incendia late atque paſſim, nec per vices, ſed ſimul pariter quaſi unum undique bellum fuit; prorſus ut illæ urbes, quaſi agitantibus ventis, diffudiſſe quædam belli incendia toto orbe viderentur. Hiſpaniæ nunquam animus fuit adverſus nos univerſæ conſurgere: nunquam conferre vires ſuas libuit, neque aut imperium experiri, aut libertatem tueri ſuam publice. alioquin ita undique mari Pyrenæoque vallata eſt, ut ingenio ſitus ne adiri quidem potuerit. Sed ante à Romanis obſeſſa eſt, quam ſe ipſa cognoſceret; & [1] ſola omnium provinciarum vires ſuas, poſt-
DXXXV. quam victa eſt, intellexit. In hac prope ducentos per an-
DXXXVI. nos dimicatum eſt, à primis Scipionibus in Cæſarem Auguſtum, non continue nec cohærenter, ſed prout cauſſæ laceſſierant: nec cum Hiſpanis initio, ſed cum Pœnis in Hiſpania. inde contagio & ſeries cauſſæque bellorum. Prima

1 *Sola omnium poſtquam victa eſt*] *Et ſola omnium poſtquam victa eſt.* ita libri.

2 *Om*

sina per Pyrenæum jugum signa Romana Publius & Cnæus Scipiones intulerunt: prœliisque ingentibus Annonem & Asdrubalem fratrem Annibalis ceciderunt: raptàque erat DXLI.
impetu Hispania, nisi fortissimi viri in ipsa sua victoria oppressi Punica fraude cecidissent, terra marique victores.
Igitur quasi novam integramque provinciam ultor patris DXLII.
& patrui Scipio ille, mox Africanus, invasit; isque statim capta Carthagine, & aliis urbibus, non contentus Pœnos expulisse, stipendiariam nobis provinciam fecit: ² omnia citra ultraque Iberum subjecit imperio: primusque Romanorum ducum victor ad Gades & Oceani ora pervenit.
Plus est provinciam retinere, quam facere: itaque per partes jam huc, jam illuc missi duces, qui ferocissimas, & ad id temporis liberas gentes, ideo impatientes jugi, multo labore, nec incruentis certaminibus servire docuerunt.
Cato ille Censorius Celtiberos, id est robur Hispaniæ, DLIX.
aliquot præliis fregit. Gracchus, pater ille Gracchorum, DLXXV.
eosdem centum & quinquaginta urbium eversione mulctavit. ³ Metellus ille, cui ex Macedonia cognomen, meruerat

2 *Omnem citra ultraque Iberum subiecit imperio*] An *omnem provinciam*? durum est legendum, *omne citra ultraque Iberum subiecit imperio*. Id est, quod ultra citraque Iberum esset. sic infra, *quatuordecim annos omnia citra ultraque Iberum & Tagum ferro & igne populatus*.

3 *Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen*] Locus hic non satis planus, & mendo, nisi fallor, non vacat. ita ut credam facit scripturarum varietas, quæ ferè mendosi non dubium est argumentum. in altero Palatino, *Metellus ille qui ex Macedonia cognomen meruerat & Celtiberius fieri*. & ita olim coniecerat præstantissimus Gruterus. sed ne sic quidem omnia erunt sana, & hæc loquutio *Celtiberius fieri*, nescio quomodo minus placet, & genium Flori non resipit. Locum hunc sic legere & distinguere non dubitem: *Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruerat & ex Celtiberia ferre, qui & Contrebiam & Nertobriges memorabili cepisset exemplo, majori gloria pepercit*. vel hoc modo: *Metellus ille qui ex Macedonia cognomen meruerat & ex Celtiberia ferre: quum Contrebiam & Nertobriges memorabili cepisset exemplo, maiori gloria pepercit*. Metellus, inquit, ille qui tulerat ex Macedonia cognomen, meruerat & ex Celtiberia ferre, cum duas urbes in Celtiberia cepisset, victis pepercit. nec eorum

DCX. fuerat & Celtiberius fieri; cum & Contrebiam memorabili
DCXI cepisset exemplo, & Nertobriges, iis majori gloria pe-
DCII percit. Lucullus Turdulos atque Vaccæos. de quibus Sci-
pio ille posterior singulari certamine, 4 quum rex fuisset
DCXIV provocatus, opima retulerat. Decimus Brutus aliquanto
latius Celticos Lusitanosque, & omnis Gallæciæ populos,
formimidatumque militibus flumen Oblivionis: peragratoque victor Oceani littore, non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu & horrore deprehendit. Sed
DCXXI. tota certaminum moles cum Lusitanis fuit, & Numantinis, nec immerito. Quippe solis gentium Hispaniæ duces contigerunt. Fuisset & cum omnibus Celtiberis, nisi dux illius motus initio belli oppressus esset, summus vir astu & audacia, 5 si res cessisset, Salondicus, qui hastam argenteam quatiens, velut cœlo missam, vaticinanti similis, omnium in se mentes converterat. Sed quum pari temeritate sub nocte castra consulis adiisset, juxta tentorium ipsum
DCIIII. pilo vigilis exceptus est. Cæterum Lusitanos Viriatus erexit, vir

eorum urbes evertit, & ita abstinuit Celtiberici cognomine, quod ad æternam gentis maculam & opprobrium retinuisset. Sed maiorem laudem adeptus est ob humanitatem & clementiam qua erga victos usus est, quam si ex victoria cognomen tulisset. pro *Contrebiam & Nertobriges*, unus de Palatinis habet, *cum Celtiberiam memorabili cepisset exemplo*. nec longe abit veteris editionis scriptura, *Cetebriam*. Hæc Contrebia nescio an illa sit quæ apud Ptolomæum Contrebita, qui juxta eam *Nertobrigam* ponit. Sed de his alibi erit videndum.

4 *Cum a rege fuisset provocatus*] Ita viri docti emendarunt, cum in omnibus libris constans scriptura esset, *cum rex fuisset provocatus*. Sed hac supersedere poterant: vera est enim & proba hæc lectio, *cum rex provocatus fuisset: hoc est, tum Rex provocasset. provocari* pro *provocare*. hoc loco activam habet significationem. vide Priscianum lib. VIII, qui plura ejusdem modi ex optimis & vetustis authoribus recenset. apud Solinum similiter *honoratus est* pro *honoravit*. vulgo locus ille corruptissimus ubi de Dionysio loquitur Siciliæ tyranno, cum Platonem accitum ad se exciperet. Sed in nostris lectionibus plura dicturi sumus.

5 *Si recessisset*] Sequimur lectionem optimi & doctissimi Vineti, *si res cessisset*.

Digitized by Google

vir calliditatis acerrimæ; qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator, &, si fortuna cessisset, Hispaniæ Romulus, non contentus libertatem suorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra ultraque Iberum & Tagum igni ferroque populatus; [6] castra etiam prætorum & præsidum aggressus, Claudium Unimanum pæne ad internecionem exercitus cecidit, & insignia trabeis & fascibus nostris, quæ ceperat, in montibus suis trophæa fixit: tandem etiam Fabius Maximus consul oppresserat: sed à successore Pompilio violata victoria est, quippe qui conficiendæ rei cupidus, fractum ducem, & extrema deditionis agitantem per fraudem & insidias, & domesticos percussores aggressus hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse.

DCVII. DCVIII. DCXIII.

CAP. XVIII.

Bellum Numantinum.

NUmantia quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior; ita virtutis nomine & honore par omnibus, summumque, si viros æstimes, Hispaniæ decus. quippe quæ sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo apud flumen Durium sita, quatuor millibus Celtiberorum quadraginta millium exercitum per annos quatuordecim sola sustinuit; nec sustinuit modo, sed sævius aliquanto perculit, pudendisque vulneribus affecit. Novissime quum invictam esse constaret, opus quoque eo fuit, qui Carthaginem everteret. Non temere, si fateri

DCXIII.

6 *Castra etiam Prætorum, & Præsidum aggressus*] In altero Palatino, *prætorum præsidium.* alter vero, *prætoriorum præsidium.* uterque male.

 1 *Sedi-*

Digitized by Google

teri licet, ullius caussa belli injustior. [1] Segidenses, socios & consanguineos, Romanorum manibus elapsos exceperant. habita pro eis deprecatio nihil valuit. quum se ab omni bellorum contagione removerent, in legitimi foederis precium jussi *arma deponere*. Hoc sic à barbaris acceptum, quasi manus adscinderentur. Itaque statim [2] Mega-
DCXIII. ra viro, fortissimo duce ad arma conversi, Pompeium praelio agressi, foedus tamen maluerunt, quum debellare potuissent.
DCXVI. Hostilium deinde Mancinum. hunc quoque assiduis caedibus ita subegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam sustineret. Tamen cum hoc quoque foedus maluere, contenti armorum manubiis, quum ad internecionem saevire potuissent. Sed non minus Numantini, quam Caudini illius foederis flagrans ignominia ac pudore populus Romanus, dedecus quidem praesentis flagitii deditione Mancini expiavit: caeterum duce Scipio-
DCXX. ne, Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto, tandem etiam in ultionem excanduit. Sed tunc acrius in castris, quam in campo; nostro cum milite, quam cum Numantino praeliandum fuit. Quippe assiduis & injustis & servilibus maxime operibus attriti, ferre plenius vallum, qui arma nescirent; luto inquinari, qui sanguine nollent, jubebantur. Ad hoc scorta, calones, sarcinae nisi ad usum necessariae, amputantur. Tanti esse exercitum, quanti impera-

1 *Sedigenses socios*] Omnino verum est, *Segidenses*, quod cum alii jam vidissent, mirum eos retinuisse. tres scripti Codices, *Segidenses* scribunt.

2 *Megara viro fortissimo duce*] Illud *viro* mihi suspectum est: nec temere. satis fuisset dicere, *Megara fortissimo duce.* Hoc leve tamen argumentum. illud fortius, quod omnes libri *victo* non *viro* scribunt. an legendum, *Megara invicto & fortissimo duce*? an potius *Megaravicto* aut *Megaravisto*, ut *Megaravistus* sit nomen proprium illius ducis? Quibus otium est, veram quaerere non omittent, nos ad sequentia pergimus.

3 Sic

Digitized by Google

peratorem, vere proditum est. Sic redacto in disciplinam milite, commissa acies: quodque nemo visurum se unquam speraverat factum est, ut fugientes Numantinos quisquam videret. Dedere etiam sese volebant, si toleranda viris imperarentur. Sed quum Scipio veram vellet & sine exceptione victoriam, eo necessitatum compulsi primum, ut destinata morte in prælium ruerent, quum sese prius epulis; quasi inferiis, implevissent, carnis semicrudæ & celiæ; [3] sic vocant indigenam ex frumento potionem. Intellectum ab imperatore consilium: itaque non est permissa pugna morituris. Quum fossa, atque lorica, quatuorque castris circumdatos fames premeret; [4] ab duce orantes prœlium, ut tanquam viros occideret, ubi non impetrabant, placuit eruptio. Sic conserta manu plurimi occisi: & quum urgeret fames, aliquantisper inde vixere. Novissime consilium fugæ sedit: sed hoc quoque, ruptis equorum cingulis, uxores ademere, summo scelere, per amorem. [5] Itaque deplorato exitu, in ultimam rabiem furoremque conversi, postremo mori hoc genere destinarunt: duces suos, seque, patriamque, ferro & veneno, subjectoque undique igne peremerunt. Macte fortissimam, & meo judicio beatissimam in ipsis malis civitatem! asseruit cum fide socios, populum orbis terrarum viribus fultum sua manu, ætate tam longa sustinuit. Novissime maximo duce oppressa civitas, nullum de se gaudium hosti reliquit. Unus enim

3 *Sic vocant indigena ex frumento potionem*] Hoc sequor: sed habetur in libris optimis: *sic vocant indigenam ex frumento potionem.* Indigenam potionem, ἐπιχώριον πόμα, & forte an ita scripserit Florus quod temere non affirmarim.

4 *Ab duce orantes prælium*] Scripta lectio, *orante.* Lego *orant.* sequitur enim in iisdem scriptis, *& ubi hoc non impetrabant.* quod magis placet.

5 *Itaque etiam deplorato exitu*] Illud *etiam* non agnoscit optimus librorum Nazarianus, & isto authore expungere debes. adde, si vis, & veterem editionem quæ cum Nazariano convenit, ut ita pluribus authoribus expungas.

enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur. Præda ut de pauperibus nulla: arma ipsi cremaverant. Triumphus fuit tantum de nomine.

Cap. XIX.

DCXXI. HActenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus atque magnificus: [1] reliqua sæculi ut grandia æque, ita vel magis turbida & fœda; crescentibus cum
DCCXCI. ipsa magnitudine imperii vitiis: adeo ut si quis hanc ter-
DCIXC tiam ejus ætatem transmarinam, quam ducentorum anno-
CCXII. rum fecimus, dividat; centum hos priores, quibus Africam, Macedoniam, Siciliam, Hispaniam domuit, *aureos* (sicut poëtæ canunt) jure meritoque fateatur: centum sequentes *ferreos* plane & cruentos, & si quid immanius: quippe qui Jugurthinis, Cimbricis, Mithridaticis, Parthicis bellis, Gallicis atque Germanicis, quibus cœlum ipsum gloria ascendit, Gracchanas, Drusianasque cædes;
DCXX ad hoc servilia bella miscuerunt, &, ne quid turpitudini
DCXXII. desit, gladiatoria. Denique in se ipse conversus Marianis,
DCLXII. atque Sullanis, novissime Pompeii, & Cæsaris manibus, quasi per rabiem, & furorem, & nefas, semet ipse laceravit. [2] Quæ etsi juncta inter se sunt omnia atque confusa: tamen quo melius appareant, simul & ne scelera virtutibus obstre-

1 *Reliqua sæcula ut grandia æque*] Grande sane vitium hujus lectionis, quod minimo tamen labore potest tolli. An ab hoc tempore tot secula fluxerunt usque ad Cæsaris & Pompeii furores civiles? Vix profecto triginta anni plus aut minus interiacent, ab hac Numantiæ eversione usque ad illa bella civilia. scribendum itaque: *Reliqua sæculi ut grandia æque, ita vel magis turbida & fœda.*

2 *Quæ etsi involuta inter se*] Quis hujus lectionis author fuerit, ignoro. Nam prima editio & libri calamo exarati habent: *quæ etsi juncta inter se sunt omnia, atque confusa.* Atque ita reponendum censeo.

1 Victa

Digitized by Google

obstrepant, separatim proferentur: priusque, ut cœpimus, justa illa & pia cum exteris gentibus bella memorabimus, ut magnitudo crescentis in dies imperii appareat, tum ad illa civium scelera, turpesque & impias pugnas revertemur.

CAP. XX.

Bellum Asiaticum.

1 VIcta ad Occasum Hispania, populus Romanus ad Orientem pacem agebat; nec pacem modo, sed inusitata & incognita quadam felicitate, relictæ regiis hæreditatibus opes, 2 & tota insimul regna veniebant. Attalus rex Pergamenorum, regis Eumenis filius, socii quondam commilitonisque nostri testamentum reliquit: *Populus Romanus bonorum meorum hæres esto.* 3 in bonis regis hæc fuerant. Adita igitur hæreditate, provinciam populus Romanus non quidem bello, nec armis, sed, quod est æquius, testamenti jure retinebat. Sed hanc, difficile dictu est, utrum facilius amiserit, an recuperaverit. Aristonicus regii sanguinis ferox juvenis, urbes regibus parere consuetas, partim facile sollicitat: paucas resistentes, Myndum, Samon, Colophonem vi recepit. 4 Crassi quoque prætoris cecidit exercitum, ipsumque cepit. Sed ille memor & fami-

DCXX.

DCXXII.

1 V*icta ad occasum*] Alter Palatinus ab hoc capite exorditur librum tertium hujus operis: alii libri tantum a sequenti, ut hactenus omnes editi.

2 *Et tota insimul regna*] Nazarianus *insemel.* & fortasse melius, de qua voce in librum primum diximus.

3 *In bonis regis hæc fuerant*] Melius, *in bonis regis hæc fuerunt.*

4 *Crassi quoque prætoris cecidit exercitum ipsumque cepit*] Nazariani & veteris editionis lectio, *Crassi quoque prætoris cæde exercitum ipsumque cepit.* ex qua nihil eliciam, forte tamen *cædit exercitum.*

5 In


familiæ, & Romani nominis, custodem suum barbarum virgula excæcat. [5] in exitium sui, quod volebat, ita con-
DCXXIII. citat. Mox à Perperna domitus, & captus, & per dedi-
DCXIV. tionem in vinculis habitus. Aquilius Asiatici belli reliquias confecit, mixtis (nefas!) veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium. Quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe quum contra fas deum, moresque majorum, medicaminibus impuris, in id tempus sacrosancta Romana arma violasset.

L I.

5 *In exitium sui quod volebat, ita concitat.*] Legebam *ira concitat.* nunc nihil muto. præpositio *in* abest Nazariano, non male. hoc modo: *exitium sui quod volebat ita concitat.* editum tamen prætulerim.



Digitized by Google



LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Bellum Jugurthinum.



ÆC ad Orientem: sed non ad meridianam plagam eadem quies. Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum? Atqui non leviter se Numidia concussit: & fuit in Jugurtha, quod post Annibalem timeretur. Quippe rex callidissimus populum Romanum armis inclytum, & invictum opibus aggressus est: & citra spem omnium fortuna cessit, ut rex fraude præcipuus fraude caperetur. Hic avo Masinissa & Micipsa patre per adoptionem, quum interficere fratres statuisset, agitatus regni cupiditate, nec illos magis, quam senatum populumque Romanum, quorum in fide & clientela regnum erat, metueret; primum scelus mandat insidiis: potitusque Hiempsalis capite, quum se in Adherbalem convertisset, isque Romam profugisset, missa per legatos pecunia traxit in sententiam suam Senatum. Et hæc fuit de nobis ejus prima victoria. Missos deinde, qui regnum inter illum Adherbalemque dividerent, similiter aggressus, quum in Scauro ipsos Romani imperii mores expugnasset, inchoatum nefas perfecit audacius. Sed diu non latent scelera. Corruptæ nefas legationis erupit: placuitque bello persequi parricidam. Primus in Numidiam Calpurnius Bestia Consul immittitur: sed rex peritus

DCXLII.

DCXLII.

fortius adverſus Romanos aurum eſſe, quam ferrum, pacem emit. Cujus flagitii reus quum interveniente publica fide à ſenatu accerſeretur, pari audacia & venit, & competitorem imperii Maſiniſſæ Maſſivam immiſſo percuſſore
DCXLIII. confecit. Hæc altera contra regem fuit cauſſa bellandi. Igitur ſequens ultio mandatur Albino. Sed hujus quoque (pro dedecus!) ita corrupit exercitum, ut voluntaria noſtrorum fuga vinceret Numida, caſtriſque potiretur. Addito etiam turpi fœdere [1] in pretium ſalutis, quem prius emerat, exer-
DCXLIV. citum dimiſit. Eodem tempore in ultionem non tam imperii Romani, quam pudoris, Metellus aſſurgit: qui calliditiſſime hoſtem nunc precibus, nunc minis, jam ſimulata, [2] jam vera quaſi fuga eludentem, artibus ſuis aggreſſus eſt. Agrorum atque [3] vicorum populatione non contentus in ipſa Numidiæ capita impetum fecit, & Zamam quidem fruſtra diu voluit; cæterum Thalam, [4] gravem armis theſauroque regis diripuit. Tunc urbibus exutum regem & jam finium ſuorum regnique fugitivum, per Mauros, atque Getuliam ſequebatur.

1 IN *pretium ſalutis, quod prius emerat*] Nemo facile dixerit, quid ſit *emere pretium ſalutis*. itaque legam, *addito turpi fœdere in pretium ſalutis, quem prius emerat exercitum dimiſit*. Emerat exercitum Albini Iugurtha, quem corruperat pecunia, ut facili victoria potiretur. Hæc lectio eſt alterius Palatini bonæ notæ. Nazarianus autem habet: *quod prius emerat*. Hoc etiam explicemus licet. Primus Iugurtha ſalutem ſuam pretio redemerat, corrupto Albini exercitu; ne ſcilicet vinceretur a Romanis. poſt illi ipſi Romani, cum voluntariam fugam feciſſent, turpi fœdere in pretium ſalutis ſancito, a Iugurtha dimiſſi ſunt; & ita ſalutem etiam redemerunt, quod prius fecerat Iugurtha. *quod* igitur retinendum cenſemus. *Primus* an *prius*? *Prius* malo.

2 *Iam quaſi vera fuga*] *Iamque quaſi vera fuga*, alter Palatinus.

3 *Vicorum populatione non contentus*] Omiſſa negatio in veteribus excuſis, & ſcriptis libris. In Nazarii libro, *populatione contemptus*. forte, *vicorum populatione contempta, in ipſa Numidiæ capita impetum fecit*.

4 *Gravem armis theſauroque regis*] Nihil eſt quod hanc lectionem improbemus. ſed nec reſpuenda vetus, *Thalam gravem armis, theſauroſque regis diripuit*. quam libenter prætulerim vulgatæ.

5 An-

Digitized by Google

batur. Postremo Marius [5] auctis admodum copiis, quum pro obscuritate generis sui capite censos sacramento adegisset, jam fusum & saucium regem adortus, non facilius tamen vicit, [6] quam si integrum & recentem. Hic urbem Herculi conditam Capsam in media Africa sitam, anguibus arenisque vallatam, mira quadam felicitate superavit: & [7] saxeo inditam monti Mulucham urbem per Ligurem aditu arduo inaccessoque penetravit. Mox non ipsum modo, sed Bocchum quoque Mauritaniæ regem, jure sanguinis Numidiam vindicantem, apud oppidum Cirtam graviter cecidit. Qui ubi diffisus rebus suis alienæ cladis accessio fieri timet, pretium fœderis atque amicitiæ regem facit. Sic fraudulentissimus regum fraude soceri sui in insidias deductus est, & [8] Sullæ in manum traditus; tandemque opertum catenis Jugurtham in triumpho populus Romanus aspexit: sed ille quoque, quamvis victus & vinctus vidit urbem, quam venalem, & quandoque perituram, si habuisset emptorem, frustra cecinerat. [9] Jam, ut venalis fuisset, habuit emptorem: & quum ille non evaserit, certum erit eam non esse perituram. DCXLVI. DCXLIX.

CAP.

5 *Auctis admodum copiis*] *Auctis inmodum copiis*, germanam Flori scripturam esse putamus. *Inmodum* idem quod admodum, quæ est Annæana χεῖσις. Sic *in tempus* pro *ad tempus*: de quibus supra diximus.

6 *Quam integrum & recentem*] Probamus magis veterem, *quam si integrum & recentem*. Iam, inquit, fusum & saucium regem adortus, non facilius tamen vicit, quam si integrum & recentem: hoc est, adortus esset. Marcus nunquam vicerat Iugurtham integrum & recentem, ut ex comparatione dici posset tam facile de eo victoriam obtinuisse, cum integer & recens esset, quam cum saucium & fusum multoties ab aliis imperatoribus adortus est.

7 *Saxeo inditam monti*] Quidam libri, *editam*. esset legendum, *Saxeo editam monte*: sed non placet.

8 *Sylla in manum traditus*] Legitur in optimis Nazarii membranis, *ut vidit urbem*. facile coniicio legendum, *at vidit urbem. quamvis victus, & vinctus, at vidit urbem*. *u* pro *a*. quarum invicem literarum crebra mutatio est.

CAP. II.

Bellum Allobrogicum.

DCXXVIII. SIc ad meridiem populus Romanus. Multo atrocius,[1] & multipliciter, & magis à Septentrione ſævitum. Nihil hac plaga infeſtius. Atrox cœlum,[2] perinde ingenia. Omni igitur tractu violentus hoſtis, à dextris atque lævis, & medio Septentrionis, erupit. Prima trans Alpes arma noſtra
DCXXIX. ſenſere Salyi, quum de incurſionibus eorum fidiſſima atque amiciſſima civitas Maſſilia quereretur. Allobroges deinde, & Arverni, quum adverſus eos ſimiles Æduorum querelæ opem & auxilium noſtrum flagitarent.[3] Varus quoque victoriæ teſtis, Iſara & Vindelicus amnes, & impiger fluminum Rhodanus. Maximus barbaris terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nil tam conſpicuum in triumpho, quam

9 *Tamen ut venalis fuiſſet*] Hæc pro ſpuriis habent viri eruditione præſtantiſſimi. pace licet eorum dicere, aliter cenſeo. ſi mendas ſuſtuleris, quæ totam periodum inquinarunt, hanc γνησίαν ἐν τοῖς μάλιστα præſtabo. Nazarii optimus liber, *jam ut venalis fuiſſet*. optime. ſic igitur lege, *jam ut venalis fuiſſet, habuit emptorem, & quum ille non evaſerit, certum erat, eam non eſſe perituram*. vulgo perperam legebatur, *certum erit*. Hoc ſenſu: Iugurtha venalem & quandoque perituram, ſi emptorem nacta eſſet, Romam prædixerat; ſed fruſtra. etiamſi, inquit, venalis fuiſſet Roma, emptorem habuit Iugurtham: ſed cum ille emptor victus ſit & captus, certum erat, eam non eſſe perituram, (quod fruſtra cecinerat Iugurtha) ſublato emptore de medio.

1 E*t multipliciter magis, & a Septentrione ſævitum*] Particula & leviter traiecta. tu ſcribe, *& multipliciter & magis a Septentrione ſævitum*.

2 *Perinde ingenio*] In aliis editionibus erat, *pervicaci ingenio*. *Perinde* ex prima editione vidit ſummus vir I. Gruterus, quem honoris cauſa nomino. nondum tamen ex toto menda vacat. emendo, *atrox coelum, perinde ingenia*; vel *perinde ingenium*. omnino aut *ingenium*, aut *ingenia*, ſcribendum.

3 *Varus victoriæ teſtis*] Cum ſcripti libri, tum veteres excuſi, *varuſque victoriæ teſtis*. ſo te, *Varus quoque victoriæ teſtis*. mox lego, *Iſara & Vindelicus amnes*, fide librorum.

4 Rex

quam [4] rex ipse Bituitus, discoloribus in armis, argenteoque carpento, [5] qualis pugnaverat. Vtriusque victoriæ quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quod & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus DCXXXI. ipsis quibus dimicaverant in locis saxeas [6] erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus tropæa fixere: quum hic DCXXXII. mos inusitatus fuerit nostris Nunquam enim populus Romanus hostibus domitis victoriam suam exprobravit.

CAP. III.

Bellum Cimbricum, Theutonicum, ac Tigurinum.

CImbri, Theutoni, atque Tigurini, ab extremis Gal- DCXL. liæ profugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quærebant: exclusique Gallia & Hispania, [1] quum in Italiam regyrarent, misere legatos in castra Silani, inde ad senatum petentes, *ut Martius populus aliquid sibi terra daret quasi stipendium: cæterum, ut vellet, manibus atque armis suis uteretur*. Sed quas daret terras populus Romanus agrariis legibus intra se dimicaturus? Repulsi igitur, quod nequiverant precibus, armis petere constituunt.

4 *Rex ipse Bituitus*] *Bisuisus* quod obtinuerat in plerisque editionibus, ex verbi scriptura manavit, *Bisuisus* pro *Bituitus*. *s* pro *t* frequens erat in illis optimis membranis quibus usi sumus, ut *positus* pro *potitus*, *ulsus* pro *ultus*, & similia. reliqui libri corruptissime aut *bis. victus* duabus vocibus, aut *bis visus* præferunt. Hic *rex Betuitus* dicitur in veteri inscriptione.

5 *Qualis pugnaverat*] Quid si, *argenteo carpento, quali pugnaverat*. Sed nihil mutamus. vetus, *o qualis pugnaverat*. inepte.

6 *Extruxere turres*] scripti *erexere*.

1 QUum in Italiam remigrarent] Eodem modo corruptum hoc verbum infra libro quarto emendamus, nam hic similiter, *regirarent* corrigendum: nec *remigarent* placet. vide quæ de hac voce *regirare* alibi dicemus. cuius ignorantia fecit ut bis corrupte legeretur in optimo autore.

Digitized by Google

DCXLIV. tuunt. Sed nec primum quidem impetum barbarorum
DCXLVIII. Silanus, [2] nec secundum Manlius, nec tertium Capio
sustinere potuerunt. Omnes fugati, exuti castris. Actum
DCLI. erat, [3] nisi Marius illi saeculo contigisset. Ille quoque non ausus congredi statim; militem tenuit in castris, donec invicta illa rabies & impetus, quem pro virtute barbari habent, consenesceret. Recessere igitur increpantes, & (tanta erat capiendae Vrbis fiducia) consulentes, *si quid ad uxores suas mandarent.* Nec segnius quam minati fuerant tripertito agmine per Alpes, id est claustra Italiae, ferebantur. Marius mira statim velocitate occupatis compendiis praevenit hostem. prioresque Teutonos sub ipsis Alpium radicibus assequutus (locum Aquas Sextias vocant) [4] quo, fidem numinum! proelio oppressit? Vallem fluviumque medium hostes tenebant. nostris aquarum nulla copia. consultone id egerit imperator, an errorem in consilium verterit dubium. certe necessitate aucta virtus caussa victoriae fuit. Nam flagitante aquam exercitu: *Viri*, inquit, *estis, en illic habetis.* Itaque tanto ardore pugnatum est, eaque caedes hostium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquae biberit, quam sanguinis Barbarorum. Certe rex ipse [5] Theutobochus quaternos senosque equos transilire solitus, vix unum quum fugeret ascendit; proximoque in saltu com-

2 *Nec secundum Manlius*] *Manilius* scripti omnes.
3 *Nisi Marius*] *Nisi M. Marius* in altero Palatino.
4 *Qua fide numinum, praelio oppressit*] Hic locus & varie vexatus à doctis & varie ipsos vexavit. me non multum, si verum licet dicere, exercuit. optimus liber, *quasi de numinum praelio.* mendosissime. sed ne nugas agam, aut frustra tempus teram, legendum aio, *quo, fidem numinum! praelio oppressit? qua* corruptum pro *quo*, ut libro quarto, *qua posset ascendere.* ubi reposuimus, *quo posset ascendere.* & contra *a* in *o* degeneraverat, ut *ingenio* pro *ingenia.* locum hunc tetigimus notis in librum primum, in quo simile vitium inhaeserat. *fide numinum*, pro *fidem numinum.* itaque vide quae ibi scripsimus.
5 *Theutobochus*] Sine aspiratione in veteribus *Teutobocus*.

6 Super

Digitized by Google

comprehensus insigne spectaculum triumphi fuit, quippe vir proceritatis eximiæ [6] super tropæa sua eminebat. Sublatis funditus Theutonis in Cimbros convertitur. Hi jam (quis crederet?) per hiemem, quæ altius Alpes levat, [7] Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruina descenderant. [8] Atesim flumen non ponte, nec navibus, sed quadam stoliditate barbarica primum corporibus aggressi; postquam retinere amnem manibus & clipeis frustra tentaverant, ingesta obrutum silva transiluere: &, si statim infesto agmine Vrbem petiissent, grande discrimen esset: sed in Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa soli cœlique clementia robur elanguit. ad hoc panis usu, carnisque coctæ, & dulcedine vini mitigatos Marius in tempore aggressus est. [9] Jam diem DCLII.

6 *Super trophæa ipsa eminebat*] *super trophæa sua*, ex fide Nazariani & alterius Palatini rescribe. *Trophæa sua*, eleganter, quæ de ipso victo & suis spoliis instructa erant. minus recte & concinne *ipsa* vulgo editum est.

7 *Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruina descenderant*] Plutarchus ad verbum in eadem historia: εἶτα ἀφέντες αὑτοὺς ἐπὶ κρημνῶν ὀλισθήματα καὶ λισσάδας ἀχανεῖς ἐχόντων. perperam in meo libro, ut hoc obiter moneam, scribitur, καὶ λιοσάδας, & in uno aut altero ejusdem Plutarchi loco λιοσάδες vitiose legitur. Sed puto emendatum in recentioribus editionibus. verum nescimus tamen: nam eas ad manum non habemus.

8 *Atesim flumen non ponte*] *Ad hostesim flumen*, quod nobis exhibet Nazariana scriptura, non facile inveni quid esset. *Atisonem* vel *Natisonem* transposititie posset esse, qui fluvius in illis tractibus reperitur: Plutarchus sane *Atisonem* nominat, cum eandem rem tractat. at qui putant *Atesim* & *Atisonem* eundem esse, falluntur. Plutarchus Ἄτισῶνα vocat, Ptolemæus Νατίσωνα. Sed redeamus ad veterem scripturam nostram. *hostesim* pro *Atesim* mendose exaratum: *o* loco *a*, deinde aspiratio. *s* ptot, aliquando simul posita: itaque *host*-*sim* est *Atesim*. sed quid faciemus illo *ad*? sic censeo: *ad flumen adgredi*, ἐγχειρεῖν, ut *ad aliquem adire*, & similia: videndus Gellius. *Adgredi* igitur *ad Atesim flumen* proba & antiqua loquutio est, quales multas in hoc authore restituimus. aliud dicimus: *ad* pro *ac* videri posset corruptum: libro quarto, *imasque valles earum, ad quasi claustra quædam custodiebant*. ibi docemus legendum, *ac quasi claustra quædam*. idem accidere potuit hoc loco. videamus igitur num ita legi & distingui debeat, *Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruina descenderant, ac Atesim flumen non ponte nec navibus*; &c. & hanc in partem inclinamus magis.

9 *Jam*

Digitized by Google

diem pugnæ à nostro imperatore petierunt, [10] & sic proximum dedit. In patentissimo, [11] quem Raudium vocant, campo concurrere. [12] Millia inde sexaginta ceciderunt; hinc trecentis minus: per omnem diem conciditur barbarus. Istic quoque imperator addiderat virtuti dolum, sequutus Annibalem, artemque Cannarum; primum, nebulosum nactus diem, ut hosti inopinatus occurreret; tum ventosum quoque, ut pulvis in oculos & ora ferretur; tum acie conversa in

9 *Jam diem pugnæ à nostro Imperatore petierunt*] Ante hæc verba deesse aliquid, si qui antea non adverterunt, nunc cogentur saltem fateri. Statim post *aggressus est*, sequitur in illo laudatissimo & inculpatissimo libro, *venere illi quam & in barbaris multa vestigia, diem pugnæ à nostro imperatore petierunt.* quæ scribæ imperiti, ut corruptissima, abscindere maluerunt, quam infelices conatus in corrigendo prodere. verum quid ex illis, quæ posuimus, possit elici, parum me scire, ingenue fateor: nec enim ausim dicere me ipsa verba Flori ponere, si ita legam. *Venere illi. quam metus in barbaris nulla vestigia: diem pugnæ ab imperatore nostro petierunt.* non, inquam, ausim affirmare αὐτοτελῶς sic scripsisse Florum, puto tamen ab ea sententia, quam olim reliquit, hac lectione ne minimum abesse.

10 *Et sic proximum dedit*] Plutarchus, τὴν ἀπ' ἐκείνης τρίτην.

11 *Campo, quem Raudium vocant*] *Raudium* quidem *campum* Plutarchus non nominat, sed tantum χώραν τι καὶ πεδίον τὸ περὶ Βερκέλλας. alter Palatinus *Kandium* legit, cui non assentior. mox non *procurrêre*, sed *concurrêre* optimi habent libri, & melius: nam *procurrere* nescio an legerim pro *concurrere*.

12 *Millia inde ad sexaginta*] Male hæc adfecta sunt. quæ nemo adhuc sanare quitus est. Prava non minus distinctione laborant, quam prava lectione. utrumque puto corrigemus. *hinc*, *inde*, perperam intellecta. *Inde*, est ex parte Barbarorum, *hinc*, ex parte Romanorum. non aliter loqui solet Annæus. sexaginta millia ex Barbaris ceciderunt in ipso conflictu, ex Romanis vix trecenti. locus sic debet castigari: *Inde sexaginta millia ceciderunt. Hinc trecentis minus. per omnem diem conciditur Barbarus.* Plutarchi rationes huic numero conveniunt: qui scripsit Barbarorum sex myriadas in ardore prælii absumptas, quæ, ut nemo nescit, efficiunt sexaginta millia. Sed immaniorem longe numerum eorum fuisse; qui interfecti sunt finito prœlio hinc & inde variis locis dispersi. ideo etiam Florus dicit, *per omnem diem conciditur barbarus:* hoc est, post prœlium usque ad noctem, quo spatio temporis infinita barbarorum multitudo cæsa est. Quod autem pro *tertio*, *trecentis* scripsimus, hoc recte fecimus. error enim ex notis numerorum natus. Hic III minus, pro hinc CCC minus.

Digitized by Google

in Orientem, ut, quod ex captivis mox cognitum est, ex splendore galearum, ac repercussu, quasi ardere cœlum DCLII.
videretur. Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quam cum ipsis fuit: quum objectis undique plaustris atque carpentis, altæ desuper, quasi è turribus lanceis contisque pugnarent. Perinde speciosa mors earum fuit quam pugna. Nam quum missa ad Marium legatione libertatem ac sacerdotium non impetrassent, (nec fas erat) suffocatis elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidere vulneribus, aut vinculo è crinibus suis facto ab arboribus jugisque plaustrorum pependerunt. [13] Bojorix rex in acie dimicans impigre nec inultus occubuit. Tertia Tigurinorum manus, quæ [14] quasi subsidio Noricos insederat Alpium tumulos, in diversa lapsi, fuga ignobili & latrociniis evanuit. Hunc tam lætum, tamque felicem liberatæ Italiæ assertique imperii nuncium non per homines, ut solebat, populus Romanus accepit; sed per ipsos, si credere fas est, deos. Quippe eodem die, quo gesta res est, visi [15] pro æde Castoris & Pollucis, juvenes laureati Prætori literas tradere: frequensque in spectaculo rumor, *Victoria Cimbrica feliciter*, dixit. Quo quid admirabilius, [16] quid insignius fieri potest? Quippe velut elata montibus suis Roma spectaculo belli inter-

13 *Beleus rex*] Corrupte *Beleus*. optimæ membranæ, *Bæleris*. Verius esset *Boeoris* vel *Bæorix*. Nam ita Plutarcho vocatur hic rex Barbarus in Mario. Βοιώριξ δ' ὁ τῶν κιμβρῶν βασιλεὺς ὀλιγοστὸς προσιππεύσας τῷ στρατοπέδῳ προὐκαλεῖτο τὸν μάριον ἡμέραν ὁρίσαντα καὶ τόπον, &c. quid si in Plutarcho Βοιλώριξ legimus? habebimus nostrum *Bæleris*; nam *Bæleris* pro *Bælerix*. sic infra, cap. x. *Vercingetoris* scripti libri, pro *Vercingetorix*. Sed ineptum est disputare de his nominibus barbaricis, quæ aliter atque aliter apud alios atque alios enunciantur.

14 *Quasi subsidio Noricos insederat*] Nazarii schedæ, *quasi in subsidio*: quid si in *subsidium*?

15 *Pro æde Castoris & Pollucis*] Veteres *Pollucis & Castoris* omnes retinent.

16 *Quidque insignius*] *Quid insignius*, iidem.

intereſſet, quod in gladiatorio munere fieri ſolet, uno eodemque momento, quum in acie Cimbri occumberent, populus in urbe plaudebat.

Cap. IV.

Bellum Thracium.

POſt Macedonas, ſi diis placet, Thraces rebellabant, ipſi quondam tributarii Macedonum: nec in proximas modo provincias contenti incurrere, Theſſaliam, atque Dalmatiam; in Adriaticum mare uſque venerunt, eoque fine [non] contenti, quaſi interveniente natura, contorta in ipſas aquas tela miſerunt. Nihil interim per id omne tempus reſiduum crudelitatis fuit in captivos ſævientibus: litare diis ſanguinem humanum: bibere in oſſibus capitum, [1] & cujuſque modi ludibrio fœdare mortem tam igni quam fumo: partus quoque gravidarum extorquere tormentis. Sæviſſimi omnium Thracum Scordiſci fuere: ſed calliditas quoque ad robur acceſſerat. Silvarum & montium ſitus cum ingenio conſentiebant. Itaque non fuſus modo ab his, aut
DCXL. fugatus, ſed (ſimile prodigio) omnino totus interceptus
DCXLI. exercitus, quem duxerat Cato. Didius vagos, & libera
DCXLII. populatione diffuſos, intra ſuam repulit Thraciam. Druſus
DCXLIII. ulterius egit, & vetuit tranſire Danubium. Minucius toto vaſtavit Hebro, multis quidem amiſſis, [2] dum per fidum glacie flumen equitatur. Piſo Rhodopen Caucaſumque pe-
DCLXXXI. netravit. Curio Dacia tenus venit: ſed tenebras ſaltuum expa-

1 ET *huiuſcemodi ludibrio*] Optimus liber, *cujuſque modi ludibrio*, eximie. Hoc eſt, omni ludibrii genere.

2 *Dum perfidum glacie flumen equitatur*] Flumen equitare aut campum equitare, pro per campum aut flumen equitare, neſcio an Latinum ſit: nemo ſane ita loquitur. Scribimus, *dum per perfidum glacie flumen equitatur.* præ-

Digitized by Google

pavit. Appius in Sarmatas usque pervenit; Lucullus ad ter- DCLXXVI.
minum gentium Tanaim, lacumque Mæotim. Nec aliter DCLXXXII.
cruentissimi hostium quam suis moribus domiti. quippe in captivos igne ferroque sævitum est. Sed nihil Barbaris atrocius visum est, quam quod abscissis manibus relicti, vivere superstites pœnæ suæ jubebantur.

Cap. V.

Bellum Mithridaticum.

Ponticæ gentes ad Septentrionem in sinistrum jacent, à DCLIX.
Pontico cognominatæ mari. Harum gentium atque regionum [1] rex antiquissimus Æetas: post Artabazes, à septem Persis oriundus: inde Mithridates omnium longe maximus; quippe quum quatuor Pyrrho, decem & septem anni Annibali suffecerint; ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus; felicitate Sullæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeii consumeretur. Caussam quidem illius belli prætenderat apud Cassium legatum, *attrectari terminos suos à Nicomede Bithynico:* cæterum elatus animis ingentibus, Asiæ totius, &, si posset, Europæ cupiditate flagrabat. Spem ac fiduciam dabant nostra vitia: quippe quum civilibus bellis disjungeremur, invita- DCLXII.
bat

præpositionem *per* absorpserat prima syllaba dictionis *perfidum.* id in aliis locis factum quam multis, alibi ostendimus. *per perstrictum glacie flumen* ediderat optimus Vinetus, ex opinione sua, ut suspicor. nam in libris non extat. *perfidum glacie flumen* vocat, quod Minucius, dum flumini congelato exercitum suum fideret, multos amiserit, propter glaciei nondum satis firmatæ fragile & lubricum. Hoc si pensitasset vir doctissimus, nihil temere mutasset.

1 Rex antiquissimus Atheas] Scytharum rex quidam apud Frontinum *Atheas*, qui hic non est, nisi vehementer fallimur. *Ateas* sine aspiratione scribendum. nam ille Scytharum Rex *Anteas* vel *Antias* à Plutarcho

DCLXIII. bat occasio: nudumque imperii latus [2] ostendebant procul
DCLXIV. Marius, Sulla, Sertorius. Inter hæc Reipublicæ vulnera,
& hos tumultus, repente, quasi captato tempore, in lassos
DCLXV. simul atque districtos subitus turbo Pontici belli ab ultima
DCLXVI. veluti specula Septentrionis erupit. Primus statim impetus
belli Bithyniam rapuit. Asia deinde pari terrore correpta est.
Nec cunctanter ad regem ab urbibus nostris populisque de-
scitum est. Aderat, instabat, sævitia quasi virtute uteba-
tur. Nam quid atrocius uno ejus [3] edicto, quum omnes,
qui in Asia forent, Romanæ civitatis homines interfici jus-
sit? Tum quidem domus, templa & aræ, humana omnia
atque divina jura violata sunt. Sed hic terror Asiæ Europam
quoque regi aperiebat. itaque missis Archelao Neoptolemo-
que præfectis, excepta Rhodo, quæ pro nobis [4] firmius
stetit ceteris, Cyclades, Delos, Euboea, & ipsum Græ-
ciæ decus Athenæ, tenebantur. Italiam jam, ipsamque
DCLXVII. urbem Romam regius terror afflabat. Itaque Lucius Sulla
festinat, vir armis optimus: parique violentia ruentem ul-
terius hostem, quadam quasi manu repulit: primumque
Athenas urbem (quis crederet?) frugum parentem, ob-
sidione, ac fame ad humanos cibos compulit. Mox subruto

Piræei

vocatur. optimæ membranæ hoc loco legunt *ætas*. nimirum est *æetas*. vetus ille Rex Ponti, Medeæ pater *αἰήτης*. nam *æetes* & *æetas* extulerunt Latini. Ovidio etiam *ætas pater æta relictus*. Quin de *æete* accipiendum sit, nolim dubitare, qui fuit antiquissimus Rex Ponticarum regionum. Vulgo *Atheas* vel *Ethas*. male.

2 *Ostentabant*] Nazarianus, *ostendebant*, & alter Palatinus, quod plurimæ editiones sunt sequutæ, simplicius & melius arbitror.

3 *Edicto, quam omnes*] Idem liber, *ut quum omnes*. legerim, *ut quo omnes*. *quid atrocius ejus edicto? ut quo omnes, qui in Asia forent, Romanæ civitatis homines, interfici jussit*. nec malum esset, *uno ejus edicto, quo omnes* &c. assentientibus quibusdam libris.

4 *Firmius stetit ceteris*] *Excepta Rhodo, quæ pro nobis stetit, cæterum Cyclades, Delos, Eubœa, & ipsum Græciæ decus Athenæ tenebantur*. addicentibus omnibus scriptis exemplaribus, sic legimus.

5 *Sex*

Piræei portu, [5] sex quoque & amplius muris, postquam domuerat *ingratissimos*, ut ipse dixit, *hominum*, in honorem tamen mortuorum sacris suis famæque donavit. Mox quum Euboea atque Boeotia præsidia regis depulisset, omneis copias uno apud Chæroneam, apud Orchomenon altero bello dissipavit: statimque in Asiam transgressus, [6] ipsum opprimit. & debellatum foret, nisi de Mithridate triumphare cito, quam vere maluisset. At tunc quidem DCLXVIII.
hunc Asiæ statum Sulla dederat. Ictum cum Ponticis foedus. [7] recipit Bithyniam a Rege Nicomede, Ariobarzanes Cappadociam: ac sic erat Asia rursus nostra, ut coeperat: Mi- DCLXIX.
thridates tantum repulsus. Itaque non fregit ea res Ponticos, sed incendit. Quippe rex Asia & Europa quodammodo inescatus, non jam quasi alienam, sed quia amiserat, quasi raptam belli jure repetebat. Igitur ut exstincta parum fideliter incendia majore flamma reviviscunt; ita ille de integro, auctis majorem in modum copiis, tota denique regni sui mole, in Asiam rursus mari, terra, fluminibusque veniebat. Cyzicum nobilis civitas arce, moenibus, portu; DCLXXIX.
turribusque marmoreis Asiaticæ plagæ litora illustrat hanc ille quasi alteram Romam toto invaserat bello: sed fiduciam oppidanis resistendi nuncius fecit, docens adventare Lucullum, qui (horribile dictu!) per medias hostium naves

ves

5 *Sex quoque & amplius muris*] Quidam scripti addunt, *munitum*, eo ipso peiores. eleganter, *Piræeus sex & amplius muris:* sic alibi dixit, *Brundusium inclito portu.* quo loco etiam de suo, *cum inclito portu*, correctores imperiti addiderunt.

6 *Ipsum opprimit*] Nazarianus: *ipsam opprimit.* & mox, *& debellata foret.* ut de Asia intelligatur. sed præstat vulgatam servare & de ipso Mithridate accipere.

7 *Recepit Bithyniam à Rege Nicomede*] Hoc manifesto mendosum, ut aliis jam observatum est. Aberrantia paululum hæc vestigia sequutus, colligo legendum: *Recepit Bithyniam Regi Nicomedi, Ariobarzani Cappadociam.* Vitiosa scribendi ratio *rege* pro *regi.* Deinde imperitiores correctores præpositiones adiecerunt.

ves utre suspensus, [8] & pedibus iter adgubernans, videntibus procul quasi marina pristix evaserat. Mox clade conversa, quum exorta obsidentem regem [9] e fame pestilentia urgeret, recedentem Lucullus assequitur: adeoque cecidit, ut Granicus [10] & Æsapus amnes cruenti redderentur. DCLXXX.
Rex callidus Romanæque avaritiæ peritus spargi à fugientibus sarcinas & pecuniam jussit, qua sequentes moraretur. Nec felicior in mari, quam in terra fuga. quippe centum amplius navium classem, apparatuque belli gravem in Pontico mari aggressa tempestas, tam fœda strage laceravit, ut navalis belli instar efficeret: plane quasi Lucullus quodam cum fluctibus procellisque commercio, debellandum tradidisse regem ventis videretur. Attritæ jam omnes validissimi regni vires erant; [11] sed animus malis augebatur. Itaque con-

8 *Et pedibus iter adgubernans*] Frontinus: *& pedibus velut gubernantis dimissis.* Lego: *demissis.* Sequitur, *velut marina pistrix.* Pistores seu pistrices an mare habeat, nescio. Legendum *pristrix.* In optimo libro *istrix.* *pistris* pro *pristis*, & melius est. *Pristicem* tamen dixerunt veteres & *pristim.* *Pristis* & *pristrix*, pro quo corrupte semper scribitur *pistrix.* Actius *pristices* etiam dixerat. Nostræ Glossæ: *pristrix bellua maris. Actius pristices dixit.* Paulus mutilator Festi: *Balenam, belluam marinam, ipsam dicunt esse pristicem, & cetum.* Locum illum ita legimus. Nec mirum debet videri si *pristix* Latini dixerunt. πρίστις *pristix*, ut αἴαξ *Aiax.* In veteri inscriptione *Tigrix.* Vide indicem inscriptionum Gruterianarum. Apud Suidam πρῖστις pro bellua marina. Vnde & πριστίδες νῆες, quæ & πρίστεις apud Polybium. Latinis *pristes*, quæ etiam dicebantur *Cetenæ* à Ceti magnitudine. Hesychius: κητώη εἶδος πλοίου.

9 *Et ex fame pestilentia urgeret*] Particula *&* non adest melioribus libris; manifesto vox excidit, sine qua sensus non potest esse integer. suspicor deesse verbum *fames.* verba Flori, *mox clade conversa, quum ex mora obsidentem regem fames, ex fame pestilentia urgeret.* vocem *fames* ut arbitror recte supplevimus, ut vulgo hactenus lectum est, nihil cohærere facile animadverti.

10 *Et Æsapus omnes*] *Exopus, Etopus, Esopus, Æsopus:* tot modis corruptum hujus fluvii nomen in antiquis libris.

11 *Animus malis augebatur*] *Magis* Palatinus. perperam.

conversus ad proximas gentes totum pæne Orientem ac Septentrionem ruina sua involvit. Iberi, Caspii, Albani, [12] & utræque sollicitabantur Armeniæ: perque omnia & decus, & nomen, & titulos Pompeio suo fortuna quærebat. Qui ubi novis motibus ardere Asiam videt, aliosque ex aliis prodire reges; nihil cunctandum ratus, priusquam inter se gentium robora coirent, statim ponte navibus facto omnium ante se primus transit Euphratem: regemque fugientem media nactus Armenia ([13] quanta felicitas viri!) uno prœlio confecit. Nocturna ea dimicatio fuit, & luna in partibus. quippe quasi commilitans, quum à tergo se hostibus, à facie Romanis præbuisset, Pontici per errorem longius cadentes umbras quasi hostium corpora petebant. Et Mithridates quidem nocte illa debellatus est. nihil enim postea valuit, quanquam omnia expertus, more anguium, qui obtrito capite postremum cauda minantur. Quippe quum effugisset hostem Colchos, Siciliæ quoque litora, & Campaniam nostram subito adventu [14] terrere voluit: Colchis tenus jungere Bosphoron, inde per Thraciam, Macedoniam & Græciam transilire: sic Italiam necopinatus invadere tantum cogitavit. nam per defectionem civium, Pharnacisque filii scelere præventus male tentatum veneno spiri- DCLXXXVII.

12 *Et utræque sollicitabantur Armeniæ*] *Sollicitantur.* Paulo post legendum, *per quæ omnia decus & nomen & titulos Pompeio suo fortuna quærebat. Pompejo suo*, eleganter. quod conjectura primum scripseram, postea assenserunt aliquot scripti.

13 *Quanta felicitas viri*] Vterque Palatinus, *quantas felicitates viri.*

14 *Terrere voluit*] Recte feceris si mihi expungas hæc quatuor verba, *mox subruto Pyræei portu*: quæ ex superioribus irrepsere. *mox subruto Piræi portu. sex quoque & amplius muris*, &c. quis vero aut qui ea in hunc locum transtulerit, non possum scire. lego igitur & distinguo illis ejectis quæ diximus, *Quippe cum effugisset hostem Colchos, Siciliæ quoque litora & Campaniam nostram subito adventu terrere voluit, Colchis tenus jungere Bosphorum, inde per Thraciam, Macedoniam & Græciam transilire, sic Italiam necopinatus invadere tantum cogitavit.* in Palatinis: *tamen cogitavit.*

15 *Rebel-*

Digitized by Google

ſpiritum ferro expulit. Cnæus interim Magnus [15] rebellis Aſiæ reliquias ſequens, per diverſa gentium terrarumque volitabat. Nam ſub Orientem ſequutus Armenios, [16] captis ipſo capite gentis Artaxatis, ſupplicem juſſit regnare Tigranem. At in Septemtrionem Scythicum, [17] iter tanquam in mari ſtellis ſequutus, Colchos cecidit. ignovit Iberiæ. pepercit Albanis. regemque horum Orodem poſitis ſub ipſo Caucaſo caſtris juſſit in plana deſcendere: Arthocen, qui Iberis imperabat, & obſides liberos dare. Orodem etiam remuneratus eſt, ultro ab Albania ſua lectulum aureum, & alia dona mittentem. Nec non & in meridiem verſo agmine, Libanum Syriæ, Damaſcumque tranſgreſſus, per nemora illa odorata, per turis & balſami ſilvas, Romana circumtulit ſigna. Arabes [18] ſi quid imperaret præſto fuere. Hieroſolymam defendere tentavere Iudæi: verum hanc quoque intravit; & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, [19] ſub aureo cœlo. diſſidentibuſque de regno fratribus arbiter factus, regnare juſſit Hircanum. Ariſto-

15 *Rebelles Aſiæ reliquias ſequens*] Malim, *rebellis Aſiæ reliquias ſequens*.

16 *Captis ipſo capite gentis*] *In ipſo capite gentis* N. non male. Sed nec male in vulgum edita ſupra, *nec vicorum populatione contentus*, *in ipſa capita Numidiæ impetum fecit.*

17 *Iter tanquam in mari ſtellis ſequutus*] Proverbio Græci dicebant de iis qui longum iter & per deſertas terras faciebant, διὰ τῶν ἀςέρων ὑποσημαίνεσθαι τὴν ὁδόν: cujus meminit ſcholiaſtes Æſchyli in Agamemnone. vide etiam Suidam.

18 *Si quid imperaret*] *Si quod imperaret*. N.

19 *Sub aureo uti cœlo*] Lipſius ille, *ſub aureo vitem cœlo*, ingenioſe emendaverat: ſed quam vere adhuc neſcio. antiquum mendum eſt, ut veteres libri monſtrant, qui illud *uti* omnes agnoſcunt. optimæ uti ſchedæ Divi Nazarii, *ſub aureouti cœlo.* fallor omnino niſi ex illis veſtigiis veſtigium veræ lectionis colligo, quæ eſt, *Sub aureo vitis cœlo*, & tollenda diſtinctio, *vidit illud grande impiæ gentis arcanum*, *patens ſub aureo vitis cœlo.* cœlum aureum eſt οὐρανίσκος χρύσεος, ſub quo vitis ipſa etiam aurea: ideo dicit *Arcanum vitis patens ſub aureo cœlo.*

Digitized by Google

Classe igitur comparata Britanniam petit. Transit mira celeritate: [9] quippe qui tertia vigilia Morino solvisset à portu, minus quam medio die insulam ingressus est. Plena erant tumultu hostico litora, & trepidantia ad conspectum rei novæ carpenta vol itabant. Itaque trepidatio pro victoria fuit. Arma, & obsides accepit à trepidis: & ulterius iisset, nisi improbam classem naufragio castigasset Oceanus. Reversus igitur in Galliam, classe majore, [10] auctisque copiis, in eundem rursus Oceanum, eosdemque rursus Britannos, Calidonias sequutus in silvas, unum quoque [11] è regibus Cassivelauni in vincula dedit. Contentus his (non enim provinciæ, sed nomini studebatur) cum majore quam prius præda revectus est; ipso quoque Oceano tranquillo magis, & propitio, quasi imparem se fateretur. Sed maxima omnium eademque novissima conjuratio fuit Galliarum, quum omnes pariter Arvernos atque Biturigas, Carnutas simul Sequanosque contraxit, ille corpore, armis, spirituque terribilis, [12] nomine adæque in terrorem etiam composito, Vercingentorix. [13] Ille festis diebus, & conciliabulis, quum frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad jus pristinum

DCXCIIX.

DCCI.

ambitionem & φιλαρχίαν tangit; cui exsaturandæ non erat satis orbis terrarum, & quicquid parebat Romanis, nisi alterum orbem quæsisset. Alterum orbem Britanniam intelligit, de qua in continenti sequitur, quem novum orbem & alterum orbem appellant Romani, ut notum est.

9 *Quippe quum tertia vigilia*] Malo, *quippe qui tertia vigilia Morino solvisset à portu, minus quam medio die insulam ingressus est.* ut vetus habet editio & Nazarianus liber.

10 *Auctisque admodum copiis*] Idem liber, *admodum*, non habet. supra ita loquutus est. *auctis admodum copiis*: ubi admonuimus etiam legi: *inmodum.*

11 *E regibus Cavellanis*] *Cavelianis* aliis libris.

12 *Nomine etiam quasi terrore composito*] Palatinus alter, cui veterem editionem addimus, legit, *nomine adque terrore etiam composito.* melius erit: *nomine ad terrorem composito.* si cui tamen placeat nihil mutari, me non quasi invitum trahet, sed volentem ducet.

13 *Ille festis diebus & comitialibus*] ἴχνια φωρὸς φαίνεσθαι, ut Græci dicunt; sic ego novi correctorum vestigia. *concilialibus* erat in veteri scriptura,

tinum libertatis erexit. Aberat tunc Cæsar Ravennæ delectum agens: & hieme creverant Alpes: sic interclusum putabant iter. 14 Sed ille qualis erat ad nuncium (rem felicissimæ temeritatis!) 15 per invios ad id tempus montium tumulos, per intactas nives expedita manu emersus occupat Galliam; & 16 ex distantibus hibernis castra contraxit; & ante in media Gallia fuit, quam ab ultima timeretur. Tum ipsa capita belli aggressus, urbes; Avaricum cum quadraginta millibus propugnantium sustulit: Alexiam ducentorum quinquaginta millium juventute subnixam flammis adæquavit. Circa Gergoviam Arvernorum tota belli moles fuit: quippe 17 quum octoginta millia muro, & arce, & abruptis defenderent; maximam civitatem vallo, sudibus & fossa, inductoque fossæ flumine, ad hoc decem & octo castellis, 18

ra, quam in *comitialibus* converterunt. omnino cum festi dies præcessissent, comitiales sequi debere sibi persuaserunt: quod falsissimum est. Vercingentorix & ejusdem factionis homines dies tantum festos, quibus sua conciliabula indicerent, eligebant, ut melius latere possent. quod comitialibus diebus non ita facile illis factum fuisset. Cæsar eadem de re loquens, *indictis inter se principes Galliæ conciliis sylvestribus ac remotis locis. conciliabulis* igitur verum est. Festus, *conciliabula sunt loca ubi in concilium convenitur.* Cæsar *concilia* vocat.

14 *Sed ille qualis erat, ad nuncium rei felicissimæ temeritatis*] Hic locus nobis paulo perturbatior apparet; mendosum non audeo dicere. Palatino alteri, & bonitate priori, non adest vox *temeritatis. & felicissime* legit. si alii accederent, censerem ita legendum: *Sed ille qualis erat ad nuncium rei felicissimè per invios ad id tempus montium tumulos, per intactas vias & nives, expedita manu emensus occupat Galliam. qualis erat ὡς εἶχεν.* eodem sensu, eademque servata distinctione scribi posset *felicissima temeritate*, & valde placet. vulgatum sane non possum concoquere cum illis interrogationum notis.

15 *Per invitos montium tumulos*] Scripsimus *invios*, & recte ut arbitror. nam *invitos* vitio non carebat.

16 *Ex distantibus hibernis*] *Et ex distantibus hibernis* libri.

17 *Quum octoginta millia muro, & arce*] *Quippe cum milite, muro & arce & abruptis defenderent maximam civitatem*, si quis sequeretur optimum Codicem Nazarianum, ita legeret; nec displicet mihi. otium tamen non est qui illam alteram editionem consideret.

18 Im

tellis, [18] ingentique lorica circumdatam, primum fame domuit: mox audentem eruptiones in vallo gladiis sudibusque concîdit: novissime in deditionem redegit. Ipse ille rex maximum victoriæ decus, supplex quum in castra venisset, [19] tum & phaleras, & sua arma ante Cæsaris genua projecit: *Habes*, inquit, *fortem virum*, *vir fortissime*, *vicisti*.

CAP. XI.

Bellum Parthicum.

DUm Gallos per Cæsarem in Septemtrione debellat, DCXCIIX
interim ad Orientem grave vulnus à Parthis populus Romanus accepit. Nec de fortuna queri possumus. caret solatio clades. Adversis & diis & hominibus cupiditas consulis Crassi, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum, & ipsius capite multata est. Et tribunus plebis Metellus exeuntem ducem hostilibus diris devoverat: & quum Zeugma transisset exercitus, rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates: & quum apud Nicephorum castra posuisset, missi ab Orode rege legati denunciavere, *percussorum cum Pompeio fœderum Syllaque meminisset*. Regiis inhians ille thesauris nihil, ne imaginario quidem jure, sed *Seleuciæ se responsurum esse* respondit. Itaque Dii fœderum ultores nec insidiis, nec virtuti hostium defuerunt. Jam primum, qui solus & subvehere commeatus, & munire poterat à tergo, relictus Euphates. tum simulato transfu-
gæ [1]

18 *Ingentique quasi lorica circumdatam*] Dele vocem *quasi*, postulantibus omnibus libris. sic supra, *fossa loricaque urbem circumdedit*.

19 *Tum & phaleras*] Nazar. *cum & phalera*. Palatini non habent.

1 *Cuidam Mezeræ Syro*] *Mazzaresyro* Nazarianus. uterque Palatinus *Mazaræ*.

gæ [1] cuidam Mazaræ Syro creditur, dum in mediam camporum vastitatem eodem duce ductus exercitus, ut undique [2] hosti exponeretur. Itaque vix dum venerat Carras,
DCC. quum undique præfecti regis, Sillaces & Surenas, ostendere signa auro sericeisque vexillis vibrantia. Tum sine mora circumfusi undique equitatus, in modum grandinis atque nimborum densa pariter tela fuderunt. Sic miserabili strage deletus exercitus. Ipse in colloquium sollicitatus, signo dato, vivus in hostium manus incidisset, nisi tribunis reluctantibus fugam ducis barbari ferro occupassent. Filium ducis pæne in conspectu patris eisdem telis operuêre. Reliquiæ infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque distractæ, vix nuncium cladis retulerunt. Caput ejus recisum cum dextera manu ad regem deportatum ludibrio fuit neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est; ut cujus animus arserat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exsangue corpus auro ureretur.

Cap. XII.

Anacephalæosis.

HÆc est illa tertia ætas populi Romani transmarina, qua [1] Italia progredi ausus orbe toto arma circumtulit. Cujus ætatis superiores centum anni sancti, pii, &, ut diximus, *aurei*, sine flagitio, sine scelere, dum sincera adhuc & innoxia pastoriæ illius sectæ integritas, dumque Pœnorum hostium imminens metus disciplinam veterem continebat.
DCVI. Postremi centum, quos à Carthaginis, Corinthi,
DCX. Numantiæque excidiis, & Attali regis Asiatica hæreditate de-

2 *Hosti exponeretur*] *Sic* Nazarius. alteri Palatino *opponeretur*.

1 *Quam*

deduximus in Cæsarem & Pompeium, sequutumque hos, de quo dicemus, Augustum, ut claritate rerum bellicarum magnifici, ita domesticis cladibus miseri & erubescendi. Quippe sicut Galliam, Thraciam, Ciliciam, Cappadociam, uberrimas validissimasque provincias, Armenios etiam & Britannos, ut non in usum, ita ad imperii speciem magna nomina acquisiisse pulchrum atque decorum: ita eodem tempore dimicasse domi cum civibus, sociis, mancipiis, gladiatoribus, totoque inter se senatu, turpe atque miserandum. Ac nescio an satius fuerit populo Romano, Sicilia & Africa contento fuisse, aut his etiam ipsis carere, dominanti in Italia sua, quam eo magnitudinis crescere, ut viribus suis conficeretur. Quæ enim res alia furores civiles peperit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit: mox Asiatica Pergameni regis hæreditas. Illæ opes atque divitiæ afflixere sæculi mores: mersamque vitiis suis, quasi sentina, rempublicam pessumdedere. Vnde enim populus Romanus à tribunis agros & cibaria flagitaret, nisi per famem, [1] quam luxu fecerat? Hinc ergo Gracchana, & prima & secunda, & illa tertia Apuleiana seditio. Vnde [2] regnaret judicariis legibus divulsus à senatu eques, nisi ex avaritia, ut vectigalia reipublicæ, atque ipsa judicia in quæstu haberentur? Hinc rur-

1 QUam luxus fecerat] *Luxu* in omnibus libris calamo exaratis, & veteribus excusis.

2 *Regnare jussus à Senatu eques*] Quale hoc sit non intelligo: quis enim ita intelligat senatum ipsum jussisse equites regnare? Diu hic hæsissem, nisi me cito exsolvissent illæ optimæ membranæ, in quibus legi, *iudiciariis legibus divulsus, à senatu eques*. Sed in iisdem lacuna erat statim post *Apuleiana seditio.* quid olim fuerit, non coniicio. puto tamen nihil aliud fuisse quam *unde*, & sensum sic haberi integrum, *unde iudiciariis legibus divulsus à Senatu eques nisi ex avaritia*, &c. cap. sequenti: *quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax, quam ut, senatu regente provincias, ordinis equestris authoritas saltem judiciorum regno niteretur.*

rursus & promissa civitas Latio, & per hoc arma sociorum. Quid autem bella servilia? unde nobis, nisi ex abundantia familiarum? Vnde gladiatorii adversus dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis favorem effusa largitio, quum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit? Iam ut speciosiora vitia tangamus, nonne ambitus honorum ab iisdem divitiis incitatus? Atqui inde Mariana, inde Syllana tempestas. Aut magnificus apparatus conviviorum, & sumptuosa largitio, nonne ab opulentia paritura mox egestatem? Hæc Catilinam patriæ suæ impegit. Denique illa ipsa principatus & dominandi cupido, unde, nisi ex nimiis opibus venit? Atqui hæc Cæsarem atque Pompejum furialibus in exitium reipublicæ facibus armavit. Hos igitur populi Romani omnes domesticos motus, separatos ab externis justisque bellis, ex ordine prosequemur.

Cap. XIII.

Seditiositas tribuniciæ potestatis.

1 SEditionum omnium caussas Tribunicia potestas excitavit: quæ specie quidem plebis tuendæ, cujus in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens, studium populi ac favorem agrariis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur. Inerat omnibus species æquitatis. Quid enim tam justum, quam recipere plebem rus suum à patribus? ne populus gentium victor, orbisque possessor, [2] extorris aris ac focis ageret. Quid tam æquum, quam

1 *SEditionum omnium causas*] Ab hoc capite incipit Liber quartus in altero Palatino. titulus capitis conceptus in vetustissimo libro, *de legibus Gracchanis*.

2 *Extorris aris ac focis ageret*] *Ageretur*, Palatin. sed melius excusi. Hæc

Digitized by Google

quam inopem populum vivere ex ærario suo? Quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax, quam ut senatu regente provincias, ordinis equestris auctoritas saltem judiciorum regno niteretur? Sed hæc ipsa in perniciem redibant: & misera respublica in exitium suum merces erat. Nam & à senatu in equitem translata judiciorum potestas vectigalia, id est, imperii patrimonium, supprimebat: & emptio frumenti ipsos Reipublicæ nervos exhauriebat ærarium. Reduci plebs in agros unde poterat sine possidentium eversione? qui ipsi pars populi erant, & tamen relictas sibi à majoribus sedes, ætate, quasi jure hæreditario possidebant.

CAP. XIV.

Seditio Tiberii Gracchi.

PRimam certaminum facem Tiberius Gracchus accendit, genere, forma, eloquentia facile princeps. Sed hic, sive Mancinianæ deditionis, quia sponsor fœderis fuerat, contagium timens, & inde popularis: sive æquo & bono ductus, quia depulsam agris suis plebem miseratus est, [1] ne populus gentium victor, orbisque possessor extorris agris ac focis suis exularet, quacunque mente, rem ausus ingentem. Postquam rogationis dies aderat, ingenti stipatus agmine rostra conscendit: nec deerat obvia manu tota inde nobilitas, DCXX.

Hæc periodus tamen tota mihi videtur ex loco penitus exsecanda, cum paulo post iisdem verbis concepta sequatur: suo & magis idoneo loco. idem senties si ordinem & seriem verborum Flori consideres: *Quid tam justum quam recipere plebem jus suum à patribus? Quid tam æquum quam inopem populum vivere ex ærario suo? Quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax*, &c.

1 N*e populus gentium victor*] Diximus supra non videri nobis hanc periodum ex sui præcedenti capite translatam, sed contra. In optimo libro portentose scribitur, *nemo cum gentium victor*, quam vitiosam scrip-

tas, & tribuni in partibus. Sed ubi intercedentem legibus suis Cnæum Octavium videt Gracchus, contra fas collegii, jus potestatis, injecta manu depulit rostris: adeoque præsenti metu mortis exterruit, ut abdicare se magistratu cogeretur. [2] Sic triumvir creatus dividendis agris. Quum ad perpetranda cœpta die comitiorum prorogari sibi vellet imperium, obvia nobilium manu, eorumque quos agris moverat, cædes à foro cœpit. Inde quum in Capitolium profugisset, plebemque ad defensionem salutis suæ, manu caput tangens, hortaretur, præbuit speciem regnum sibi & diadema poscentis: atque ita duce Scipione Nasica concitato in arma populo, quasi jure oppressus est.

C A P. XV.

Seditio Caii Gracchi.

DCXXII. STatim & mortis, & legum fratris sui vindex non minore impetu incaluit Cajus Gracchus. qui cum pari tumultu atque terrore plebem in avitos agros arcesseret; & recentem Attali hæreditatem in alimenta populo polliceretur; jamque nimius & [1] potens altero tribunatu, secunda plebe volitaret: [2] obrogare auso legibus suis Minucio tribuno, fretus comitum manu, fatale familiæ suæ Ca-

scripturam putamus conflatam ex istis, *ne po oium gentium victor.* hoc est, *ne populus omnium gentium victor.*

2 *Sic triumviratus creatus*] Meliores & vetustiores libri, *sic triumvir, creatus.* quod nisi verius aut melius est, iucundiorem saltem habet sonum illo vulgato.

1 *Potens altero tribunatu, Secunda plebe*] N. alter autem Palatinus, *altero tribunatu, comitum manu fretus*, reliquis, quæ interjacent, omissis. cui parem fuisse veterem ordinem didicimus ex viri doctissimi notis.

2 *Abrogare auso legibus suis*] *obrogare*, quidam melioris notæ.

3 *Cæde*

Digitized by Google

Capitolium invasit. Inde proximorum [3] cæde pulsus, quum se in Aventinum recepisset; inde quoque obvia senatus manu, ab Opimio consule oppressus est. Insultatum quoque [4] mortis reliquiis: & illud sacrosanctum caput Tribuni plebis percussoribus auro pensatum est.

Cap. XVI.

Seditio Apuleiana.

Nihilominus Apulejus Saturninus Gracchanas asserere DCLIII.
leges non destitit. Tantum animorum viro Marius dabat. qui nobilitati semper inimicus, consulatu suo præterea confisus, occiso palam comitiis [1] Annio competitore Tribunatus, subrogare conatus est in ejus locum Cajum Gracchum, hominem sine tribu, sine nomine: sed subdito titulo in familiam ipse se adoptabat. Quum tot tantisque ludibriis exultaret impune, rogandis Gracchorum legibus ita vehementer incubuit, ut Senatum quoque cogeret [2] in verba jurare, quum abnuentibus *aqua & igni interdicturum se minaretur*. Vnus tamen exstitit qui mallet exilium. Igitur post Metelli fugam omni nobilitate perculsa, quum jam tertium annum dominaretur, eo vesaniæ progressus est, ut consularia quoque comitia nova cæde turbaret. Quippe ut satellitem furoris sui Glauciam, consulem faceret, Cajum Memmium competitorem interfici jussit; & in eo tumultu *regem* ex satellitibus suis se appellatum lætus accepit. Tum vero conspiratione Senatus, ipso quoque jam Mario con-

3 *Cæde pulsus*] *Repulsus* in Nazarii schedis. Palatinus *depulsus*.

4 *Mortis reliquiis*] Eædem schedæ *reliquis*. *reliqua* hic author non semel usurpavit *αὐτὰ τῶν λειψάνων*.

1 *Annio competitore*] *Mumio*, Palatinus.

2 *In verba sua jurare*] *In verba jurare*, vetus editio: cui consentiunt scripti

Digitized by Google

consule, quia tueri non poterat, adverso; directæ in foro acies. [3] expulsus inde Capitolium invasit. Sed quum abruptis fistulis obsideretur, Senatuique per legatos pœnitentiæ fidem faceret, ab arce degressus, cum ducibus factionis receptus in curiam est. Ibi eum facta irruptione populus fustibus saxisque coopertum in ipsa quoque morte laceravit.

Cap. XVII.

Drusiana seditio.

DCLXII. POstremo Livius Drusus non tribunatus modo viribus, sed ipsius etiam Senatus auctoritate, totiusque Italiæ consensu, easdem leges asserere conatus, dum aliud captat ex alio, tantum conflavit incendium, [1] ut ne prima illius flamma posset sustineri; & subita morte correptus, hæreditarium in posteros suos bellum propagaret. Judiciaria lege Gracchi diviserant populum Romanum, & bicipitem ex una fecerant civitatem: Equites Romani tanta potestate subnixi, ut qui fata fortunasque principum haberent in manu, interceptis vectigalibus [2] peculabantur suo jure rempublicam: Senatus exilio Metelli, damnatione Rutilii debilitatus omne decus majestatis amiserat. In hoc statu rerum pares opibus, animis, dignitate

scripti omnes. possumus igitur *sua* ejicere, tot consentientium authoritate id jubente.

3 *Expulsus inde, in Capitolium*] *Expulsus, inde Capitolium invasit*, omnes scripti.

1 *VT nec prima illius*] Probo ex iisdem veteribus, *ut ne prima illius flamma.*

2 *Pecularentur suo jure remp.*] Qui ordinem seriemque, quæ hunc locum nectit, videat, certo pronuntiet scribendum esse, *peculabantur.* cui scripturæ robur addit, favor optimorum librorum & veteris editionis

Digitized by Google

te (unde & nata Livio Druso æmulatio) equitem Servilius Cæpio, Senatum Livius Drusus asserere: signa, & aquilæ, & vexilla aderant. Cæterum sic urbe in una quasi in binis castris dissidebatur. Prior Cæpio in senatum impetu facto, reos ambitus Scaurum & Philippum, principes 3 nobilitatis dejecit. His motibus ut resisteret Drusus, plebem ad se 4 Gracchanis legibus evocavit, eisdem socios ad spem civitatis erexit. Extat vox ipsius, *Nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut cœnum dividere vellet, aut cælum.* Aderat promulgandi dies; quum subito tanta vis hominum undique apparuit, ut hostium adventu obsessa civitas videretur. Ausus tamen obrogare legibus consul Philippus: sed apprehensum faucibus viator non ante dimisit, quam sanguis in ora & oculos redundaret. Sic per vim latæ, jussæque leges: sed pretium rogationis 5 statim socii flagitare, quum interim imparem Drusum, ægrumque rerum temere motarum, matura, ut in tali discrimine, mors abstulit. nec ideo minus socii promissa Drusi à populo Romano reposcere armis desierunt.

CAP.

tionis. paulò supra illa verba, *vitasque principum*, foras sunt ejicienda, quæ pro certo habeo esse ab aliquo inepto adtexta. brevius & verius libri, *ut qui fata fortunasque principum.* vox *patrum* quam intruserant, quibus rationibus permoti? nonne tunc patres, principes erant in rep.? deinde illud, *vitasque*, nonne est plane supervacuum, cum præcesserit, *fata*? omnino studiosus aliquis ad oram libri adleverat hæc verba glossæ instar obtinentia: quæ postea nescientes librarii temere concinnata in contextum receperunt.

3 *Nobilitatis elegit*] Meliora exemplaria *delegit* habent. nec veteri editioni aut alteri Palatino assentiendum est, *abegit* præferentibus, ubi lib. II. cap. IV. *in causa belli Saguntbus electa est, vetus Hispaniæ civitas.* eadem loquutio.

4 *Gracchanis legibus, eisdem socios*] Altera lectio in uno Palatino, quam tamen mendosam censeo, hæc est: *plebem ad se Gracchanis legibus evocavit, socios ad plebem spe civitatis erexit.* viderint illi quibus gustus sapit, quid sapiat hæc lectio, nobis religioni est vulgatam sollicitare.

5 *Statim socii flagitavere*] Placet *flagitare*, ut optimæ membranæ exaratum habent.

Rese-

Digitized by Google

Cap. XVIII.

Bellum Sociale.

DCLXIII. Sociale bellum vocetur licet; ut extenuemus invidiam: si verum tamen volumus, illud civile bellum fuit. quippe quum populus Romanus Etruscos, Latinos, Sabinosque miscuerit, & unum ex omnibus sanguinem ducat; corpus fecit ex membris, & ex omnibus unus est. nec minore flagitio socii intra Italiam quam intra urbem cives rebellabant. Itaque quum jus civitatis, quam viribus auxerant, socii justissime postularent, ad quam spem eos cupidine dominationis Drusus erexerat; postquam ille domestico scelere oppressus est, eadem fax, quæ illum cremavit, socios in arma & oppugnationem Urbis accendit. Quid hac clade tristius? quid calamitiosius? quum omne Latium atque Picenum, Etruria omnis atque Campania, postremo Italia contra matrem suarum urbium consurgerent. quum omne robur fortissimorum fidelissimorumque sociorum sub suis quisque signis haberent municipalia illa prodigia, Popedius Marsos, & Latinos Afranius; Umbros totus senatus & consules; Samnium Lucaniamque Telesinus: ut quum regum & gentium arbiter populus ipsum se regere non posset, victrix Asiæ Europæque à Corfinio Roma peteretur. Primum fuit belli in Albano monte consilium, ut festo die Latinarum Julius Cæsar, & Martius Philippus consules, inter sacra & aras immolarentur. Postquam id nefas proditione discussum est, Asculo furor omnis erupit, in ipsa quidem ludorum frequentia trucidatis, qui tum aderant ab Urbe, legatis. hoc fuit impii belli sacramentum. Inde jam passim ab omni parte Italiæ, duce & auctore belli discursante Popedio, diversa per populos & urbes signa ce-

cecinere. Nec Annibalis, nec Pyrrhi fuit tanta vaſtatio. Ecce Ocriculum, ecce Grumentum, ecce Feſulæ, ecce Carſeoli; [1] Reate, Nuceria, Picentia cædibus, ferro & igne vaſtantur. Fuſæ Rutilii copiæ, fuſæ Cæpionis. Nam ipſe Julius Cæſar exercitu amiſſo, quum in Urbem cruentus referretur, miſerabili funere mediam etiam Urbem perviam fecit. Sed magna populi Romani fortuna, & ſemper in malis major, totis denuo viribus inſurrexit: aggreſſique ſinguli populos; Cato diſcutit Etruſcos; Gabinius Marſos; DCLXIV.
Carbo Lucanos; Sylla Samnites. Strabo vero Pompejus omnia flammis ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quam Aſculi everſione Manibus [2] tot exercituum, conſulum, direptarumque urbium diis utcunque litaretur.

CAP. XIX.

Bellum Servile.

ETſi cum ſociis (nefas!) cum liberis tamen, & ingenuis dimicatum eſt. quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella ſervorum? Primum Servile bel- CCXCIII.
lum inter initia Urbis Herdonio Sabino duce in ipſa Urbe tentatum eſt: quum occupata tribuniciis ſeditionibus civitate, Capitolium obſeſſum eſt, & à conſule captum: ſed

1 R*Eſeratæ Nuceria*]Nemo vel de mendo admonuit, quod tamen graviſſimum ſuper hoc loco ſidit. optimus liber, *reſerat nuceria.* In uno palatino, *reſcrata.* Alter, *roſerata.* omnino debet nomen Italicæ urbis reponi, & niſi fallor ſcribendum, *ecce Carſeoli*, *Reate*, *Nuceria*, &c. alii melius conjiciant, & viri ſunto. pro *Nuceria*, quidam *Luceria*: & *Nuceria* & *Luceria* in Italia ſunt.

2 *Tot exercituum conſularium*] Melius ex libris legam: *manibus tot exercituum, conſulum, direptarumque urbium*, &c.

ſed hic tumultus magis fuit quam bellum. Mox imperio per diverſa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius ſervili, quam Punico bello eſſe vaſtatam? Terra frugum ferax, & quodammodo ſuburbana provincia, [1] latifundiis civium Romanorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergaſtula, catenatique cultores, materiam
DCXVIII. bello præbuere. Syrus quidam nomine Eunus (magnitudo cladium facit, ut meminerimus) fanatico furore ſimulato, dum Syriæ deæ comas jactat, ad libertatem & arma ſervos, quaſi numinum imperio concitavit; idque ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam ſulphure & igne ſtipaverat, [2] leniter inſpirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculum primum duo millia ex obviis; mox jure belli refractis ergaſtulis, ſexaginta amplius millium fecit exercitum: regiiſque, ne quid malis deeſſet, decoratus inſignibus, caſtella, oppida, vicos, miſerabili direptione vaſtavit. Quin illud quoque, (ultimum belli dedecus) capta ſunt caſtra Prætorum; nec nominare ipſos pudebit, caſtra Manilii, Lentuli, Piſonis, Hypſæi. Itaque qui per fugitivarios retrahi debuiſſent, prætorios duces, profugos prœlio, ipſi ſequebantur. Tandem P. Rupilio
DCXXI. Imperatore ſupplicium de eis ſumptum eſt. Hic enim victos, & apud Ennam noviſſime obſeſſos, quum fame quaſi peſtilentia conſumpſiſſet, reliquias latronum compedibus & ca-

1 *Latifundiis civium Latinorum tenebatur*] Pro *Latinorum*, Lipſius ille *lautiorum* legebat: ingenioſe, niſi aliud ſuaderent libri; quorum optimus, eorum ſaltem quos vidimus, Nazarianus ita habet, *civium Romanorum Latinorum.* certum eſt duplicem in libris olim lectionem fuiſſe, *Romanorum* & *Latinorum.* utramque more ſuo eximius ille liber conſervavit: cum ſequiores librarii alterutrum tantum retinendum putaverint. Inde eſt quod alii libri *Romanorum*, alii nonnulli *Latinorum* ſcriptum habeant. *Latinorum* eiecimus, *Romanorum* verum putamus. ita etiam habetur in utroque Palatino.

2 *Leniter inſpirans*] *Leviter inſpirans*, in aliis utrumque probum eſt.

3 *Quum*

catenis religavit, crucibusque punivit. fuitque de servis ovatione contentus, ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret. Vixdum respiraverat insula, [3] quum statim DCLIII. servi, & à Syro reditur ad Cilicem. Athenio pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. Ipse veste purpurea, argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita, non minorem, quam ille fanaticus prior, conflat exercitum; acriusque multo, quasi & illum vindicaret, vicos, castella, oppida diripiens, in dominos, in servos infestius, quasi in transfugas, saeviebat. Ab hoc quoque [4] Praetorii exercitus caesi; capta Servilii castra, capta Luculli. Sed Aquilius Rupilii usus exemplo interclusum hostem commeatibus ad extrema compulit, communitasque copias armis fame facile delevit: dedidissentque se, [5] nisi suppliciorum metu voluntariam mortem praetulissent. Ac ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit. quippe [6] dum circa adprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus praeda lacerata est.

CAP.

3 *Quum statim à servis, & à Syro*] Lectio parum proba. corrigo, *quum statim servi, & à Syro reditur ad Cilicem.*

4 *Praetorii exercitus caesi*] *Praetoris exercitus.* N.

5 *Nisi suppliciorum metui*] Mors non praefertur suppliciorum metui sed suppliciis, quibus quidem ut mortem praeferamus, metus ipsorum facit: non tamen metui tantum illam praeoptamus. optimae membranae, *nisi suppliciorum metu ac voluntariam mortem praetulissent.* addita syllaba lego, *nisi suppliciorum metu acti voluntariam mortem praetulissent*: alias legendum esset, *nisi suppliciorum metu voluntariam mortem praetulissent.*

6 *Dum circa deprehendendum eum*] Eaedem membranae, *dum circa adprehendendum.* lego, *dum circa adprehendendum eum.* qua lectione nihil verius.

1 Cri-

CAP. XX.

Bellum Spartacium.

DCLXXX. ENimvero servilium armorum dedecus feras. Nam etsi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quasi secundum hominum genus sunt, & in bona libertatis nostræ adoptantur. Bellum Spartaco duce concitatum quo nomine appellem nescio. quippe quum servi militaverint, gladiatores imperaverint, illi infimæ sortis homines, hi pessimæ, auxere ludibrio calamitatem. Spartacus, [1] Crixus, Oenomaus, effracto Lentuli ludo, cum triginta haud amplius [2] ejusdem fortunæ viris eruperunt Capua; [3] servisque ad vexillum [& pileum] vocatis, quum statim decem amplius millia coïssent hominum, non modo effugisse contenti

1 CRixus] Libri variant. *Crissus*, *Chrysus*, sed meliores *Crixus*.
2 *Ejusdem fortunæ viris*] Ἄνδρας vocat qui potius ἀνδράποδα erant. Optime vetus liber, *cum ejusdem fortunæ ludis*. facilis emendatio: *ludiis* enim lego. *Ludii* vulgo sunt saltatores. Ovidius: *Ludius æquatam ter pede pulsat humum*. Sed *ludii* etiam sunt gladiatores à ludo dicti, ut manifesto indicat hic locus. Trebellius Pollio Claudio, *At ego scio sæpius inter gladiatores bonis propugnatoribus hoc nomen adpositum, habuit proxime tuus libellus munerarius hoc nomine in indice ludorum*. ita vulgo legitur pessime. nam scribendum, *in indice ludiorum*. Ludii sunt gladiatores. ille libellus munerarius nomina continebat gladiatorum. In eo catalogo gladiatorem nomine Aureolum conscriptum fuisse scribit Pollio. nec dissimulandum est, nos ludiorum reperisse in optimis membranis Palatinis quas studiose contulimus. Glossæ veteres, Lanista, λουδολεγόφος, μονομαχολεγόφος, ἐπιστάτης μονομάχων. legendum λουδιολεγόφος. Ludius enim idem est quod μονομάχος. inde λουδιολεγόφος dicitur lanista qui ludios, id est, μονομάχους instituit. Ludii igitur sunt gladiatores. quod nunc primi nos docemus.

3 *Servisque ad vexillum & ad auxilium vocatis*] Eadem hunc locum corrupit ratio de qua supra sæpius diximus. διπλογραφούμενον in libris, *ad auxilium*, *ad vexillum*. quorum alterum verum, alterum falsum & expungendum. nam optimus codex ita scriptum exhibet, *servis ad vexillum, ad auxilium vocatis*. *ad auxilium* depravatum erat in antiquis libris pro illis,

Digitized by Google

tenti, [4] jam vindicari volebant Prima velut ara viris mons Vesuvius placuit. Ibi quum obsiderentur à Clodio Glabro, per fauces cavi montis [5] vitigineis delapsi vinculis ad imas ejus descendere radices: [6] & exitu invio nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuere, inde alia castra deinceps Cosam, totamque pervagantur Campaniam. nec villarum atque vicorum vastatione contenti, Nolam [7] atque Nuceriam, Thurios atque Metapontum terribili strage populantur. Affluentibus in diem copiis, quum jam esset

ad vexillum. Antiqui scribæ religiose καὶ ἀδιόρθωτον καὶ διωρθωμένην γραφὴν adscribebant. recta scriptura est, *ad vexillum*. altera ut diximus, depravata. legendum igitur, *Servisque ad vexillum vocatis, quum decem amplius millia coissent hominum*, &c.

4 *Iam vindicare volebant*] Hæc lectio melior non est illa altera, *iam vindicari volebant*: idque χρῆσις huius authoris docet. Nazar. liber, *quin jam vindicari volebant*. ita reponendum censeo.

5 *Vitineis delapsi vinculis*] *Vitinea vincula* unica voce Græci vocant κληματίδας: qua voce etiam usus est Plutarchus in eiusdem historiæ narratione. libri quidam *vixinis* aut *vixineis*. posset esse, *buxinis* aut *buxineis*. *Buxinum* enim dicebant Latini, ut Græci πύξινον ἀπὸ τοῦ πύξου. Glossarum scriptor, *Buxinum*, πύξινον. in Catalectis Virgilianis, in illa parodia de mulione: — *pectinemque buxinum*. vulgo scribitur monstrose prorsus, *proximum*. antiqua γραφῇ, *puximim* aut *poxinum*. postea in *proximum* corruptum est.

6 *Et exitu invio*] Non possum audire qui *inviso* legunt: neque *invio*, quod editum est, probo: quod fortasse mirum videbitur: ille liber, quam fere in omnibus sequimur, *in uno* habet. qui Plutarchi hæc legerit, id optimum forte an putet: ἔπειτα Κλωδίου στρατηγοῦ μετὰ τρισχιλίων πεμφθέντος ἐκ Ῥώμης καὶ πολιορκοῦντος αὐτοὺς ἐν ὄρει μίαν ἔχοντι καὶ χαλεπὴν καὶ στενὴν ἄνοδον ἣν Κλώδιος ἐφρούρει. τὰ δ᾽ ἄλλα κρημνοὺς καὶ λισσάδας. Sed non dubito quin legendum sit, *exitu non uno*. Et facile probabo. Illa μία ἄνοδος, quam Plutarchus dicit, ad hunc locum nihil facit. Custodiebat eum Clodius. Latrones, cum cæteras omnes vias τοῦ χωρίου loci intercluderet; unica autem quæ erat, teneretur à Clodio; per fauces cavi montis delapsi sunt vinculis vitineis. Ad imas autem radices in multas partes scisso aut forato monte, non uno exitu subito invaserunt castra. *Non uno* igitur legimus, pro *in uno*, facili etiam in aliis lapsu.

7 *Atque Nuceriam*] Etiam hoc loco ex libris quidam, *Luceriam* retinent.

esset justus exercitus; [8] è viminibus pecudumque tegumentis inconditos sibi clypeos; è ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt. Ac ne quod decus justo deesset exercitui, domitis obviis gregibus paratur equitatus, captaque de prætoribus insignia & fasces ad ducem detulere. Nec abnuit ille de stipendario Thrace miles, de milite desertor, inde latro, dein in honore virium gladiator. qui defunctorum quoque prœlio ducum funera imperatoriis celebravit exequiis, captivosque circa rogum jussit armis depugnare: quasi planè expiaturus omne præteritum dedecus,
DCLXXXI. si de gladiatore munerator fuisset. Inde jam consulares quoque aggressus in Apennino Lentuli exercitum percecidit: apud Mutinam [9] Caji Cassii castra delevit. Quibus elatus victoriis, de invadenda urbe Romana (quod satis est turpitudini nostræ) deliberavit. Tandem etiam totis imperii
DCLXXXII viribus contra mirmillonem consurgitur: pudoremque Romanum Licinius Crassus asseruit. à quo pulsi fugatique (pudet dicere) hostes in extrema Italiæ refugerunt. Ibi [10] circa Bruttium angulum clusi, quum fugam in Siciliam pararent, neque navigia suppeterent, ratesque ex cratibus, & dolia connexa virgultis in rapidissimo freto frustra experirentur; tandem eruptione facta, dignam viris obiere mortem: & quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. Spartacus ipse in primo agmine fortissime dimicans, quasi imperator occisus est.

C A P.

8 *E viminibus, pecudumque tegumentis*] Frontinus, *Spartaco copiisque ejus scuta ex vimine fuerunt quæ coriis tegebantur, è ferro ergastulorum recocto.* N. *&* *ferro.*

9 *Caii Cassii*] *Crassi* & *Crassii* veteres nonnulli.

10 *Circa Bruttium angulum*] *Brittium* ἀρχαϊκῶς scriptum. in veteribus Græcis βρίττιοι & βρέττιοι. Sic & Brindisium non raro occurrit in scriptis libris. est Græcis βρενδήσιον. mox *clusi* Nazarianus, non *occlusi*: & melius. *clusi* pro *clausi*. *Bruttium angulum* hic vocat Florus. Plutarchus, τὴν ῥηγίνων χερρόνησον.

1 *Ut*

CAP. XXI.

Bellum civile Marianum.

HOc deerat unum populi Romani malis, [1] jam ut ipse in se parricidale ferrum domi stringeret; in urbe media ac foro, quasi arena, cives cum civibus gladiatorio more concurrerent. Æquiore animo utcunque ferrem, si plebeji duces; aut si nobiles, mali saltem, ducatum sceleri præbuissent: jam vero, prò facinus, qui viri! qui imperatores! decora & ornamenta sæculi sui Marius, & Sulla, pessimo facinori suam etiam dignitatem præbuerunt. Tribus, ut sic dixerim, sideribus agitatum est: primo & levi, & modico, [2] tumultu magis quam bello, intra ipsos armorum duces subsistente sævitia: mox atrocius, & cruentius, per totius viscera senatus grassante victoria. ultimum non civicam modo, sed hostilem quoque rabiem supergressum est; quum armorum furor totius Italiæ viribus niteretur, eousque odiis sævientibus, donec deessent, qui occiderentur. Initium & caussa belli, inexplebilis honorum Marii fames, dum decretam Sullæ provinciam Sulpicia lege sollicitat. Sed impatiens injuriæ statim Sulla legiones circumegit: dilatoque Mithridate, Esquilina Collinaque porta geminum agmen Urbi infudit. [3] Unde quum consulto Sulpicius, & Albinovanus objecissent catervas, sudes- DCLXV.

1 VT *jam ipse*] *Iam ut ipse* ipsissimus est Flori character.
2 *Tumultu magis quam bello*] Editiones anteriores habebant, *tumultu majore quam bello.* Scio unde enatum sit illud vitium lectionis: vitiose scriptum erat, *majus* pro *magis:* deinde illi qui operam suam dicant corrumpendis libris ex *majus* fecerunt *majore.* cap. XIX. hujus libri, *tumultu majus quam bello.* ita scriptum erat in antiquissimo Codice *majus* pro *magis.*
3 *Unde quum subito*] Repone antiquam & veram lectionem, *unde quum*

sudesque & saxa undique à mœnibus ac tela jacerentur; ipse quoque jaculatus incendio viam fecit, arcemque Capitolii, [4] quæ Pœnos, quæque Gallos etiam Senones evaserat, quasi captivam victor incendit. Tum [5] ex consulto senatus adversariis hostibus judicatis, in præsentem tribunum, aliosque diversæ factionis, jure sævitum est. Marium servilis fuga [6] eximit; immo fortuna alteri bello reservavit.

DCLXVI. Cornelio Cinna, Cnæo Octavio consulibus, male obtutum resurrexit incendium: & quidem ab ipsorum discordia, quum de revocandis, quos senatus hostes judicaverat, ad populum referretur. Cincta quidem gladiis concione, sed vincentibus quibus pax & quies potior, profugus patria sua Cinna confugit ad partes. Redit ab Africa Marius clade major. siquidem carcer, catenæ, fuga, exilium, horrificaverant dignitatem. Itaque ad nomen tanti viri late concurritur: servitia (prò nefas!) & ergastula armantur: & facile invenit exercitum miser imperator. Itaque vi patriam reposcens, unde vi fuerat expulsus, poterat videri jure agere, nisi caussam suam sævitia corrumperet. Sed quum diis hominibusque infestus rediret, statim primo impetu cliens & alumna Urbis Ostia nefanda strage diripitur. mox in urbem quadruplici agmine intratur. divisere copias Cinna, Marius, Carbo, Sertorius. Hic postquam manus omnis Octavii depulsa Janiculo est, [7] sta-

quum consulto quam ut mutarent, quid moverit correctores, nescio: nisi sit cuiusdam libri prava scriptura, quæ cum haberet *unde cumsulto*, illi mutandum putaverunt *sulto* in *subito*. nos tales syllabarum similiter absorptus notavimus multoties in hoc tantulo libro.

4 *Quæ Pœnos quoque, Gallos etiam*] Nescio an quibusdam placere possit alter Palatinus ita scribens, *quæ Pœnos, quæque Gallos etiam Senones evaserat*. nos flagitium non esse putamus aliquid mutare.

5 *Ex senatusconsulto*] Nazarii liber *ex consulto senatus*. posterior Palat. *ex decreto senatus*.

6 *Exemit*] Idem *eximit*, Flori character.

7 *Sta-*

[7] statim ad principum cædem signo dato, aliquanto sævius,
quam aut in Punica, aut in Cimbrica urbe, sævitur. Octavii
consulis caput pro Rostris exponitur; Antonii consularis
in Marii ipsius mensis: [8] Cæsares a Fimbria in penatibus
domorum suarum trucidantur: Crassi pater & filius in mu-
tuo alter alterius aspectu: Bæbium atque Numitorium per
medium forum unci traxere carnificum: Catulus se ignis
haustu ludibrio hostium exemit: Merula flamen Dialis in DCLXVI.
Capitolio Iovis ipsius oculos venarum cruore respersit:
Ancharius ipso vidente Mario confossus est, qui fatalem
illam scilicet manum non porrexerat salutanti. Hæc tot se-
natus funera intra calendas & idus Ianuarii mensis septima
illa Marii purpura dedit. Quid futurum fuit, si annum
[9] consularis implesset? [10] Scipione Norbanoque consulibus, DCLXX.
tertius ille turbo civilis insaniæ toto furore detonuit. &
quippe quum hinc octo legiones, quingentæ cohortes sta-
rent in armis, [11] inde ab Asia cum victore exercitu Sulla pro-
peraret. Et sane quum tam ferus in Sullanos Marius fuisset;
quanta sævitia opus erat, ut Sulla de Mario vindicare-
tur? Primum apud Capuam sub amne Vulturno signa con-
cur-

7 *Statim in principum cædem*] *Ad principum cædem*, melius ex omnibus tam veteribus scriptis quam excusis.

8 *Cæsar & Fimbria*] Fimbrias fuisse Marianarum partium ex historiis constat. quis hic igitur Fimbria à Marianis occisus? incertant me, ut ita dicam, libri variantes. alter Palatinus, *cæsi à Fimbria*, alter vero, *cæsi à Funebria*. ut paulo post, *trucidatur*, non *trucidantur*. an igitur legendum? *Cæsar à Fimbria in penatibus domorum suarum trucidatur*. ita legam lubens, si modo aliquid mihi ex historia oblucerct.

9 *Si annum consularis implesset*] *Consulatus* in quibusdam. *consularis* non muto.

10 *Scipione Norbanoque consulibus*] Mirum est in omnibus libris calamo scriptis legi, *Scipione Norbano quinto Consulibus*. nec tamen otii mihi tantum superest, ut possim scripturam illam, recta sit an corrupta, perpendere. corruptam tamen esse, pronuntio.

11 *Et inde ab Asia*] *Et inde*. hæ duæ voces absunt à veteribus libris, an sint tollendæ, nescio.

12 Et

currunt: [12] & statim Norbani fusus exercitus. statim omnes Scipionis copiæ, ostentata spe pacis, oppressæ. Tum
DCLXXI. Marius juvenis, & Carbo consules, quasi desperata victoria, [13] ne inulti perirent, in antecessum sanguine senatus sibi parentabant, obsessaque curia, sic de senatu quasi de carcere, qui jugularentur educti. Quid funerum in foro, in circo, in patentibus templis? [14] Nam Quinctus Mucius Scævola pontifex Vestales amplexus aras tantum non eodem igne sepelitur. Lamponius atque Telesinus Samnitum duces, atrocius Pyrrho & Annibale Campaniam Etruriamque populantur: & sub specie partium [15] se vindicant. Apud Sacriportum Collinamque portam debellatæ omnes hostium copiæ. Ibi Marius, hic Telesinus oppressi. Nec idem tamen cædium, [16] qui belli finis fuit. Stricti enim & in pace gladii: animadversumque in eos, qui se sponte dediderant. Minus est, quod apud Sacriportum, & apud Collinam portam septuaginta amplius millia Sulla concidit. bellum erat. Quatuor millia deditorum inermium civium in villa publica interfici jussit. [17] Isti tot in pace, non plures sunt? quis autem illos potest computare, quos in Vrbe passim, quisquis voluit,

12 *Et ibi statim*] Authoribus libris illud *ibi* jubemus exulare.

13 *Ne inulti perirent*] Ante hæc verba habet vetus liber, *antu essum*: fallor aut legendum, *antecessum*. corruptus alter Palatinus, *in accessum*, qui tamen vestigia ostendit veræ lectionis. Eleganter itaque hunc locum restituimus: *Tum Marius juvenis & Carbo consules, quasi desperata victoria, ne inulti perirent, in antecessum sanguine senatus sibi parentabant. in antecessum* loquutio familiaris huic Annæo, de qua etiam alibi meminimus dixisse. Nazar legit, *sanguinem senatus sibi parentabant.* sic alibi in eodem, *sanguinem litare.*

14 *Namque Quinctus Mucius*] Idem Nazarii liber, *nam cum Mucius Scævola.* legendum, *nam Quint. Mucius Scævola.*

15 *Se vindicant*] Alii libri, *se vindicabant.*

16 *Qui belli finis fuit*] Nazarianus & reliqui, *qui bello finis fuit.* lege, *nec idem cædi, qui bello finis fuit.*

17 *Isti tot in pace, non plures sunt*] Lege cum interrogationis nota, *Isti tot in pace non plures sunt?*

18 Ac

Digitized by Google

luit, occidit? donec admonente Furfidio, *Vivere aliquos debere, ut essent quibus imperarent*; proposita est ingens illa tabula & ex ipso Equestris ordinis flore [18] ac senatus, duo millia electi, qui mori juberentur. novi generis edictum. Piget post hæc referre, ludibrio habita fata Carbonis, fata Sorani, [19] Pletorios ac Venuleios: Bæbium sine ferro, ritu ferarum, inter manus laniatum: Marium ducis ipsius fratrem apud Catuli sepulchrum, oculis, manibus, cruribusque defossis, servatum aliquandiu, ut per singula membra moreretur. Positis singulorum hominum fere poenis, municipia Italiæ splendidissima, sub hasta venierunt, Spoletium, Interamnium, Præneste, Florentia. [20] Nam Sulmonem, vetus oppidum socium atque amicum (facinus indignum!) nondum expugnatum, ut obsides jure belli, & modo morte damnati duci jubentur: sic damnatam civitatem jussit Sulla deleri.

CAP.

18 *Ac senatus*] *Ac senatu*, non male iidem libri.

19 *Prætoris atque Venuleii*] Vitiosa admodum, nescio an plus aliquid debeam dicere, in scriptis omnibus exarata lectio, *prætorios atque Venuleios*. non temere est. nam omnes conspirant. forte, *ludibrio habita fata Carbonis, fata Sorani prætoris, atque Venulei os*. ut dicat ludibrio habitum os Venuleii. sed hoc ἀνιστόρητον. itaque alia omnia putamus.

20 *Nam Sulmonem vetus oppidum*] Qui totam hanc periodum leget, seriem eius male connexam, hiulcam & ἀσύστατον nullo negotio deprehendet; cui si ordinem suum, καὶ σύστασιν reddere voles, ita debebis scribere: *nam Sulmone (vetus oppidum socium atque amicum) facinus indignum, nondum expugnato, ut obsides iure belli & mox morte damnati duci iubentur*. partim ingenio, partim ex veteris scripturæ vestigiis hanc lectionem eruimus. *Sulmone* sane exaratum reperi in optimis membranis. & omnino ita erat excudendum.

1 Et

Digitized by Google

Cap. XXII.

Bellum Sertorianum.

DCLXXIV. BEllum Sertorianum quid aliud, quam Sullanæ pro-
ſcriptionis hæreditas fuit? hoſtile potius, an civile
dixerim, neſcio; quippe quod Luſitani Celtiberique Ro-
mano geſſerint duce. Exſul & profugus feralis illius ta-
bulæ, vir ſummæ quidem, ſed calamitoſæ virtutis, ma-
lis ſuis maria terraſque permiſcuit: [1] & jam Africæ, jam
Balearibus inſulis fortunam expertus, victuſque in Ocea-
num Fortunataſque inſulas penetravit: tandem Hiſpaniam
armavit. Viro cum viris facile convenit. Nec alias ma-
gis apparuit Hiſpani militis vigor, quam Romano duce.
Quamquam ille non contentus Hiſpania, ad Mithridatem
quoque Ponticoſque reſpexit, regemque claſſe juvit. [2] Et
quid futurum fuit? ſatis tanto hoſti uno imperatore reſiſ-
DCLXXV. tere res Romana non potuit. additus Metello Cnæus Pompe-
DCLXXVI. jus. hi copias viri prope tota Hiſpania perſequuti diu &
[3] ancipiti ſemper acie attrivere: nec tamen prius bello,
quam ſuorum ſcelere & inſidiis exſtinctus eſt. Prima per le-
gatos certamina habita, [4] quum hinc Domitius & Tho-
rius; inde Herculeii proluderent: mox his apud Segoviam,
illis

1 ET *jam Africæ, jam Balearibus inſulis*] Scribere malim, *etiam Africæ, etiam Balearibus inſulis fortunam expertus.* & verum prorſus cenſeo.

2 *Et quid futurum fuit?*] Veteres libri ita diſtinguunt, *& quid futurum fuit ſatis tanto hoſti?* ſed male alii, *& quid futurum fuit ſatis?* etiam male.

3 *Ancipiti ſemper acie dimicaverunt*] Libri, *domaverunt* aut *domuerunt.* melius. vide periodum. *copias ejus prope tota Hiſpania perſequuti, diu & ancipiti ſemper acie domaverunt.*

4 *Quum hinc Domitius, & cohortes inde Herculeii proluderent*] Florum per indicem tantum legerant, qui hanc lectionem nobis ſuppoſuerunt: Qui

illis apud Anam flumen oppressis; ipsi duces cominus invicem experti, apud Lauronem, atque Sucronem æquavere clades. Tum illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia conversis, misera inter Romanos duces Hispania discordiæ pœnas dabat: donec oppresso domestica fraude Sertorio, victo deditoque Perperna, ipsæ quoque in Romanam fidem venere urbes, Osca, [5] Termes, Tutia, Valentia, Auxima, & infame nihil non experta Calaguris. Sic recepta in pacem Hispania. Victores duces externum id magis quam civile bellum videri voluerunt, ut triumpharent.

CAP. XXIII.

Bellum civile sub Lepido.

Marco Lepido, Quincto Catulo consulibus, civile bellum pene citius oppressum est quam inciperet: sed quantum quamque late fax illius motus ab ipso Sullæ rogo exarsit! Cupidus namque rerum novarum per insolentiam Lepidus, acta tanti viri rescindere parabat: nec imme- DCLXXV.

qui cum nescio quas Hirculei cohortes apud Frontinum legissent; satis habuerunt statim illas huc introducere. jure an injuria id facerent facile securi. *Ethorius*, in omnibus veteribus habetur. legendum *& Thorius*: distinguendum, *quum hinc Domitius & Thorius, inde Herculei proluderent*. Domitius & Thorius (sive is sit Thoranius Plutarcho, Metelli legatus) *hinc*, nempe ex partibus Metelli, *inde*, ex partibus Sertorij. Hirculei sive Herculei. duos fuisse Herculeios *fratres in partibus* Sertorii, omnibus notissimum est. Plutarchus Domitium & Lusium vocat, non Thorium. *Δομίτιον δὲ*, inquit, *καὶ Λύσιον ἀνθύπατον ὄντα τῆς ἑτέρας Ἰβηρίας διὰ τοῦ ταμίου καταγωνισάμενος*, &c. Sed hic Thorius, Domitio junctus, sine dubio is est, qui, ut supra diximus, Plutarcho Thoranius. quem devicit Sertorius. verba Plutarchi, *κατὰ κράτος καὶ Θωράνιον ἄλλον ἡγεμόνα τῶν ὑπὸ Μετέλλου πεμφθέντων μετὰ δυνάμεως ἀνεῖλεν*. Sed ut hæc incerta esse possent: ita de veritate lectionis, quam exhibuimus, nullus dubitare possum.


5 *Terme, Tutia*] Lege *Termes* ex libris. Ptolomæo, *τέρμης*.

immerito, si tamen posset sine magna clade Reipublicæ. Nam quum jure belli Sulla dictator proscripsisset inimicos: qui supererant, revocante Lepido, quid aliud, quam ad bellum vocabantur? quumque damnatorum civium bona, addicente Sulla, quamvis male capta, jure tamen, repetitio eorum proculdubio labefactabat compositam civitatem. Expediebat ergo quasi ægræ sauciæque Reipublicæ requiescere quomodocunque, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur. Ergo quum turbidis concionibus, velut classico civitatem terruisset, profectus in Etruriam, arma inde & exercitum Urbi admoverat. 1 Sed jam Milvium
DCLXXVI. pontem, collemque Ianiculum Lutatius Catulus, Cnæusque Pompejus, Sullanæ dominationis duces atque signiferi, alio exercitu insederant. A quibus primo statim impetu retro pulsus, hostisque à senatu judicatus, incruenta fuga in Etruriam, inde Sardiniam recessit: ibique morbo & pœnitentia interiit. Victores, quod non temere alias in civilibus bellis, pace contenti fuerunt.

LI-

1 *Sed Milvium pontem*] Nazarianus, *Mulvium*. Milvius vulgò vocatur. *Milvius* & *Molvius* in vetustis libris non raró scriptum reperitur. Apud Ammianum etiam, *Mulvium* quodam loco legimus. Græci quoque μύλβιον. Fasti Siculi, qui nuper à summo viro Josepho Scaligero editi sunt, μυλύβιον scriptum habent, pro μύλβιον. καὶ φανερώτατα πίμπει μὲν ἐπὶ ῥώμης μαξέντιος πηγὶς εἰς τον τιβεριν ποταμὸν ει τῆι γεφύρᾳ μουλυβιου βασιλεύσας ἔτη ϛ. pluribus de hac scriptura dicemus alibi.

1 Qua



LIBER QVARTVS.

CAP. I.

Bellum Catilinarium.



Atilinam luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria consilia opprimendæ patriæ suæ compulere; Senatum confodere, Consules trucidare, distringere incendiis Vrbem, diripere ærarium, totam denique rempublicam funditus tollere, & quicquid nec Annibal videretur optasse, [1] quibus (ô nefas!) sociis aggressus est? ipse patricius; sed hoc minus est: Curii, Porcii, Sullæ, Cethegi, [2] Autronii, Varganteii atque Longini. quæ familiæ? quæ senatus insignia? Lentulus quoque [3] cum maxime prætor. hos omnes imma- DCXC.

1 *QUæ omnia quibus sociis*] Me judice, omnibus libris adstipulantibus, istæ duæ voces, *quæ omnia*, expungendæ, & ita locus concipiendus: *Senatum confodere, Consules trucidare, distringere incendiis urbem, diripere ærarium, totam denique remp. funditus tollere, & quidquid nec Hannibal videretur optasse, quibus (ô nefas!) sociis aggressus est?* non habent enim illa quo referantur, si duas illas, quas sustulimus, λέξεις suo loco manere sinas.

2 *Antonii*] *Antronii* eorundem omnium librorum consensus facit ut magis probem. Antronios habuisse illam conjurationem omnibus eruditis notum est. sed & cum Antonios etiam habuisse nemini dubium sit, fortasse legendum, *Antonii, Autronii, Varganteii*, &c.

3 *Tunc maxime*] N. *Tunc cum maxime*, ἀρχαϊκῶς, *cum maxime* autem est ὅτι μάλιστα. Glossæ, *cum maxime*, αὐθῆι.

manissimi facinoris satellites habuit. Additum est pignus conjurationis sanguis humanus: quem circumlatum pateris bibere, summum nefas, nisi amplius esset 4 propter quod biberunt. Actum erat de pulcerrimo imperio, nisi illa conjuratio in Ciceronem & Antonium consules incidisset: quorum alter iudustria rem patefecit, alter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum, 5 sed parricidii innocens. Tum Consul habito senatu, in præsentem reum peroravit: sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque ex professo *incendium suum restincturum ruina* minaretur. Et ille quidem ad præparatum à Manlio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus Urbi. Lentulus destinatum familiæ suæ Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad præstitutum à Catilina diem urbe tota viros, faces, tela disponit. Nec civili conspiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma sollicitatis, iisset ultra Alpes furor, nisi altera proditione Vulturcii, Prætoris literæ tenerentur. Statim Ciceronis imperio injecta est barbaris manus. Palam Prætor in senatu convincitur. De supplicio agentibus, Cæsar parcendum dignitati; Cato animadvertendum pro scelere censebat. Quam sententiam se-

quu-

4 *Propter quod biberunt*] Nihil mutamus. libri quidam, *biberetur.* non etiam male.

5 *Sed in patriciis innocens*] Consultius mihi, puto, fuisset, hunc locum tacite præterire quam ad scopulum offendere, quem nemo adhuc sine periculo prætervectus est. priores editiones, *parricidii innocens. ὁ μακαρίτης* Lipsius *patriciis innocens* in veteribus libris legerat; ex quo ipse divinarat, *patriciis innocentius.* Libri quos vidimus, *patriciis innocens.* In Nazariano omnium optimo correctum est, *sed patricius innocens.* legebam aliquando, *patriciis innotescens.* Vilissimum, inquit, scortum, Fulvia, sed quam patricii frequentarent: ita ut ex ea consuetudine, quam cum illa patricii & nobiles habebant, etiam de coniuratione, quam illi moliebantur, audiverit & indicaverit. an aliud aliquid lateat nescio. mihi sane non placet, *patriciis innocentius*, & quidquid aliis placuit comminisci.

6 Quem

quutis omnibus, in carcere parricidæ strangulantur. Quamvis parte conjurationis oppressa, tamen ab incepto Catilina non destitit: sed infestis ab Etruria signis patriam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Quam atro- DCXCI.
citer dimicatum sit, exitus docuit. nemo hostium bello superfuit. [6] quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe à suis inter hostium cadavera repertus est; pulcerrima morte, si pro patria sic concidisset.

CAP. II.

Bellum Cæsaris & Pompeii.

JAm pene toto orbe pacato, majus erat imperium Roma- DCCIV.
num, quam ut ullis [1] externis viribus opprimi posset. Itaque invidens fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armavit. ac Mariana quidem Cinnanaque rabies [2] intra Vrbem præluserat, quasi experiretur. Syllana tempestas latius, intra Italiam tamen, detonuerat. Cæsaris furor atque Pompeii Vrbem, Italiam, gentes, nationes, totum denique qua patebat imperium, quodam quasi diluvio & inflammatione corripuit: adeo ut non recte tantum *civile* dicatur; ac ne *sociale* quidem; sed nec ex-

6 *Quem quis in pugnando*] Palatinus, *quisque*: quodque etiam illæ editiones retinebant, quæ Vinetianam præcesserunt. *quis* tamen libri meliores agnoscunt.

1 *Externis viribus extingui posset*] Libri omnes, *opprimi*.
2 *Intra urbem se præcluserat*] Nihil verius est hac lectione quam pridem excogitaverat vir summus Gruterus noster, *præluserat*. ita omnino scripsit Annæus. *Cinnanaque rabies intra urbem præluserat, quasi experiretur.* experiri, præludere, tentare, verba sunt τῶν ὀρχηστικῶν, αὐλητικῶν aut κιθαρῳδικῶν, à quibus metaphora ducta est. Carent libri veteres pronomine *se*: *præcluserat* tamen retinent. pro quo, *præluserat*, verum est.

externum: ſed potius *commune quoddam* [3] *ex omnibus*, *&* *plus quam bellum*. Quippe ſi duces ejus inſpicias; totus ſenatus in partibus. ſi exercitus; hinc undecim legiones, inde decem & octo, flos omnis & robur Italici ſanguinis. ſi auxilia ſociorum; hinc Gallici Germanique delectus: inde Deiotarus, Ariobarzanes, [4] Tarchondimotus, Cothys, omne Thraciæ Cappadociæque, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Ætoliæ, totiuſque robur Orientis. ſi moram belli; quatuor anni, & pro clade rerum breve tempus. ſi locum & ſpacium ubi commiſſum eſt, intra Italiam: inde ſe in Galliam Hiſpaniamque deflexit: reverſumque ab occaſu totis viribus in Epiro Theſſaliaque conſedit: hinc in Ægyptum ſubito tranſiliit: [5] inde reſpexit Aſiam: inde Africæ incubuit: poſtremo [6] in Hiſpaniam regyravit, & ibi aliquando defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim prius quievere, quam in Urbe ipſa, medio ſenatu, eorum qui victi erant odia victoris ſeſe cæde ſatiarent. [7] Cauſſa tantæ calamitatis eadem quæ omnium nimia felici-

3 *Ex omnibus*, *&* *pluſquam bellum*] Palatinus vetus, *ex omnibus gentibus & pluſquam civile bellum*. *Gentibus* illud falſum eſt, *civile* poſſet locum habere, niſi ἐμφυλιώτερον eſſet, *& pluſquam bellum*.

4 *Tarcondi motus*] Libri veteres in hac parte corruptiſſimi, quorum nullum ſatis ſincerum vidi. pro *Cothius*, aut *Corinthus*, aut *Caintus* exhibent. & *omnes* aut *omnis Thraciæ*. ut & paulo poſt, *Italiæ*, non *Aetoliæ*. mendoſiſſime.

5 *Inde reſpexit Aſiam*, *inde Africæ incubuit*] Lege, *inde reſpexit Aſiam*, *Africæ incubuit*: *poſtremo* &c.

6 *In Hiſpaniam remigravit*] Semper nobis aliquid exhibent, quod agamus, correctores. qui, ſi ſanam haberent mentem, jam dudum ſtudia noſtra refrixiſſent. cur illi mutarunt *regiravit* in *remigravit*? ſequuti ſunt ſcilicet iudicium ſuum: nos noſtrum ſequemur in reſtituenda voce, quam temere ejecerant. *regiravit* igitur reponimus. *regirare* eſt περικάμψαι. ſupra dixit, *deflectere*. *In Galliam Hiſpaniamque deflexit*, περικάμψας. Gloſſæ: *regirare*, περικάμψαι. perperam vulgo legitur *revitare*, cui non convenit expoſitio περικάμψαι. Quidam Codices corruptius, *regnavit*.

7 *Cauſa tantæ calamitatis*] Merito non probamus veterum excuſorum lectio-

licitas. Siquidem Quincto Metello, Lucio Afranio consulibus, quum Romana majestas toto orbe polleret, recentesque victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompejanis theatris Roma cantaret, nimia Pompeji potentia apud ociosos, ut solet, cives movit invidiam. Metellus ob imminutum Cretæ triumphum; Cato adversus potentes semper obliquus, detrectare Pompejum, actisque ejus obstrepere. Hinc dolor transversum egit: & ad præsidia dignitati paranda impulit. Forte tunc Crassus genere, divitiis, dignitate florebat: vellet tamen [8] auctiores opes: Cajus Cæsar eloquentia, & spiritu, [9] ecce jam & consulatu allevabatur: Pompejus tamen super utrumque eminebat. Sic igitur Cæsare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompejo retinere cupientibus, omnibusque pariter potentiæ cupidis, de invadenda Republica facile convenit. Ergo quum mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Cæsar invadit, Crassus Asiam, Pompejus Hispaniam: tres maximos exercitus: & sic orbis imperium societate trium principum occupatur. Decem annos traxit ista dominatio. Exinde, quoniam mutuo metu tenebantur, Crassi morte apud Parthos, & morte Juliæ Cæsaris filiæ, quæ nupta Pompejo, generi socerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. Jam Pompejo suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompejana dignitas gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. [10] Nefas! sic de principatu laborabant, tanquam duos [11] tan-

DCXCIII. (margin, at "consulibus")
DCC. (margin, at "morte Juliæ")
DCXCIX. (margin, at "generi socerique")

lectionem, *necessitatis*. Nazarianus hic liber legit, *causa tantæ calamitatis, eademque omnium felicitas*. cujus authoritas etsi apud me magna est, tantum tamen non potest permovere, ut *nimia* expellam, quod maxime mihi retinendum videtur.

8 *Auctiores opes*] *Altiores*, duo Palatini veteres. minus recte.

9 *Et jam consulatu allevabatur*] Repono, *ecce jam & consulatu allevabatur*, ex veteribus libris.

10 *Nefas*] *O nefas*. & sic sæpe.

11 Tan-

[11] tanti imperii fortuna non caperet. Ergo Lentulo Marcelloque consulibus, rupta prima conjurationis fide, de successione Cæsaris [12] senatus, id est Pompejus, agitabat: nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitiis haberetur. Consulatus absenti, quem decem [13] tribuni favente Pompejo, nuper decreverant, tum dissimulante eodem negabatur. *Veniret, & peteret majorum more.* ille contra flagitare decreta: ac *nisi in fide permanerent, non se remittere exercitum.* Ergo ut in hostem decernitur. His Cæsar agitatus, statuit præmia armorum armis defendere. Prima civilis belli arena Italia fuit; cujus arces levibus præsidiis Pompejus insederat: sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt. Prima Arimini signa cecinerunt. [14] tum pulsus Etruria Libo, Umbria Thermus, Domitius Corfinio. Et peractum erat bellum sine sanguine, si Pompejum Brundisii opprimere potuisset, ut cœperat. sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit. Turpe dictu! modo princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum à se mare lacera & pene inermi nave fugiebat. Nec Pompejus ab Italia, quam senatus ab Urbe, fugatur prior. quam pene

11 *Tanta imperii fortuna*] Legendum puto, *tanti imperii fortuna*, quod nemo non verius esse dixerit, quam illud, *tanta*.

12 *Senatus, idemque Pompejus*] Scripturarum varietas, quam in veteribus deprehendimus, fecit ut verum conjectaremus. Palatinus, *Senatus idem Pompejus*. alter, *Senatus & Pompejus*. legendum vero ajo, *Senatus, id est Pompejus*. nihil pote elegantius. notissimum est, Pompejum ad arbitrium senatum ductasse, & senatum in partibus Pompeji fuisse. recte igitur, *Senatus, id est Pompejus*. qui non capiet hujus lectionis argutiam & elegantiam, valde rusticus fuerit & ἀμαθὴς. quam crebro *idem*, in *id est*, corruptum occurrat, in editis libris, nemo nescit.

13 *Tribuni plebis*] Nazarianus & duo Palatini, *decem tribus*. nescio unde, in re adeo nota. nam tribunos decrevisse Cæsari consulatum absenti, quis ignorat? at de tribubus quid id erit? nihil certe: quod aperte vitiosum est.

14 *Tum pulsus*] *Depulsus*, quidam. nihil movendum. mox, *& peractum erat*

Digitized by Google

pene vacuam metu Cæſar ingreſſus, conſulem ſe ipſe facit. Ærarium quoque ſanctum, [15] quia tardius aperiebant Tribuni, juſſit effringi: cenſumque & patrimonium populi Romani ante rapuit, quam imperium. Pulſo fugatoque Pompejo, maluit prius ordinare provincias, quam ipſum ſequi. Siciliam & Sardiniam, annonæ pignora, [16] per legatos habet. Nihil hoſtile erat in Gallia: pacem ipſe fecerat. ſed ad Hiſpanienſes Pompeji exercitus tranſeunti per eam duci portas claudere auſa Maſſilia eſt. Miſera, dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit: ſed quia tutis muris erat, vinci eam ſibi juſſit abſenti. Græcula civitas, non pro mollitie nominis, [17] & vallum rumpere, & incendere machinas auſa, & congredi navibus: ſed Brutus, cui mandatum erat bellum, victos terra marique perdomuit. Mox dedentibus ſeſe ablata omnia, præter, quam potiorem omnibus habebant, libertatem. Anceps, variumque, [18] & cruentum in Hiſpania bellum cum legatis Cnæi Pompeji Petreio & Afranio: quos Ilerdæ caſtra habentes, apud Sicorim amnem obſidere, & ab oppido intercludere aggreditur. Interim [19] abundatione verni fluminis commeatibus prohi-

erat ſine ſanguine. nam vox *bellum* abeſt veteri Palatino. quod etiam malim. nam ita noſter loquitur.

15 *Quia tardius*] Omnes libri, *quod quia tardius.* puto alterutrum verum eſſe. vel *quod tardius aperiebant.* vel *quia.* nam idem, &c.

16 *Per legatos habuit*] Reſtituo, authoribus libris, *habet.* utitur ſæpe præſentibus Florus loco τῶν μελλόντων, aut præteritorum. quod elegantiæ eſt. exempla autem proferre, quæ quivis poteſt in promptu habere, hunc authorem legendo, facile mitto.

17 *Et vallum cædere*] *Vallum rumpere*, flos librorum ſcriptorum Nazarianus habet. utrumque ſane dicitur, & *vallum cædere*, & *rumpere.* nec in unius gratiam alterum ejiciendum cenſeo.

18 *Et cruentum in Hiſpania bellum*] Vetus editio *incruentum*, quod cognovimus indicio Clariſſimi Jani Gruteri. & hoc confirmant quidam ſcripti Codices. quod tamen verum poteſt eſſe, niſi *incruentum* idem ſit, quod valde cruentum, ut *incanum*, *incurvum*, & ſimilia.

19 *Obundatione verni fluminis*] Melius, *abundatione*, ex Nazarii Codice. *abun-*

Digitized by Google

probibetur. sic fame castra tentata sunt: obsessorque ipse quasi obsidebatur. sed ubi pax fluminis rediit, populationibus & pugnæ campos aperuit, iterum ferox instat, & cedentes ad Celtiberiam consequutus, aggere & vallo, ac per hæc siti ad deditionem compulit. Sic citerior Hispania recepta est; nec ulterior moram fecit. quid enim una post quinque legiones? Itaque ultro cedente Varrone, Gades, fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur. Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est
DCCV. circa Illyricum & Africam, quasi de industria, ut prospera ejus adversis radiarentur. Quippe quum fauces Adriatici maris jussi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, [20] hic Curictico litore castra posuissent; jam maria late tenente Pompeio, repente legatus ejus Octavius Libo ingentibus copiis classicorum circumvenit utrumque. Deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque [21] à Basilo in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat, nova Pompeianorum arte Cilicum, iactis sub mare funibus captæ quasi per indaginem. Duas tamen æstus explicuit. una, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exemplum dedit. Quippe vix mille juvenum ma-

abundare flumina dicuntur, cum supra ripas exeunt & campos inundant. Virgilius: -- *incertis cum mensibus amnis abundans*. recte igitur heic *abundatione fluminis*. non hinc longe legimus: *sed ubi pax flumini rediit, populationibus & pugnæ campos aperuit*. perperam vulgo excusum, *pugna*.

20 *Hic Corcyræo littore*] Hic possimus producere variantium lectionum agmen, quibus omissis veram proferemus; quæ est, *Curictico* vel *Curictio*. Quam cum etiam visus sit agnovisse ex suis libris Vinetus, tanquam ignotam præteriit satis imprudenter, cum falsissima sit ea, quæ vulgata est. Quidam *Curetico*, alii *Cretico*. omnes mendose. *Curicticum litus* aut *Curictium*, à *Curicta*, quæ in faucibus Adriæ maris sita est. Ptolemæo, [illegible]. Ab ea igitur *Curicticum litus* hoc loco reponendum est, & *Corcyræum* ablegandum.

21 *A Basilo*] Nazarianus, *à Blasio*, corrupte. reliqui, *Basilio* aut *Basylio*. *Basilus* aliis dicitur, rectius.

22 Ipse

manus, circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit. & quum exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vulteio, mutuis ictibus [22] in se concucurrit. In Africa quoque par & virtus & calamitas Curionis fuit: qui ad recipiendam provinciam missus, pulso fugatoque Varo jam superbus, subitum Iubæ regis adventum, equitatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga, sed pudor suasit, ut amissum sua temeritate exercitum morte sequeretur. [23] Sed jam debitum par fortuna flagitante, sedem bello Pompeius DCCV.
Epiron elegerat. nec Cæsar moratur. quippe ordinatis à tergo omnibus, quamvis hiems media prohiberet, tempestate ad bellum navigavit. positisque ad Oricum castris, quum pars exercitus ob inopiam navium cum Antonio relicta, Brundisii moram faceret; adeo impatiens erat, ut ad arcessendos eos, ardente ventis mari, nocte concubia, speculatorio navigio, solus ire tentaverit. Extat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem vox ipsius: *Quid times? Cæsarem vehis.* [24] Contractis in unum omnibus undique copiis, positisque cominus castris, diversa erant du- DCCV.
cum consilia. Cæsar pro natura ferox, & conficiendæ rei cupidus, ostentare aciem, provocare, lacessere; nunc obsidione

22 *In se concurrit*] Legendum *concucurrit*, ἀρχαϊκῶς ex vetustissimo Nazariano. Cato contra Pisonem: *video hac tempestate concucurrisse omnes adversarios.* sic *excucurrit* Cæsari; *præcucurri* Comico, & alia; vide Priscianum libr. x.

23 *Sed jam debitum par fortuna flagitante*] Lego, *sed jam debitum pari fortuna flagitante.* & paulo post, *nec Cæsar moratur.* ita libri. *extat ad trepidum.* Nazarianus liber; *extat trepidum*, & supra ἀπὸ παλαιᾶς χειρὸς, *excitat trepidum.* male. Pal. autem vetus amplius legit; *ad gubernatorem Amiclatem.* ita, nisi fallor, etiam Lucano vocatur, & aliis, sed *Amiclas Amiclantis.* igitur *Amiclantem*, non *Amiclatem* legendum esset.

24 *Contractis in unum undique copiis*] Ita veterem editionem præferre, vir clariss. scribit. scripti vero, *contractis in unum undique omnibus copiis* quod non erat meo quidem judicio movendum.

ſidione caſtrorum, quæ ſedecim millium vallo obduxerat:
(ſed quid his obeſſet obſidio, qui patente mari omnibus
copiis abundarent?) nunc oppugnatione Dyrrhachii irrita;
(quippe quam vel ſitus inexpugnabilem faceret.) ad hoc
aſſiduis [25] in eruptione hoſtium prœliis; (quo tempore
egregia virtus Scævæ centurionis enituit, cujus in ſcuto
[26] centum atque viginti tela ſedere.) jam vero direptione
urbium ſociarum, quum Oricum & Gomphos, [27] & alia
caſtella Theſſaliæ vaſtaret. Pompeius adverſus hæc nectere
moras, tergiverſari, ſimul ut hoſtem interclufum undique
inopia commeatuum tereret, utque ardentiſſimi ducis con-
ſeneſceret impetus. Nec diutius profuit duci ſalutare con-
ſilium. miles ocium, ſocii moram, principes ambitum
ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis, prœlio ſump-
ta eſt Theſſalia & Philippicis campis Urbis, imperii, id
eſt, generis humani fata commiſſa ſunt. Nunquam uno lo-
co [28] tantum virium populi Romani, tantum dignitatis for-
tuna vidit, trecenta amplius millia [29] hinc illinc præter au-
DCCV. xilia regum & ſociorum. Nunquam imminentis ruinæ ma-
nifeſtiora prodigia: fuga victimarum; examina in ſignis;
inter-

25 *In. eruptionem hoſtium prœliis*] Sine dubio melius legeris, *ad hoc aſſiduis in eruptione hoſtium prœliis.*

26 *Centum atque quadraginta*] Ita vetera habent excuſa, quibus non obſequimur, hoc quidem in loco. quantum eſt manu exaratorum librorum, *centum atque viginti* retinent, etſi varient authores. hunc tamen habent numerum Valerius, Suetonius, Appianus, aliique. in Cæſare, *centum & triginta.* & propius abeſt. pro *in ſcuto*, legimus, *in ſcutum ſedere*, authoritate optimi libri.

27 *Et alia caſtella Theſſaliæ vaſtaret*] *Vaſtarent*, Nazarianus.

28 *Tantum virium populus Romanus*] Legendum, *populi Romani. numquam uno loco tantum virium populi Romani, tantum dignitatis fortuna vidit.* ita clarum eſt, ut putidum ſit multis probare. mirum tamen hactenus fugiſſe tot homines doctos. ſic leves mendæ, ut exiguæ maculæ, plerumque properantium oculos fallunt.

29 *Hinc & illinc*] Optimus liber, *hinc belli illinc.* facile eſt videre legendum, *hinc vel illinc.* quod poſtea reperi in altero veteri Palatino.

30 *Apud*

Digitized by Google

interdiu tenebræ; dux ipse & nocturna imagine theatri sui audiens plausum in modum planctus circumsonare; & mane cum pullo (nefas!) [30] apud principia conspectus. Nunquam acrior neque alacrior exercitus Cæsaris fuit. Inde classica prius, inde tela. Annotatum quoque committentis aciem Crastini pilum: qui mox adacto in os gladio, sic [31] inter cadavera repertus, libidinem ac rabiem qua pugnaverat, ipsa novitate vulneris præferebat. Sed nec minus admirabilior illius exitus belli. Quippe quum Pompeius adeo [32] equitum copia abundaret, ut facile circumventurus sibi Cæsarem videretur; circumventus ipse est. Nam quum diu æquo Marte contenderent, jussuque Pompeii fusus à cornu erupisset equitatus; repente hinc signo dato, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, ut illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc stragem fugientis equitatus levis armaturæ ruina comitata est. Tunc terrore latius dato, turbantibus invicem copiis, reliqua strages quasi una manu facta est. nec ulla res magis exitio fuit, quam ipsa exercitus magnitudo. Multus in eo prœlio Cæsar fuit, mediusque inter Imperatorem & militem,

30 *Apud principia conspectus est*] Legimus, *conspectus*, atque *est* delevimus. totum locum ita constituimus: *numquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia, fuga victimarum, examina in signis, interdiu tenebræ, dux ipse & nocturna imagine theatri sui audiens plausum in modum planctus circumsonantem, & mane cum pullo, nefas, apud principia conspectus.* locum integrum adscribere voluimus, ut appareret quomodo legendum eum & distinguendum putem. quin recte nunc ita sit, ut posuimus, dubitaverit nemo, illa omnia erant prodigia, quæ ordine enumerat, fugientes victimas, apum examina in signis, tenebras medio die, ducem ipsum audientem planctus in theatro suo, & mane in pullo apud principia conspectum. Hac igitur distinctione locus hic opus habebat.

31 *Inter cadavera repertus*] Alter Palatinus, *inter cadavera repens.* quod etsi contentiosus aliquis posset defendere, nos, uno verbo, non probamus.

32 *Equitum copia*] *Equitatuum*, quidam veteres: quod sequatur qui volet, nos vulgatam intactam relinquimus.

Digitized by Google

militem. Voces quoque obequitantis exceptæ, altera cruenta, sed docta, & ad victoriam efficax; *Miles, faciem feri:* altera ad jactationem composita; *Parce civibus:* quum ipse sequeretur. Felicem utcunque in malis Pompeium, si eadem ipsum, quæ exercitum ejus fortuna traxisset! Superstes dignitatis suæ vixit, ut, cum majore dedecore per Thessalica Tempe equo fugeret, 33 una navicula Lesbon applicaretur: 34 pulsus Syedris in deserto Ciliciæ scopulo fugam in Parthos, Africam vel Ægyptum agitaret: ut denique in 35 Pelusio littore, imperio vilissimi regis, consiliis spadonum, &, ne quid malis desit, Septimii desertoris sui
DCCVI. gladio trucidatus, sub oculis uxoris suæ liberorumque morere-

33 *Ut una navicula*] Palatinus alter, *cum una navicula*. Sed nihil necesse illud *cum* addere, quod facile potest abesse. Plutarchus de eadem re, ἐπὶ νεὼς μιᾶς καὶ ἀλλοτρίας.

34 *Pulsus Hedris in deserto Ciliciæ scopulo*] Hic scopulus fuit omnium eruditorum, qui ad Annæum emendandum accesserunt. Quis enim non conatus est aliquid elicere ex hac veteri scriptura, pro qua nescio quæ monstra vetustiores critici nobis obtruserant? & tamen nemo hactenus fecit quod voluit. Videant vero quid nos profecerimus. Libri, quos nobis videre licuit, habent: *Hedris*. Sic & Vinetiani. Emendandum contendo: *pulsus Syedris deserto Ciliciæ scopulo:* levi mutatione. Primum *S* mutuati sumus ex fine præcedentis vocis. Deinde aspirationem mutavimus in y, quæ in illam temere degeneraverat. *Syedris* igitur vera lectio. *Syedra* Ptolemæus inter παραλίας Ciliciæ recenset. Stephanus noster πόλιν ἰσαυρίας vocat. Isauria autem & Trachea Cilicia sæpius confunduntur. Lucanus de eadem fuga Pompeii loquens lib. VIII.

Ad profugum collecta ducem parvisque Synedris.

Multos vidimus scriptos codices, in quibus eam lectionem reperimus. Correctores, brutum genus, *Celendris* reposuerunt, pro *Synedris*. Aptissime vero. Quorum stuporem quibus verbis possum satis castigare? *Celendris, Celendridos*, vel *Celenderis*, ut apud alios legitur, urbs Ciliciæ, sed minime παραλία. At illi κέλενδρα κελένδρων dici putaverunt, cum sit κελενδρίς. Quid multis argutamur? In Lucano legendum, *Siedris*. ita una eademque manu insignem maculam sustulimus ex duobus optimis authoribus.

35 *Pelusiaco littore*] *Pelusio littore* in optimo libro. *Pelusium litus* πηλουσία ἀκτή. nam πηλούσιος & πηλουσιακὸς sunt ἐθνικά.

36 *In-*

reretur. Quis non peractum esse cum Pompeio crederet bellum? atqui acrius multo atque vehementius Thessalici incendii cineres recaluere. Et in Ægypto quidem adversus Cæsarem sine partibus bellum. Quippe qùum Ptolemæus rex Alexandriæ, summum civilis belli scelus peregisset, fœdusque amicitiæ cum Cæsare, medio Pompeii capite sanxisset; ultionem tanti viri Manibus quærente fortuna; causa non defuit. Cleopatra regis soror affusa Cæsaris genibus, partem regni reposcebat. Aderat puellæ forma, & quæ duplicaretur ex illo, quod talis passa videbatur injuriam. odium ipsius regis, qui Pompeii cædem, partium fato, non Cæsari dederat; haud dubie idem in ipsum ausurus, si expedisset. Quam ubi Cæsar restitui jussit in regnum, statim ab eisdem percussoribus Pompeii obsessus in DCCVI.
regia, quamvis exigua manu, ingentis exercitus molem mira virtute sustinuit. Ac primum ædificiorum proximorum, atque navalium incendio, infestorum hostium tela submovit: mox in peninsulam Pharon subitus evasit:[36] inde depulsus in maria, mira felicitate ad proximam classem enatavit: relicto quidem in fluctibus paludamento, seu fato, seu consilio, ut illud ingruentibus hostium telis saxisque peteretur. Tandem receptus à classicis suis, undique simul hostes adortus, [37] de imbelli ac perfida gente, justa generi Manibus dedit. quippe & [38] Theodotus magister, auctorque totius belli, & ne virilia quidem portenta Pothinus atque Ganymedes, diversa per

36 *Inde depulsus in maria*] Palatinus alter, *delapsus in maria*, non tam recte.

37 *Debellata perfida gente*] Restitue veterem lectionem: *de imbelli ac perfida gente justa generi manibus dedit.* Excusam, quam vulgo vetustiorem, sed falso crediderunt, recentes tantum & deterioris notæ codices exhibebant. In optimo libro igitur: *dein belli ac perfida gente*, manifestis veræ lectionis vestigiis.

38 *Theodotus magister*] *Magistrum* vocat quem Plutarchus ἐπὶ μισθῷ ῥητορικῶν λόγων διδάσκαλον ἀποδεδειγμένον.

39 Et

per mare & terras fuga & morte consumpti. Regis ipsius corpus obrutum limo repertum est in aureæ loricæ honore. In Asia quoque novus rerum motus à Ponto: plane quasi de industria captante fortuna hunc Mithridatico regno exitum, ut à Pompejo pater, à Cæsare filius vinceretur. Rex Pharnaces magis discordiæ nostræ fiducia, quam virtutis suæ, infesto in Cappadociam agmine ruebat: sed hunc Cæsar aggressus, uno, &, ut sic dixerim, non toto prælio, obtrivit; more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit. Nec vana de se prædicatio est Cæsaris: *ante victum hostem esse, quam visum.* Sic cum exteris. at in Africa
DCCVII. cum civibus multo atrocius, quam in Pharsalia. Huc reliquias partium naufragarum quidam furoris æstus expulerat: nec reliquias diceres, sed integrum bellum. Sparsæ magis, quam oppressæ vires erant. Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatoris: nec degenerabat ducum successio. quippe satis ample sonabant in Pompeiani nominis locum Cato & Scipio. Accessit copiis Mauritaniæ rex Iuba, videlicet ut latius vinceret Cæsar. Nihil ergo inter Pharsaliam, & Thapson, nisi quod amplior eo acriorque Cæsarianorum impetus fuit, indignantium post Pompeium crevisse bellum. Denique, quod alias nunquam ante imperium ducis, sua sponte signa cecinerunt. Strages à Iuba cœpit. ejus elephanti bellorum rudes, & nuperi à silva, consternati subito clangore. statim & exercitus in fugam, 39 nec duces fortius quam ut fugerent, non inconspicua tamen morte omnium. Iam Scipio nave fugiebat: sed assequutis eum hostibus, gladium per viscera exegit: & *ubi esset* quodam requirente, res-

39 *Et duces fortius, quam ut fugerent*] Manifesto ponenda negatio & legendum: *nec duces fortius quam ut fugerent.* Quod ex sequentibus ita liquido patet, ut valde mirum putem tam multos hunc locum legisse, nec aliter intellexisse. Neminem tamen culpo, sed quid sentiam dico.

40 *Su-*

respondit hoc ipsum; *Bene se habet imperator.* Iuba quum se recepisset in regiam, magnifice epulatus est postero die cum Petreio fugæ comite, [40] superque mensas & pocula interficiendum se ei præbuit. ille & regi suffecit & sibi: quum interim semesi in medio cibi, & parentalia fercula regio simul Romanoque sanguine madebant. Cato non interfuit bello: positisque apud Bagradam castris, Uticam, velut altera Africæ claustra, servabat. Sed accepta partium clade, nihil cunctatus, ut sapiente dignum erat, mortem etiam lætus accivit. Nam postquam filium comitesque ab amplexu dimisit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet, paullulum quievit. tum circa primam vigiliam stricto gladio revelatum manu pectus semel iterumque percussit. Ausi post hoc virum medici violare fomentis. ille passus dum abscederent, rescidit plagas: sequutaque vis sanguinis moribundas manus in ipso vulnere reliquit. Quasi non esset usquam dimicatum, sic arma rursus & partes. quantoque Africa supra Thessaliam, tanto Africam superabat Hispania. DCCVIII.
[41] Plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum, & pro uno duos stare Pompeios. Itaque nusquam atrocius, nec tam ancipiti Marte concursum est. Primum in ipso ostio Oceani Varus Didiusque legati conflixere: sed acrius fuit cum ipso mari, quam inter se navibus bellum. siquidem velut [42] furorem civicum castigaret Oceanus,

40 *Super mensas & pocula*] Veteres, *superque mensas & pocula.*

41 *Plurimumque favoris*] Priusquam vidissem scriptos codices, particulam *que* tollebam, quæ nihil hic facere videbatur. Sed illi aliter me expedierunt, in quibus legitur: *plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum.* Omnino recte. Hellenismus, *plurimum quantum*, πλεῖστον ὅσον. Sic *nimium quantum*, *mirum quantum*, *immane quantum*, & similia apud alios usurpata. In altero Palatino, *plurimum quidem*, legitur, sed standum putamus illis, quæ nobis ἀνεπίληπτα videntur.

42 *Furorem civium*] Puto legendum, *furorem civicum.*

nus, utramque classem naufragio cecidit. Quinam ille horror, quum eodem tempore fluctus, procellæ, viri, naves, armamenta confligerent? adde situs ipsius formidinem; vergentia in unum, hinc Hispaniæ, inde Mauritaniæ litora; mare & intestinum, & externum; imminentesque Herculis speculas; quum omnia undique simul prœlio, & tempestate sævirent. Mox circa obsidiones urbium utrimque discursum est: quæ miseræ inter hos atque illos duces societatis Romanæ pœnas dabant. Omnium [43] postrema certaminum Munda. hic non pro cætera felicitate, sed anceps, & diu triste prœlium: ut plane videretur nescio quid deliberare fortuna. Sane & ipse ante aciem mœstior non ex more Cæsar; sive [44] respectu fragilitatis humanæ, sive nimiam prosperorum suspectam habens continuationem; vel eadem timens, postquam idem esse cœperat quod Pompeius. Sed in ipso prœlio, quod nemo unquam meminerat, quum diu pari Marte acies nihil aliud quam occiderent, in medio ardore pugnantium subito ingens inter utrosque silentium, quasi convenisset. hic omnium sensus erat. Novissime illud invisitatum Cæsaris oculis nefas, post quatuordecim annos probata veteranorum manus [45] gradum retro dedit. quod etsi nondum fugerat, apparebat tamen [46] pudore magis, quam virtute resistere. Itaque ablegato equo,

43 *Postrema certaminum Munda*] *Numidia* in quibusdam libris veteri manu correctum est.

44 *Respectu fragilitatis humanæ*] *Respectus* in Nazariano quem optimum voco. in altero palat. *respectum*, parum recte. sequitur in eodem Palatino, *nimiam prosperorum suspectam habens conjurationem.* quod etsi verum esse non affirmarim, non ineleganter tamen dictum putem. quasi prospera ita ἀθρόως ad Cæsarem confluentia quodammodo coniurasse viderentur. sed nihil mutandum putamus, cum proba sit edita scriptura, & in plurimis reperiatur libris.

45 *Gradum retro dedit*] Quidam, *gradum retro fecit*, non male. gradum facere ut pedem facere. — *una omnes fecere pedem.*

46 *Pudore magis quam virtute resistere*]. Nescio an elegantius optimus liber:

equo, ſimilis furenti, [47] primam in aciem procurrit. Ibi prenſare fugientes, confirmare; per totum denique agmen oculis, manibus, clamore volitare. Dicitur in illa perturbatione & [48] de extremis agitaſſe ſecum, & ita manifeſto vultu prætuliſſe, quaſi occupare manu mortem vellet; niſi cohortes hoſtium quinque per tranſverſam aciem actæ, quas Labienus periclitantibus caſtris ſubſidio miſerat, fugæ ſpeciem præbuiſſent. hoc aut ipſe credidit, aut dux callidus arripuit in occaſionem: & quaſi in fugientes invectus, ſimul & ſuorum erexit animos, [49] & hoſtis perculit. nam hi dum ſe putant vincere, fortius ſequi; Pompeiani dum fugere credunt ſuos, fugere cœperunt. Quanta fuerit hoſtium cædes, ira, rabieſque victoribus, ſic æſtimari poteſt. Hoc à prœlio profugi quum ſe [50] Mundam recepiſſent, & Cæſar obſideri ſtatim victos imperaſſet, [51] congeſtis cadaveribus agger effectus eſt, quæ pilis jaculiſque confixa inter ſe tenebantur. fœdum etiam inter barbaros! Sed videlicet victoriam deſperantibus Pompeii liberis, Cnæum prœlio profugum, crure ſaucio deſerta & avia petentem, [52] Ceſonius apud Lauronem oppidum conſequutus, pugnantem ([53] adeo

liber: *Apparebat tamen magis pudorem reſiſtere quam virtutem.* Paulo ſupra, *quod etſi nondum fugerat.* alter Palatinus, *quod ſi nondum fugerat,* nec prorſus male.

47 *Primam in aciem procurrit*] *Procucurrit,* diximus ſupra: ſic *concucurrit:* & vide quæ ad illum locum notamus.

48 *De extremis agitaſſe ſecum*] *Cogitaſſe* alter Palatinus. excuſam præferimus.

49 *Et hoſtes perculit*] *Et hoſtis perculit* legimus, nempe hoſtis animos. Hoc modo, *& quaſi in fugientes invectus, & ſuorum erexit animos, & hoſtis perculit.* quod planum eſt. ſcripti libri cum veteri editione, quam contulit clariſſimus vir I. Gruerus, *hoſtis* habent, & id ſequimur.

50 *Munda recepiſſent*] *Mundam recepiſſent.* ita lege.

51 *Ex cognitis cadaveribus*] Illud *ex* expungendum. *congeſtis cadaveribus agger effectus eſt.* ex Nazariano.

52 *Cenonius apud Lauronem*] *Ceſonius* in omnibus libris: etiam [illegible], ut jam alii monuere. de quo nos alias viderimus.

([53] adeo nondum desperabat) interfecit. Sextum fortuna in Celtiberiam interim abscondit; aliisque post Cæsarem bellis reservavit. Cæsar in patriam victor invehitur. Primum
DCCVII. de Gallia triumphum transmiserat Rhenus, & Rhodanus, & ex auro captivus Oceanus: [54] altera laurus Ægyptia. tunc in ferculis Nilus, Arsinoë, & ad simulacrum ignium ardens
DCCVIII. Pharus. [55] Tertius de Pharnace currus, & Ponto. Quartus Iubam & Mauros, [56] & bis subactam ostendebat Hispaniam. Pharsalia, & Thapsos, & Munda nusquam, & quanto majora erant, de quibus non triumphabat! Hic aliquando finis armis fuit. reliqua pax incruenta: pensatumque clementia bellum. Nemo cæsus imperio præter Afranium. satis ignoverat semel. & Faustum Syllam. [57] didicerat generos timere. filiamque Pompeii cum patruelibus ex Sylla. hic

53 *Adeo non desperaverat*] Lego, *adeo nondum desperabat*, sic enim omnes libri. iidem, *interficit*, non *interfecit*.

54 *Alterum laurus Aegyptia*] Omnino legendum: *altera Laurus Aegyptia*. Laurus enim non potest dici transmittere triumphum. Nam ita potius scribendum fuisset, *primum de Gallia triumphum transmiserat Rhenus & Rhodanus & ex auro captivus Oceanus, alterum Aegyptus*. sed nihil verius, quam ita corrigendum, ut diximus: *Altera laurus Aegyptia*. Quod idem est ac alter triumphus Aegyptius aut ex Aegypto. Qui poterunt excusare absurdum editæ lectionis, illis nostram damnare per nos liceat.

55 *Tertius de Pharnace currus*] *Triumphus, laurus, currus*, pro eodem, quæ elegantissime variavit elegantissimus hic scriptor. Quare male in quibusdam scriptis libris legitur: *Tertius de Pharnacis curru*. Quam scripturam si in suis offendissent, nescio qui homines sine dubio aliquid commenti essent de curru Pharnacis, quo nobis persuaderent verum illud esse quod in libris vetustis reperissent.

56 *Et bis subactam ostendebat*] Uterque Palatinus: *& hic bis subactam*. quæ lectio non potest locum habere, nisi legas, *quartus de Juba & Mauris, & hic bis subactam ostendebat Hispaniam*. quod nobis diu placuit, nunc aliud videtur.

57 *Didicerat generum timere*] Vetus editio: *generosum timere*. Quod nobis cum primo ridiculum visum esset, secure ad alia pergebamus. Verum cum eamdem lectionem in optimo libro extare comperissem, cœpi serio cogitare, quidnam aliud latere posset. & sane reperi quod latebat. Nam legendum: *didicerat generos timere*. Generos autem Cæsaris vocat, Pom-

Digitized by Google

hic posteris cavebatur. Itaque non ingratis civibus, omnes unum in principem congesti honores: in circo tensa; imagines in theatro, distincta radiis corona; suggestus in curia; fastigium in domo; mensis in cœlo; ad hoc pater ipse patriæ perpetuusque dictator: novissime, dubium an ipso volente, oblata pro Rostris ab Antonio consule regni insignia. Quæ omnia velut infulæ in destinatam morti victimam congerebantur. Quippe clementiam principis vicit invidia. gravisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia. Nec diutius dilatio donata est: sed Brutus & Cassius, aliique patricii consenserunt in cædem principis. Quanta vis fati! manaverat late conjuratio. [58] libellus etiam Cæsari datus. eodem die nec perlitare centum victimis potuerat. venit in curiam tamen, expeditionem Parthicam meditans. ibi in curuli sedentem eum senatus invasit: tribusque & viginti vulneribus ad terram datus est. Sic ille, qui terrarum orbem civili sanguine impleverat, tandem ipse sanguine suo curiam implevit.

CAP.

Pompejum primo generum ipsius Cæsaris, deinde Pompeji ipsius generum Faustum Syllam, qui duxerat filiam generi Cæsaris, & quasi ut ita dicam erat progener Cæsaris. Neptim enim Cæsaris uxorem habebat, filiam Pompeii, ideo vocat generos Pompejum & Faustum Syllam. Pompejo filia Cæsaris nupserat, Fausto Syllæ neptis ejusdem Cæsaris. Utrique igitur generi dicuntur Cæsaris, quamvis de Sylla minus proprie, qui potius ut jam dixi, progener esset. Hic locus eruditissimos viros acriter torsit, nec se expedire quiti sunt. Male Vinetus generum Pompeii Faustum Syllam hic exponit. Quod quomodo conveniat, nullus video. Veram igitur Lectionem restituimus, & recte, ut puto, exposuimus.

58 *Libellus etiam Cæsari datus eodem die*] Aliter distinguimus, &, nisi vehementer fallimur, rectius, hoc modo: *Libellus etiam Cæsari datus, eodem die nec perlitare centum victimis potuerat.* Quæ vera est interpunctio.

CAP. III.

Cæsar Augustus.

POpulus Romanus, Cæsare & Pompeio trucidatis, rediisse in statum pristinæ libertatis videbatur: & redierat, nisi aut Pompeius liberos, aut Cæsar heredem reliquisset: vel, quod utroque perniciosius fuit; si non collega quondam, mox æmulus Cæsarianæ potentiæ, fax & turbo sequentis seculi, superfuisset Antonius. Quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari: dum Octavius mortem patris ulciscitur, iterum fuit movenda Thessalia: dum Antonius varius ingenio, aut successorem Cæsaris indignatur Octavium, aut amore Cleopatræ descivit in regem, aliter salvus esse non potuit, nisi confugisset ad servitutem. Gratulandum tamen in tanta perturbatione est, quod potissimum ad Octavium Cæsarem Augustum summa rerum rediit: qui sapientia sua atque solertia perculsum undique & perturbatum ordinavit imperii corpus: quod ita haud dubie nunquam coïre & consentire potuisset, nisi unius præsidis nutu, quasi anima &
DCCIX. mente regeretur. Marco Antonio, Publio Dolabella consulibus, imperium Romanum jam ad Cæsares transferente fortuna, varius & multiplex civitatis motus fuit. quodque in annua cœli conversione fieri solet, ut mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent; [1] sic cum Romanæ dominationis, id est humani generis conversione, penitus intremuit, omnique genere discriminum, civilibus, terrestribus, ac navalibus bellis, omne imperii corpus agitatum est.

CAP.

1. *SIc in Romanæ dominationis*] Haud paulo melius, *Sic cum Romanæ dominationis conversione, penitus intremuit*, &c. *in* tamen penitus non damno. optimus liber, *cum*.

1 *Se*

Digitized by Google

CAP. IV.

Bellum Mutinense.

PRima civilium motuum caussa testamentum Cæsaris fuit, cujus secundus hæres Antonius prælatum sibi Octavium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi juvenis susceperat bellum. quippe quum intra decem & octo annos tenerum, obnoxium, & opportunum injuria juvenem videret, [1] ipse plenæ ex comilitio Cæsaris dignitatis, lacerare furtis hæreditatem, ipsum insectari probris, cunctis artibus cooptationem Juliæ gentis inhibere non desinere [2] ad opprimendum juvenem; denique palam arma moliri: & jam parato exercitu in Cisalpina Gallia resistentem motibus suis Decimum Brutum obsidebat: Octavius Cæsar, ætate & injuria favorabilis, & nominis majestate, quod sibi induerat, revocatis ad arma veteranis, privatus (quis crede- DCCX.

1 SE *plenæ ex commilitio Cæsaris dignitatis*] Si quis locus in toto hoc scriptore, quem librariorum & correctorum gens varie vexaverit, finxerit & refinxerit ad arbitrium, hic unus unice ab illo hominum genere distortus & divexatus. Postea recentiores διορθωταὶ ad illud vetustiorum exemplum multa sibi licere voluerunt. Stomachum moverem lectoribus, si multitudinem variarum lectionum adponerem. Lectionem tantum, quam rectiorem esse censeo, quamque ex optimi libri vestigiis collegi, ponam. sic igitur legimus: *Quippe cum intra decem & octo annos tenerum & obnoxium, opportunum injuria juvenem videret, ipse plene ex commilitio Cæsaris dignitatis, lacerare furtis hæreditatem, ipsum insectari probris, cunctis artibus cooptationem Juliæ gentis inhibere non desinere, denique palam arma moliri.* Quantum alii ab hac scriptura recesserunt, tantum a veritate abesse se passi sunt. pro *conoptationem* vel *cum adoptationem* fecimus *cooptationem.* Reliqua ex optimo illo libro D. Nazarii facile divinavimus.

2 *Ad opprimendum juvenem*] Idem optimus liber: *ad depremendum*, pro *deprimendum.* Sed *opprimendum* non muto.

3 *Obsidione Mutinæ*] *Obsidio* in eodem libro. *obsidium* sæpe apud hunc nostrum.

1 Sem-

Digitized by Google

crederet?) consulem aggreditur. [3] obsidio Mutinæ liberat Brutum: Antonium exuit castris. Tum quidem etiam manu pulcher apparuit. nam cruentus & saucius aquilam, à moriente signifero traditam, suis humeris in castra referebat.

CAP. V.

Bellum Perusinum.

DCCXII. ALterum bellum concitavit agrorum divisio, quos Cæsar veteranis pretium militiæ, persolvebat. [1] Semper alias Antonii pessimum ingenium Fulvia, gladio cincta virilis militiæ, uxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitando iterum in arma ierat. Hic vero jam non privatis, sed totius senatus suffragiis judicatum hostem Cæsar aggressus, intra Perusiæ muros redegit, compulitque ad extrema deditionis turpi & nihil non experta fame.

CAP.

[1] *SEmper alias Lucii Antonii pessimum ingenium*] Laudo conatum eruditissimorum virorum, qui *piissimum* hic reposuerant. nos tamen non culpam librarii sed hallucinationem ipsius authoris animadvertimus. nam optimus liber *Lucii* non habet, in quo ita legitur: *semper alias Antonii pessimum ingenium*, *Fulvia gladio cincta virilis militiæ*, *uxor agitabat*. vox *uxor* aperte indicat Florum de Marco Antonio & scripsisse & cogitasse, cujus ingenium, alias semper turbulentum, etiam uxor Fulvia magis magisque inflammabat. De Lucio Antonio omnes tamen historiæ, ne quis hoc me putet ignorasse: sed, ut dixi, παρόραμα est ipsius Flori aut μνημονικὸν ἁμάρτημα. sic supra falsus est dum vocat patrueles Syllæ Felicis Fausti Syllæ liberos. sic etiam supra in Heraclea Campaniæ & Siri fluvio: quas hallucinationes facile excusamus. alia quædam leviora in hoc ipso scriptore deprehenderamus, quæ noluimus adnotare. si quis & qui non ita facile assentiri possit, is me doceat quid rectius de hoc loco sit æstimandum, ego ipsi facile assentiar. Hoc breve caput diligenter legat, & examinet, non aliud credo sentiet quam quod scripsimus.

1 Ne-

Digitized by Google

CAP. VI.

Triumviratus.

QUum solus etiam gravis paci, gravis Reipublicæ esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit. Quid contra duos exercitus [1] necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem? [2] Diversa omnium vota. Incendit Lepidum divitiarum cupido, quarum spes ex turbatione Reipublicæ: Antonium ultiones de his, qui se hostem judicassent: Cæsarem inultus pater, & Manibus ejus graves Cassius & Brutus agitabant. In hoc velut fœdus pax inter tres duces componitur. Apud Confluentes inter Perusiam & Bononiam jungunt manus, & exercitus consalutant. [3] Nullo bono more Triumviratus invaditur. oppressaque armis Republica redit Sullana proscriptio: cujus atrocitas nihil in se minus habet, quam numerum centum quadraginta senatorum. Exitus fœdi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium. pro quibus quis pro dignitate rei ingemiscat, quum Antonius Lucium Cæsarem avunculum suum, Lepidus Lucium Paullum fratrem proscripserit? Romæ capita cæsorum proponere in Rostris jam usitatum erat: verum sic quoque civitas lacrymas tenere non potuit, quum recisum Ciceronis caput in illis suis Rostris DCCX.

1 *Necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem*] Uterque Palatinus, *ut cruentissimi viri fœderis. ut* pro *in*. sic infra in scriptis, *totus ut monstrum illud desciverat*, pro *in monstrum illud*. in iisdem libris, *quod necesse fuit*. non *quid*. male prorsus.

2 *Diversa omnium nota incendia*] Lege, *vota incendio*. hoc est, omnes diversis votis ad illud incendium reip. ferebantur. vel *incendii* optimus liber *incendio* retinet. posset etiam legi, *diversa omnium vota, incendia*, sed priorem conjecturam magis probamus.

3 *Nullo more*] Scripti omnes, *nullo bono more*, & ita restituendum.

Rostris videretur; nec aliter ad videndum eum, quam solebat ad audiendum, concurreretur. Hæc scelera in Antonii Lepidique tabulis. Cæsar percussoribus patris contentus fuit. Hæc quoque, nisi multa fuisset, etiam justa cædes haberetur.

CAP. VII.

Bellum Cassii & Bruti.

BRutus & Cassius sic Cæsarem, quasi Tarquinium regem, depulisse regno videbantur: sed libertatem, quam maxime restitutam voluerunt, illo ipso parricidio perdidere. Igitur cæde perfecta, quum veteranos Cæsaris, nec immerito, timerent, statim è curia in Capitolium [1] confugerant. Nec illis ad ultionem deerat animus, sed ducem non habebant. Igitur quum appareret, quæ strages Reipublicæ immineret; displicuit ultio, consensu consulis abolitione decreta. Ne tamen publici doloris oculos ferrent, in provincias ab illo ipso, quem occiderant, Cæsare datas, Syriam & Macedoniam, concesserant. Sic vindicta Cæsaris dilata potius quam oppressa est. Igitur ordinata magis ut poterat, quam ut debebat, [2] respu-
DCCXI. blica. Relicto ad urbis præsidium Lepido, Cæsar cum Antonio in Cassium Brutumque succingitur. Illi comparatis ingentibus copiis, eandem illam, quæ fatalis Cnæo Pompejo fuit, arenam insederant. [3] Sed nec tum imminentis

1 *COnfugerunt*] Nazar. *confugerant*. infra, *in provincias ab illo ipso, quem occiderant, Cæsare datas, Syriam & Macedoniam, concesserant*. pro *concesserunt*.

2 *In triumviros rep.*] *Respublica*, meliores libri. ita igitur distingue: *igitur ordinata magis ut poterat quam ut debebat Respublica. relicto ad urbis præsidium Lepido, Cæsar cum Antonio &c.*

3 *Sed nec tum imminentia cladis destinata signa*] Miror fuisse quemquam qui

Digitized by Google

tis cladis destinata signa latuere. Nam & assuetæ cadaverum pabulo volucres, castra quasi jam sua circumvolabant: & in aciem prodeuntibus obvius Æthiops nimis aperte ferale signum fuit. Ipsique Bruto per noctem, quum allato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quædam imago se obtulit: & *quæ esset* interrogata; *Tuus*, inquit, *malus genius*. 4 Hoc dixit, & sub oculis mirantis evanuit. Pari in meliora præsagio in Cæsaris castris omnia aves victimæque promiserant: sed nihil illo præsentius, quod Cæsaris medicus somnio admonitus est, *ut Cæsar castris excederet, quibus capi imminebat:* ut factum est. Acie namque commissa, quum pari ardore aliquamdiu dimicatum foret, quamvis duces non essent præsentes, quorum alterum corporis ægritudo, illum metus & ignavia subduxissent, stabat tamen pro partibus invicta fortuna 5 & ultoris, & qui vindicabatur, ut exitus prœlii docuit. Primum adeo anceps fuit, & par utrimque discrimen. Capta sunt hinc Cæsaris castra, inde Cassii. Sed quanto efficacior est fortuna quam virtus! & quam verum est, quod moriens efflavit,

qui hæc legerit, quique vitium non viderit hujus lectionis, quod adeo manifestum est, ut pæne in oculos incurrat. legimus, *sed nec imminentis cladis destinata signa latuere*. sic supra, *nunquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia*. clades autem imminebat, non signa cladis præsaga & pronuncia, quæ præsentia erant, & jam apparebant. nemo igitur negaverit, quin locus hic recte sit à nobis restitutus.

4 *Hoc dixit, & sub oculis mirantis*] Lego, *Tuus, inquit, malus genius. Hoc, & sub oculis mirantis evanuit. dixit* abest optimo libro, & recte: nam *inquit* & *dixit* tam propinqua non bene sonant. elegantius igitur hoc secundum, *dixit*, subintelligendum.

5 *Et ultoris, & qui vindicabatur.*] Emendo, *staret tamen pro partibus invicta & ultoris & qui vindicabatur*, leve mendum, sed non nullius momenti. stabat pro partibus, inquit, fortuna ultoris, hoc est Octavii, qui necem patris ultum ibat, & qui vindicabatur. id est & ejus fortuna qui vindicabatur, Julii nempe Cæsaris: subintelligendum autem *ejus:* sic loquitur noster supra, *suorum animos erexit & hostis perculit*. subaudi *animos*.

Digitized by Google

vit, *Non in re*, [6] *sed in verbo tantum esse virtutem!* Victoriam illi prœlio error dedit. Cassius inclinato cornu suo, quum captis castris, rapido impetu recipientes se videret equites, fugere arbitratus, [7] evadit in tumulum: inde pulvere & strepitu, [8] & jam nocte vicina eximentibus gestæ rei sensum, quum speculator quoque in id missus [9] tardius renunciaret; transactum de partibus ratus, uni de proximis auferendum præbuit caput. Brutus quum in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide resignaret [10] (ita enim par superesse bello convenerat) ipse quoque uni comitum suorum confodiendum [11] præbuit latus. Quis sapientissimos viros non miretur ad ultimum non suis manibus usos? nisi si hoc quoque ex persuasione defuit, ne violarent manus, sed in abolitione sanctissimarum [12] piissimarumque animarum, judicio suo, scelere alieno, uterentur.

Cap.

6 *Sed in verbo*] *sed & in verbo*, vetus liber. mendose.

7 *Evadit in tumulum*] Quidam, *evasit*. sed noster frequenter utitur præsentibus.

8 *Etiam nocte vicina*] Puto, *& jam nocte vicina. inde pulvere & strepitu, & jam nocte vicina, eximentibus gestæ rei sensum.*

9 *Tardius renuntiaret*] Nihil mutandum. Nazarii liber, *enuntiarent*.

10 *Ita eum par superesse bello convenerat*] Quid sibi velit hic *par*, non video. quidam sustulerant, quos etiam sequutus essem, si illo sublato aliquid sequi melius sensissem. optimus Nazarii liber, *persuperesse bello*. quid sit nescio, conjicio tamen legendum, *ita enim præsuperesse bello convenerat.* convenerat inter Cassium & Brutum, ut, si adversam prœlii fortunam experirentur, manus sibi inferrent, potius quam bello superessent. *præsuperesse bello*, elegans & Latinum loquendi genus. quod tamen non observatum fecit, ut hic locus corrumperetur.

11 *Præbuit latus*] Nazarii liber, *confodiendum præbuit latus*. τὸ *confodiendum* non omnino παρέλκει. supra de Cassio, *uni de proximis auferendum præbuit caput.* sic, *confodiendum præbuit:* & verum esse puto.

12 *Piissimarumque animarum*] Optimus Codex, *pietatissimarum*, pro *pientissimarum*; nec aliter ex suis libris optimus Vinetus.

1 Hic

Digitized by Google

CAP. VIII.

Bellum cum Sexto Pompejo.

Sublatis percussoribus Cæsaris supererat Pompeii domus. Alter juvenum in Hispania occiderat, alter fuga evaserat: contractisque infelicis belli reliquiis, quum insuper ergastula armasset, Siciliam, Sardiniamque habebat. Jam & classe medium mare insederat, ô quam diversus à patre! Ille Cilicas extinxerat: [1] hic secum piratas navales agitarat. Tanta mole belli penitus in Siculo freto juvenis oppressus est: magnique famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentasset ulterius: nisi quod magnæ indolis signum est, sperare semper. Perditis enim rebus profugit; Asiamque velis petit, venturus ibi in manus hostium & catenas, &, quod miserrimum est fortibus viris, ad hostium arbitrium [2] sub percussore moriturus. Non alia post Xerxem miserabilior fuga. quippe modo trecentarum quinquaginta navium dominus, cum sex septemve fugiebat, [3] extincto Prætoriæ navis lumine, anulis in mare abjectis, pavens atque respectans, & tamen non timens ne periret.

DCCXVII. DCCXVIII.

CAP.

1 *Hic secum piratas navales agitabat*] Multa diversitas & variantia in libris, quam non abs re fuerit proponere. Divi Nazarii liber, *Hic se pirata navalis agitare.* unus Palatinus, *Hic cum piratas navales agitaret.* alter, *Hic cum se piratas navalis agitaret.* censeo legendum: *Hic secum piratas navales agitarat.* nam *agitaret*, quod tamen sine ulla varietate omnes libri retinent, non hic probo, nisi forte legendum *agitare: hic secum piratas navales agitare: t* enim litera facile potuit hujus verbi fini adhærere ex initio sequentis vocis *tanta.* Hunc loquendi modum huic nostro novum non esse, nos alibi, puto, ostendimus. qui sunt autem *navales piratæ*? an sunt aliqui terrestres piratæ? Navales piratas vocat classem Sexti Pompeji. cum enim vulgo piratæ myoparonibus tantum aut lenunculis mare infestent: illi navibus & triremibus, ut in magna classe, infestum reddebant. Hi sunt igitur, quos vocat *navales piratas.*

2 *Sub percussore moriturus*] *sub percussoribus*, uterque Palatinus.

3 *Extincto Prætoriæ navis lumine*] Nazarii liber, *prætorio navis lumine.*

Digitized by Google

Cap. IX.

Bellum Parthicum duce Ventidio.

Quamvis in Cassio & Bruto partes sustulisset; in Pompejo totum partium nomen abolesset: nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Cæsar, quum scopulus, & nodus, & mora publicæ securitatis superesset Antonius. [1] Nec ille defuit vitiis, quin periret, immo omnia expertus ambitu & luxuria, primum hostes, deinde cives, tandem etiam terrore sui sæculum liberavit. Parthi clade Crassiana altius animos erexerant; civilesque populi Romani discordias læti acceperant: itaque [2] ut prima adfulsit occasio, non dubitaverunt & erumpere, ultro quidem invitante Labieno. qui missus à Cassio Brutoque ([3] quis furor scelerum!) sollicitaverat hostes in auxilium: & illi Pacoro duce, regio juvene, [4] dissipant Antoniana præsidia. [5] Saxa legatus, ne veniret in potestatem, à gladio suo impetravit. Denique ablata Syria, emanabat latius malum, hostibus sub auxilii specie sibi vincentibus; nisi Ventidius,
DCCXIII. & hic legatus Antonii, incredibili felicitate & Labieni copias, ipsumque Pacorum, & omnem Parthicum equitatum, [6] toto inter Orontem & Euphratem sinu late cecidisset.

1 Nec ille defuit vitiis] Alter Palatinus, *nec ille unus defuit*, perperam.

2 *Ut prima effulsit occasio*] Veteres, *affluxit*. nimirum legendum est, *affulsit*.

3 *Quis furor scelerum*] *Qui furor scelerum*.

4 *Dissipant Antoniana præsidia*] N. *disputant*. vitiose pro *dissupant*. ἀρχαϊκῶς.

5 *Casca legatus*] Vineti libri *xaxa*: sed optimus Nazarianus *Saxa*. & ita Livio *Didius saxa* vocatur. quod verum. nam & alia omnia corrupta. Ξίξας Dioni, ut alii jam annotarunt. Sic ξίξκῳ pro σίξκῳ sæpe corrumpunt. vera igitur lectio, *Saxa*.

6 *Toto inter Orontem & Euphratem sinu*] Hoc sincerum est, libri tamen variant,

Digitized by Google

disset. Viginti amplius millium fuit. nec sine consilio ducis. qui simulato metu adeo passus est hostem castris succedere, donec absumto jactus spatio, adimeret usum sagittarum. Rex fortissime dimicans cecidit. Mox circumlato ejus per urbes quæ desciverant capite, Syria sine bello recepta. Sic Crassianam cladem [7] Pacori cæde pensavimus.

Cap. X.

Bellum Parthicum cum Antonio.

Expertis invicem Parthis atque Romanis, quum Crassus atque Pacorus utrinque virium mutuarum documenta fecissent; pari rursus reverentia integrata amicitia: & quidem ab ipso fœdus Antonio cum rege percussum. Sed immensa vanitas hominis, dum titulorum cupidine Araxem & Euphratem sub imaginibus suis legi concupiscit; neque caussa, nec consilio, ac ne imaginaria quidem [1] belli indictione, [2] quasi hoc quoque ex arte ducis esset, obrepere; relicta repente Syria in Parthos impetum facit. DCCXVII
[3] Gens præter armorum fiduciam callida simulat trepidationem;

variant, *equitatum inter Oronsem & Euphratem situm*, alii, *sinum*. Mendose omnia.

7 *Pacori cæde pensavimus*] Alter Palatinus *piavimus*. vulgatam praefero, ut quem meliores alii libri præferant.

1 *Belli indictione*] Quidam *condictione*, alii *conditione*. quæ scripturæ sunt Palatinorum Codicum. sed *indictione* verum est. quæ est N. lectio.

2 *Quasi hoc quoque ex arte ducis præriperet*] Nec correctorum audaciam, nec vitium lectionis, quam illi substituerant, hoc loco carpam. dicam tantum ex veteribus reponendum esse: *quasi hoc quoque ex arte ducis esset, obrepere, relicta repente Syria in Parthos impetum facit.* Deus bone, quanta diversitate, καὶ τῆς λέξεως καὶ τῆς διανοίας. Hæc illi omnes perverterant. de sinceritate scripturæ, quam restituimus, nihil dicam, ne injuriam faciam judicio eruditi lectoris.

3 *Quæ gens, præter armorum fiduciam*] Omnes, *gens præter armorum fiduciam*, omisso *quæ*. & potest abesse.

4 At-

Digitized by Google

tionem, & in campos fugam: hic statim quasi victor sequebatur: quum subito nec magna hostium manus ex improviso, & jam in fessos via sub vespere velut nimbus erupit, & missis undique sagittis duas legiones operuerunt. Nihil acciderat in comparationem cladis, quæ in posterum diem imminebat, nisi intervenisset deûm miseratio. Unus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat, & salute Latine data, quum fidem ipso fecisset, quid immineret edocuit; *jam affuturum cum omnibus copiis regem: irent retro, peterentque montes; sic quoque hostem fortasse non defore.* [4] atque ita sequuta est minor vis hostium quam imminebat. Adfuit tamen; deletæque reliquæ copiæ forent, nisi urgentibus telis in modum grandinis, [5] quadam forte, quasi docti, procubuissent in genua milites, &, elatis super capita scutis, cæsorum speciem præbuissent. Tum Parthus arcus inhibuit. deinde Romani quum se rursus extulissent, adeo res miraculo fuit, ut unus ex barbaris miserit vocem; *Ite & bene valete Romani. merito* [6] *vos victores gentium fama loquitur*, [7] *qui Parthorum tela fugistis.* Non minor ex aqua postea, quam ab hostibus clades. [8] infesta primum siti regio: tum quibusdam salinacidis fluvius infestior. novissime quia ab invalidis & avide hauriebantur, noxiæ etiam dulces fluere. Mox & ardores per Armeniam; & nives per Cappadociam; & utriusque cœli subita mutatio

4 *Atque ita sequuta est vis minor hostium*] *Atque ita facta est*, in altero Palatino.

5 *Quadam forte docti*] *Quadam forte quasi docti.* Ita repono de librorum authoritate.

6 *Vos victores fama gentium loquitur*] Imo scribendum, *Vos victores gentium fama loquitur.* quam sæpe *victorem gentium* populum vocat Romanum hic author.

7 *Qui Parthorum tela fertis*] Libri veteres, *fudistis.* Lego, *fugistis. qui parthorum tela fugistis.* vulgatam lectionem *fertis* merito ferre non possum.

8 *Infesta primum siti regio*] Alter Palatinus, *infesta primum siti regio, quibusdam salmacidis fluvius infestior novissime, qui jam ab invalidis & avide hau-*

tio pro pestilentia fuit. Sic vix tertia parte de sedecim legionibus reliqua, quum argentum ejus passim dolabris concideretur; & subinde inter moras mortem à gladiatore suo efflagitasset egregius imperator; tandem [9] perfugit in Syriam. Ibi incredibili quadam mentis vaecordia ferocior ali- DCCXIX. quanto factus est; quasi vicisset qui evaserat.

CAP. XI.

Bellum cum Antonio & Cleopatra.

FUror Antonii quatenus ambitu non interiret, luxu & DCCXXII. libidine extinctus est. Quippe post Parthos, quum exosus arma in otio ageret, captus amore Cleopatrae, quasi bene gestis rebus, in regio se sinu reficiebat. Haec mulier Ægyptia, ab ebrio imperatore, pretium libidinum Romanum imperium petit. Et promisit Antonius: quasi facilior esset Partho Romanus. Igitur dominationem parare, nec tacite: sed patriae, [1] nominis, togae, fascium oblitus; [2] totus in monstrum illud ut mente, ita animo quoque & cultu desciverat. Aureum in manu baculum; [3] ad latus

hauriebatur. pro *tum quibusdam* optimus liber, *cum quibusdam.* totum locum ita conceptum velim: *infesta primum siti regio, quum quibusdam Salmacidis fluvius infestior novissime, qui jam ab invalidis & avide hauriebatur, quum etiam dulces noxiae fierent.* Sed, nequid dissimulem, non possum damnare, *novissimeque jam,* & verius puto esse. *tum quibusdam,* etiam non mutem, in *cum quibusdam.* aliter tamen omnes libri.

9 *Profugit in Syriam*] *Perfugit in Syriam.* In melioribus & vetustioribus libris.

1 N*Ominis, togae, fascium oblitus*] Respexit ad illud Horatii: *Anciliumque, nominis & togae, oblitus.*

2 *Totus in monstrum istud*] Omnes libri, *totus ut monstrum illud.* legendum, *totus in monstrum illud. ut* pro *in* supra notavimus. sic *petitus* pro *penitus. utus* & *usus* pro *unus.*

3 *Ad latus acinace*] N. *acinacis. aureum in manu baculum. ad latus acinaces.* ita legendum.

Digitized by Google

latus acinaces; purpurea vestis ingentibus [4] obstricta gemmis; diadema aderat, ut regina rex ipse frueretur. Ad primam novorum motuum famam Cæsar à Brundisio trajecerat, ut venienti bello occurreret; positisque in Epiro castris, [5] Leucadem insulam, montemque Leucaten, & Ambracii sinus cornua, infesta classe succinxerat. Nobis quadringentæ amplius naves; ducentæ non minus hostium: sed numerum magnitudo pensabat. Quippe à senis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus, atque tabulatis allevatæ, castellorum & urbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur. quæ quidem ipsa moles exitio fuit. Cæsaris naves à triremibus in senos, non amplius ordines creverant. Itaque habiles in omnia quæ usus poscebat, ad impetus & recursus flexusque capiendos, illas graves, & ad omnia præpeditas, singulas [6] plures adortæ, missilibus simul, [7] tum rostris, ad hoc ignibus jactis, ad arbitrium dissipavere. Nec ulla re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo, quam post victoriam. Quippe immensa classis, naufragio belli facto, [8] toto mari ferebat Arabum Sabæorumque & mille aliarum gentium Asiæ spolia. Purpuram aurumque in ripam assidue mota ventis maria revomebant. Prima dux fugæ regina, cum

4 *Obstricta gemmis*] Alter Palatinus, *obstructa*. *obstricta* retinemus.

5 *Leucadem insulam*] Veteres, *Leucadam*. *Leucada* pro Leucas, ut Persida pro Persis, Elida supra pro Elis, *patentes Elidæ campos*, Chalcida pro Chalcis. Festus, *Chalcidicum genus ædificii ab urbe Chalcida dictum*. Sic Tritonida Tritonidæ, pro Tritonis Tritonidis, apud eumdem. Sic Leucada Leucadæ, pro Leucas Leucadis.

6 *Plures adortæ*] Optimus liber scribit, *adoratæ*. supra correctum *adornatæ*. de hac voce alibi diximus.

7 *Cum rostris*] Scribo, *tum rostris*, & ita distinguo: *singulas plures adortæ, missilibus simul, tum rostris, ad hoc ignibus jactis, ad arbitrium dissipavere.*

8 *Toto mari ferebatur*] Nazarii liber, cum utroque Palatino, *ferebat* præferunt. rectum puto. Sic etiam distinguendum: *Quippe immensa classis, naufragio*

Digitized by Google

cum aurea puppe, [9] veloque purpureo, in altum dedit. Mox ſequutus Antonius: ſed inſtare veſtigiis Cæſar. Itaque [10] nec præparata in Oceanum fuga; nec munita præſidiis utraque Ægypti cornua; Paratonium, atque Peluſium profuere. prope manu tenebantur. Prior ferrum occupavit Antonius. Regina ad pedes Cæſaris provoluta, tentavit oculos ducis fruſtra. Nam pulchritudo [11] intra pudicitiam principis fuit. Nec illa de vita quæ offerebatur, ſed de parte regni laborabat. Quod ubi deſperavit à principe, ſervarique ſe triumpho vidit, incautiorem nacta cuſtodiam, [12] in Mauſoleum ſe (ſepulchra regum ſic vocant) recipit. ibi maximos, ut ſolebat, induta cultus, in differto odoribus ſolio, juxta ſuum ſe collocavit Antonium; admotiſque ad venas ſerpentibus, ſic morte [13] quaſi ſomno ſoluta eſt. DCCXXIII.

CAP.

naufragio belli facto, toto mari ferebat Arabum Sabæorumque & mille aliarum gentium Aſiæ ſpolia: purpuram aurumque in ripam aſſidue mota ventis maria revomebant. nihil diſtinctius hac diſtinctione, cujus nobis author fuit vetus ſcriptura, *ferebat.*

9 *Veloque purpureo ſe in altum dedit*] *Se* delendum putamus. nobis enim omnino περιττὸν videtur. *in altum dare* quid ſit, & quam recte dicatur, doctos non docebo: locus igitur hic ita debet legi: *prima dux fugæ regina, cum aurea puppe, veloque purpureo, in altum dedit.* meliores etiam libri illud *ſe* non agnoſcunt.

10 *Nec aperta in Oceanum fuga*] Nazarii liber, *præparata in oceanum fuga*, & quædam editiones ita legebant, & nobis magis placet quam *aperta.*

11 *Infra pudicitiam principis fuit*] Forte an melius, *principi fuit.* alter Palatinus, *Cæſari fuit.*

12 *In Mauſoleum ſe recepit. ubi maximos*] Reponenda ſcriptura Nazarii Codicis, *In Mauſoleum ſe recipit, ibi maximos ut ſolebat induta cultus.*

13 *Quaſi ſomno ſoluta*] Scripti omnes, *ſic morte quas ſomno ſoluta eſt.* & prorſus ita legendum exiſtimo.

Digitized by Google

Cap. XII.

Bella adversus gentes exteras..

HIc finis armorum civilium. reliqua adversus exteras gentes :. quæ, districto circa mala sua imperio, diversis orbis oris emicabant. Nova quippe pax: nec dum assuetæ frenis servitutis tumidæ gentium inflatæque cervices, ab imposito nuper jugo resiliebant. Ad Septemtrionem conversa ferme plaga ferocius agebat; Norici, Illyrii, Pannonii, Dalmatæ, Mysi, Thraces & Daci, Sarmatæ atque Germani. [1] Noricis animos dabant Alpes atque ni-
DCCIIXL ves, quo bellum non posset ascendere: sed omnes illius cardinis populos, Brennos, Senones atque Vindelicos per privignum suum Claudium Drusum perpacavit. [2] Quæ fuerit callidarum gentium feritas, facile vel mulieres ostendere; quæ deficientibus telis, infantes ipsos [3] afflictos humo in ora militum adversa miserunt. Illyrii quoque sub Alpi-

1 NOricis animos dabant Alpes] Scriptum in optimo Codice, *Noricis animos alpes dabant & in nives bellum non posset ascendere*. scribendum conjicio: *ac si in nives bellum non posset ascendere*. particulæ *&*, *ac*, invicem crebro mutantur.

2 *Quæ fuerit callidarum gentium feritas*] Vocem illam *callidarum* non immerito suspectam habemus. nihil enim minus convenit barbaris & feris gentibus, quam calliditas. & si maxime conveniret, quorsum ejus calliditatis mentio? hoc quidem loco, cum nihil sequatur aut callide aut dolose ab illis factum; sed meræ feritatis & barbariæ facinus. Suspicionem nostram auxit optimus liber, in quo reperi; *Albidarum gentium*. hoc quid sit, equidem nescio. forte scribendum sit; *Alpicarum*. *Alpicus* autem, & *Cisalpicus*, & *Transalpicus* in notis Tyronis & Senecæ legimus. *b* & *p* sæpe invicem mutant: rursus *d* & *c*. Qui melius aliquid habebit, in medium illud proferat, ut optime tam de se quam de nobis mereatur.

3 *Adflictos humo*] N. *adflictos humano*, ad oram libri eadem manu emendatum, *adflictos inhumane*. posset & legi, *afflictos sua manu*. sed nihil necesse est: nam *humo* rectum est.

Digitized by Google

Alpibus agunt, imasque valles earum, [4] ac quædam quasi claustra, custodiunt, abruptis torrentibus impliciti. in hos expeditionem ipse sumpsit; [5] fierique pontes imperavit. DCCXVIII. Hic se & aquis & hoste turbantibus, cunctanti ad ascensum militi scutum de manu rapuit: & in via primus, tunc agmine sequuto, [6] quum subruptus multitudine pons succidisset, saucius manibus ac cruribus, [7] speciosior sanguine, & ipso periculo augustior, terga hostium percecidit. Pannonii [8] duobus saltibus, ac fluviis Dravo Savoque vallaban- DCCXVIII.

4 *Ad quædam quasi claustra*] Inepta lectio & falsa. scribo: *imasque valles earum, ac quædam quasi claustra custodiunt, abruptis torrentibus impliciti.* imæ valles Alpium sunt quasi pro claustris illis barbaris gentibus, propter loci naturam. Nos bene emendasse testes erunt optimæ membranæ, quæ habent, *&* *quædam quasi claustra.*

5 *Fierique pontes imperavit*] *Fierique pontem & aquis imperavit*, Palatinus uterque, quibus consentit prisca editio, quam in consilium adhibuit nunquam satis laudatus vir Ianus Gruterus. de qua scriptura nihil aliud dicere possumus, quam quod vix mereatur adlini chartis, cum manifestum vitium ostendat. illi vero sese simul & veritatem torquebunt, qui aliquid ex ea boni eruere periculum facient.

6 *Quum Illyricus multitudine pontem succidisset*] Nemo hunc authorem terere potuit, quin multa etiam calcaverit vestigia correctorum temeritatis, ut hoc loco quam temere sunt versati. nihil aliud tamen effecerunt, quam ut historiam corrumperent. Tres jam pontes ruperant Illyrici; quartum, quem fieri imperaverat Augustus, non succiderunt, sed ipse sponte sua corruit & cum eo Augustus, & qui eum sequebantur. de illo quarto ponte nunc sermo est. vanissima igitur lectio *Illyricus.* qui quomodo potuit pontem multitudine succidere? corruit sane ille pons, multitudine eorum hominum qui cum Augusto erant, cum par esse non potuisset tantæ multitudini sustinendæ. libri veteres, *lubricus* legunt, non *Illyricus.* igitur legendum, *quum lubricus pons multitudine succidisset. succidere* non à *cædo*, sed a *cado.* nihil certius.

7 *Speciosior & sanguine*] Membranæ & vetustæ & recentes: *speciosiore sanguine.* scripserim ego: *speciosior è sanguine*, *& ipso periculo augustior.*

8 *Duobus saltibus, ac tribus fluviis*] Tres fluvios οἱ καλοὶ διορθωταὶ pro duobus, quæ eorum est benignitas & liberalitas, reponere non dubitarunt. in omnibus scriptis ita habetur, *duobus saltibus ac fluviis dravo, savoque vallantur.* his duobus fluviis contenti non fuerunt. tertium addiderunt. sed quem? qui solus illis duobus major est, Istrum scilicet. Sequitur in continenti,

Digitized by Google

labantur. populati proximos intra ripas se recipiebant. [9] in
hos domandos Vibium misit. cæsi sunt in utrisque flumini-
bus. Arma victorum non ex more belli cremata: sed cap-
ta sunt, & in profluentes data: ut cæteris, qui resistebant,
victoria sic nunciaretur. Dalmatæ plerumque sub silvis
DCCXIV. agunt; inde in latrocinia promptissimi. Hos jam quidem
DCCXV. Marcius incensa urbe Delminio quasi detruncaverat. postea
Asinius Pollio gregibus, armis, agris multaverat. Sed Au-
gustus perdomandos Vibio mandat; qui efferum genus fo-
dere terras coëgit, aurumque venis repurgare: quod alio-
quin gens omnium cupidissima, [10] studiosa diligentia anqui-
rit; ut illud in usus suos servare videatur. Mysi quam feri,
quam truces fuerint, quam ipsorum etiam barbari barba-
rorum, horribile dictu est. Unus ducum, ante aciem
postulato silentio: *Qui vos*, inquit, *estis?* Responsum in-
vicem: *Romani gentium domini*. Et illi; [11] *Ita*, inquiunt,
DCCXXV *fiet, si nos viceritis*. Accepit omen Marcus Crassus. Illi
statim ante aciem immolato equo concepere votum, *ut
cæsorum extis ducum & litarent, & vescerentur*. Deos au-
disse crediderim. nec tubam sustinere potuerunt. Non mi-
nimum terroris incussit barbaris [12] Domitius centurio, sa-
tis

tinenti, *in hos domandos Vibium misit. cæsi sunt in utrisque fluminibus*. si tres fluvios scripserat prius Annæus, an Latine nunc loquatur cum scribit, *in utrisque fluminibus*, equidem nescio; ipsi illi homines viderint, per quos ita loquitur Florus. nos nihil veremur priscam lectionem asserere, & ineptorum commenta nihil facere.

9 *In hos domandos Vibium misit*] *Vinnium*, *Mumium*, *Vimuum*, tot modis corruptum reperitur illius ducis nomen. infra etiam *Ubio* legitur, & *Iubio* & *Vibio*. ad quæ perpendenda nobis otii nunc non est satis.

10 *Studiosa diligentia anquirit*] *Adquirit* Nazarii libro. aliis *acquirit*.

11 *Ita, inquiunt, si nos viceritis*] *Ita, inquiunt, fiet si nos viceritis*, jubentibus libris, rescribendum.

12 *Domitius centurio*] *Chonidius* aut *Conidius* habent nostri libri. nam vulgatum *Domitius* corruptum ex Domidius vel Donidius, illo etiam corrupto pro Chonidius. de illo vero Chonidio quærant otiosi eruditi.

13 *Ante*

Digitized by Google

tis barbaræ, efficacis tamen apud pares homines stoliditatis, qui foculum gerens super cassidem, suscitatam motu corporis flammam, velut ardenti capite fundebat. [13] Ante hos Thracum maxime populus desciverat. Ille barbarus & signis militaribus, & disciplina, armis etiam Romanis assue- DCCXLII. verat: sed à Pisone perdomiti, in ipsa captivitate rabiem ostendere, quippe quum catenas morsibus tentarent, feritatem suam ipsi puniebant. Daci montibus inhærent. Cotisonis regis imperio, quotiens concretus gelu [14] Danubius junxerat ripas, decurrere solebant, & vicina populari. Visum est Cæsari Augusto gentem aditu difficilimam submovere. Misso igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam; citra præsidia constituit. Sic tunc Dacia non victa, sed summota, atque dilata est. Sarmatæ patentibus campis inequitant. & hos per eundem Lentulum prohibere Danubio satis fuit. Nihil præter nives rarasque silvas habent. Tanta barbarie est, ut pacem non intelligant. Germaniam quoque utinam vincere tanti non putasset. magis turpiter amissa est, quam gloriose acquisita. sed quatenus sciebat patrem suum Cæsarem, bis trajecto ponte Rheno, quæsisse bellum, in illius honorem concupiit facere provinciam.

13 *Ante hos*, *Thracum*] Plurima loca nos valide in tantulo scripto exercuerunt, sed nullus æque tam male habuit: nihil enim illo exercitio profecimus, & desudavimus plus satis, corruptissimum esse non debeo judicare: quomodo autem sit restituendus, docere non possum. optimus liber ita concipit, maiusculis literis. *Ante* ASSE REGVM *maxime dicitur desciverant. ille barbarus.* sub ista balbutie latent nomina aliquot populorum Thraciæ, quos aliquando fortasse è latebris eruam, nunc non possum his exclusus angustiis. pro *antea se regum*, facerem *antea Threnum*. *S* pro *t.* quod solenne erat in illis optimis membranis, *G.* pro *C. vatiginans* pro *vaticinans*, & multa hujusmodi. *Maxi*, *Medi*, dicitur. *Mædi* populus Thraciæ, reliqua divinare nequeo.

14 *Danubius junxerat ripas*] Nazarii schedæ, *iunxerat ripas*, sed *iunxerat* verum est. alii *vinxerat ripa*, & pro *decurrere*, *discurrere*, mox *& viciniam populari*, non *vicina*, ut vulgo.

15 Quam

am. Et facta erat, si barbari tam vitia nostra, [15] quam imperia ferre potuissent. Missus in eam provinciam Drusus, primos domuit Usipetes: [16] inde Tenctheros percucurrit, & Cattos. Nam Marcomanorum spoliis insignem quendam editum tumulum in tropæi modum excoluit. Inde validissimas nationes, Cheruscos Suevosque & Sicambros pariter aggressus est: qui viginti centurionibus incrematis, hoc velut sacramento sumpserant bellum, adeo certa victoriæ spe, ut prædam [17] in antecessum pactione divi-

DCCXLI.

serint. Cherusci equos; Suevi aurum & argentum; Sicambri captivos elegerant; sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosque prædam divisit, & vendidit. præterea in tutelam provinciarum præsidia atque custodias ubique disposuit; per Mosam flumen; per Albim; per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam, quinquaginta amplius castella direxit. [18] Bonnam

15 *Quam imperia ferre potuissent*] Aliter conceptum scriptumque in veteribus D. Nazarii membranis, longe melius, si quid iudicii habeo, hunc in modum, *si barbari vitia nostra quam imperia maluissent*. vetus editio *maluissent* etiam retinet. *Facere imperia*, *facere iussa*, Latinum esse omnes facile mihi concedent. *vitia facere* etiam eleganter, hoc est, vitia imitari, & vitiis similibus inquinari. Hæc qui non intellexerunt, facile ad ea mutanda impulsi sunt, quæ minime capiebant.

16 *Inde Tenchteros percurrit*] *Percucurrit* in veteribus. vide quæ supra notavimus.

17 *In antecessum*] Ut *antistare* pro *antestare* dixerunt veteres, ita *antecessum* semper exaratum reperimus in optimis & vetustissimis D. Nazarii membranis. Sic & *anticessor* ἀρχαϊκῶς pro *antecessor*, unde & apud Hesychium ἀντικίνσωρ pro eodem. pertisus pro pertesus, aliud est, ut loquebatur Scipio ille Africanus. idem ille *rederguisse* per *e* literam enunciabat, teste Pompeio, non *redarguisse*. perperam in illo loco viri doctissimi *redarguesse* legunt, cum potius sit scribendum *rederguisse*, ut iam diximus. Sed de his pluribus alibi disputabimus. Hoc eodem loco *divissrint* malim ex veteri libro: *adeo certa spe victoriæ, ut prædam in anticessum pactione diviserint*.

18 *Bononiam & Gesoriacum*] *Bonam & Gesogiacum*, in libris scriptis. Sed quodam capite nostrorum miscellaneorum multa ad hunc locum scripsimus, quæ hic non repetam.

19 In-

Digitized by Google

nam & Moguntiacum pontibus junxit, classibusque firmavit. [19] Invisum atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit. Ea denique in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra, cœlum ipsum mitius molliusque solito videretur. Denique non per adulationem, sed ex meritis, defuncto ibi fortissimo juveni, quod nunquam alias, senatus cognomen ex provincia dedit. Sed difficilius est provincias obtinere, quam facere. viribus parantur, jure retinentur. Igitur breve id gaudium. Quippe Germani victi magis, quam domiti erant: moresque nostros magis, quam arma sub imperatore Druso suspiciebant: postquam vero ille defunctus, Vari Quinctilii libidinem ac superbiam, haud secus quam sævitiam odisse cœperunt. Ausus ille agere conventum: & in castris jus dicebat, quasi violentiam barbarorum & lictoris virgis & præconis voce posset inhibere: at illi, qui jam pridem [20] rubigine obsitos enses, [21] inertesque mœrerent equos, ut primum togas, & sæviora armis jura viderunt, duce Arminio arma corripiunt. quum interim tanta erat Varo pacis fiducia, ut ne prædicta quidem, & prodita per Segestem unum principum conjuratione commoveretur. Itaque improvidum, & nihil tale metuentem improviso adorti, quum ille (ô securitas!) ad tribunal citaret, undique invadunt, castra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem, quo Cannensem diem Paullus, & fato est & animo sequutus. Nihil illa cæde per paludes, perque silvas cruentius: nihil insultatione barbarorum intolerantius, præcipue tamen in causarum patronos. aliis oculos, aliis manus amputabant: uni os obsutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, *tandem*, inquit, *vipera*, *sibi-*

DCCXLIV.
DCCLXI.
DCCLXI

19 *Invium atque inaccessum*] *Invisum atque inaccessum*. ut legendum iam pridem observarunt eruditissimi viri.
20 *Rubigine oblitos*] *Obsitos* in altero Palatino.
21 *Inertesque mærerent equos*] Optimus liber, *inertesque ererent equos*. nihil

sibilare desiste. Ipsius quoque consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effossum. Signa & aquilas duas adhuc barbari possident. tertiam signifer prius quam in manus hostium veniret evulsit; mersamque intra baltei sui latebras gerens in cruenta palude sic latuit. Hac clade factum, ut imperium, quod in littore Oceani steterat, in ripa Rheni fluminis staret. Hæc ad Septemtrionem. Sub
DCCLII. Meridiano tumultuatum magis, quam bellatum est. Musulanios atque Gætulos accolas Syrtium Cosso duce com-
DCCLVIII. pescuit: unde illi *Gætulici* nomen. Latius victoria patet. Marmaridas atque Garamantas Curinio subigendos dedit. Potuit & ille redire *Marmaricus*; sed modestior in æstimanda victoria fuit. Ad Orientem plus negotii cum Armeniis. huc alterum ex Cæsaribus, nepotibus suis, misit. Am-
DCCLI. bo fato breves; sed alter inglorius. [22] Massiliæ quippe Lucius morbo solvitur: in Syria Cajus ex vulnere, quum
DCLIII. Armeniam ad Parthos se subtrahentem recipit. Armenios, victo rege Tigrane, in hoc unum servitutis genus Pompejus assueverat, ut rectores à nobis acciperent. Intermissum ergo jus per hunc recuperatum, non incruento, nec multo tamen certamine. Quippe Domnes, quem rex Artaxatis præfecerat, simulata proditione, adortus virum intentum libello, quem, ut thesaurorum rationes continentem, ipse porrexerat; [23] stricto recreatur ex vulnere in tem-

hil melius possum, quam *mererent*, quod ex prima editione reposuit vir doctissimus I. Gruterus, cum in aliis editionibus esset, *cernerent*.

22 *Massiliæ quippe Lucius morbo*] Vetera excusa, *Massiniæ*. nec aliter optimæ schedæ. alter Palatinus, *maxime*, corruptissime. Sequitur post paullo, *in Syria Gajus*, scriptis omnibus libris consentientibus. Vellejus aliique multi in Lycia obiisse volunt Limyris urbe. Vellejus lib. II. *in urbe Lyciæ, Limyra nominant, morbo obiit*. perperam putat vir summus, Limyra Stephano esse Lamyra. Lamyra & Limyra duæ sunt urbes Lyciæ diversæ: utramque Stephanus recenset. λίμυρα, inquit, πόλις λυκίας ἀπὸ λιμύρου ποταμοῦ.

23 *Stricto ferro cruentat*] Mira conspiratio Codicum veterum, qui scriptum

tempus. Cæterum barbarus undique infesto exercitu oppressus, gladio, & pyra, in quam se percussus immisit, superstiti [24] etiamnum Cæsari satisfecit. Sub Occasu pacata fere omnis Hispania, nisi quam Pyrenæi desinentis scopulis inhærentem citerior alluebat Oceanus. Hic duæ validissimæ gentes, Cantabri & Astures, immunes imperii agitabant. Cantabrorum & pejor, & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit; qui non contenti libertatem suam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, Vaccæosque, & [25] Curgonios, & Autrigonas crebris incursionibus fatigabant. In hos igitur, quia vehementius agere nunciabantur, non mandata expeditio, sed sumpta est.
[26] Ipse ad Segisamam castra posuit; inde partito exercitu DCCXXVII.
totam indidem amplexus Cantabriam, efferam gentem, ritu ferarum quasi indagine debellabat. Nec ab Oceano quies, quum infesta classe ipsa quoque terga hostium cæderentur. Primum adversus Cantabros sub mœnibus Vellicæ prœliatus est. Hinc fuga in eminentissimum Vinnium mon-

tum omnes habent, *stricto sarre creatus*, aut *stricto serre*. Sarris nec Serris fuerit fortasse gladii genus, de quo tamen nobis non constat. si *stricta serra* legerimus, erunt meræ nugæ. alter Palatinus, *stricto indere creatus*. probamus autem, *cruentat vulnere in tempus*.

24 *Superstiti etiam non Cæsari*] Lego, *superstiti etiamnum Cæsari satisfecit*, hoc est, *adhuc superstiti*.

25 *Curgonios, & Aurigonas*] Nullum dubium est quin sit *Autrigonas* legendum. pro *Curgonios*, veteres libri, *Curmogos*. puto levi trajectione eos esse qui Ptolemæo *Murbogi*. μύρβογοι. κυργόνιον, urbs in illo tractu apud Ptolemæum, à quo *Curgonii* dici possent. sed contranititur librorum authoritas, qui, ut diximus, *Curmogos*, non *Curgonios* habent.

26 *Ipse venit Sagesamam. castra posuit*] Duo Palatini ita scribunt & distinguunt: *ipse venit. secus aniam castra ponunt*: vel *secus anam. Ana* fluvius in illis regionibus; sed nihil ad hunc locum. *Segisama* reponendum est. Ptolemæo, σηγίσαμα ἰουλία. multæ aliæ urbes, in illis locis, à duabus Syllabis *segi* incipiunt. *Segida*, *segisamunculum*, *segisama*, &c. in veteri inscriptione *secisama* dicitur. *c* pro *g*. CAIO IVLIO REBVRRINO MIL. LEG. VII. G. F. D. SECISAMA BRASACA.

montem, [27] quem maria prius Oceani, quam arma Romana ascensura esse crediderant. Tertio Arracillum oppidum magna vi repugnat. Captum tamen postremo fuit. In Edulii montis obsidio (quem perpetua quindecim millium fossa comprehensum cinxit, undique simul adeunte Romano) postquam extrema barbari vident; certatim igne, ferro inter epulas venenoque, quod ibi vulgo ex arboribus taxeis exprimitur, [28] præçepere mortem: seque pars major à captivitate, qua videbatur, vindicavere. Hæc per Antistium, Furnium, Agrippam legatos, hibernans in
DCCXXVII. Tarraconis maritimis Cæsar accepit. Ipse præsens hos de-
DCCXXVIII. duxit montibus: hos obsidibus astrinxit: hos sub corona jure belli venum dedit. Digna res lauro, digna curru senatui visa est: sed jam Cæsar tantus erat, ut posset triumphos contemnere. Astures per idem tempus ingenti agmine à montibus suis descenderant. [29] nec temere sumptus, ut barbaris, impes: positis castris apud Asturam flumen, trifariam diviso agmine, tria simul Romanorum castra aggredi parant. Fuisset & anceps, & cruentum, & utinam mutua clade certamen, tunc tam fortibus, tam subito, tam cum consilio venientibus, nisi Trigæcini prodidissent. à qui-

27 *Quem maria prius Oceani*] *Qua maria prius Oceani*, in Nazar. lego, *quo maria prius Oceani, quam arma Romana ascensura esse crediderant.* sic supra, *in nives quo bellum non posset ascendere.*

28 *Præcepere mortem*] *Præcipere mortem*, Nazar. sic sæpe loquitur Florus supra. *omnia ad opprimendum iuvenem moliri.* cap. IX. *igitur dominationem parare, nec tacite*, &c. & multis aliis locis.

29 *Nec temere sumptus, ut barbaris, impetus*] Restituo antiquam scripturam, & post longum tandem exilium, in suas sedes revoco. *nec temere sumptus, ut barbaris impes:* quam multis modis discruciaverant imperiti scribæ. Nazarii liber, & alter Palatinus hac parte sinceri. in altero, *nec temere sumpta ut barbaris spes*: quæ lectio orta est ex illo *impes* depravato. ne putes antiquiorem vocem esse quam ut à Floro usurpari debuerit. quem scimus hoc affectasse quod nemo non potest scire, qui nostras notas legerit.

30 Cum

Digitized by Google

quibus præmonitus Carisius, [30] cum exercitu adveniens oppressit consilia. sic quoque tamen non incruento certamine. Reliquias fusi exercitus validissima civitas Lancia excepit. ubi adeo certatum est, ut quum in captam urbem faces poscerentur, [31] ægre dux impetraverit veniam, *ut victoria Romana stans potius esset, quam incensa monumentum.* Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit; idem rebellandi finis Hispaniæ. Certa mox fides, & æterna pax; cum ipsorum ingenio, in pacis partes promptiore; tum consilio Cæsaris, qui fiduciam montium timens, in quos se recipiebant, castra sua, sed quæ in plano erant, habitare & incolere jussit. [32] Ingentis esse consilii illud, observari cœpit. Natura regionis circa omnis aurifera, miniique & chrysocollæ, & aliorum colorum ferax. Itaque exerceri solum jussit. Sic Astures & latentes in profundo opes suas at- DCCXXVIII.

30 *Cum exercitu adveniens, oppressit consilia*] Nazarii menbranæ, *cum exercitu advenit, oppressi sed consilia.* forte, *cum exercitu advenit, oppressitque consilia.*

31 *Aegre dux impetravit veniam*] *impetraverat*, Scribendum *impetraverit. ut quum in captam urbem faces poscerentur, ægre dux impetraverit veniam.* facile patet ita legendum esse.

32 *Ingentis esse consilii illud observari cœpit*] Hoc loco non Florus sed correctores loquuntur, qui statim quæ non intelligunt, mutant. vetus lectio habet, *ingentis esse consilium illud observari caput consilio.* quam diversa ab editis? præterea non *ingentis*, sed *bigentis* scriptum in optimis Nazarii membranis. quid voluerit Florus video, verba ipsa Flori an exhibere possim nescio. & videamus an ita debeat legi: *Certa mox fides cum ipsorum ingenio in pacis partes promptiore, tum consilio Cæsaris qui fiduciam montium timens in quos se reciperent, castra sua sed quæ in plano erant habitare jussit, vim gentis esse consilium illud observari, caput consilio natura regionis circa & omnis aurifera* &c. Cæsar hoc consilium excogitaverat, ut in plana deduceret monticolam illam gentem & montium in quos se recipiebant fidentem præsidio. ut hoc persuaderet facilius, ipsius gentis bono & commodo hoc cedere consilium propter naturam regionis (quod consilio caput fuit) auriferam atque aliorum metallorum feracem. nescio an ipsissima verba Flori auctoris posuerim; scio me sententiam recte concepisse, atque optimam adhibuisse distinctionem. qui meliorem & veriorem lectionem di- vi-

Digitized by Google

atque divitias, dum aliis quærunt, nosse cœperunt. Omnibus ad Occasum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septemtrionem quoque, duntaxat intra Rhenum atque Danubium, item ad Orientem 33 intra Cyrum & Euphratem, illi quoque reliqui qui immunes imperii erant, sentiebant tamen magnitudinem; & victorem gentium populum Romanum reverebantur. Nam & Scythæ misere legatos, & Sarmatæ, amicitiam petentes. Seres etiam, habitantesque
DCCXXVII. sub ipso sole Indi, cum gemmis, & margaritis, elephantos quoque inter munera trahentes, nihil magis, quam longinquitatem viæ imputabant, quam quadriennio impleverant; & ipse hominum color ab alio venire cœlo
DCCXXXII. fatebatur. Parthi quoque quasi victoriæ pœniteret, rapta clade Crassiana ultro signa retulere. Sic ubique una atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Ausus que tandem Cæsar Augustus septingentesimo
DCCXXX. ab Urbe condita anno, Ianum Geminum cludere, bis ante se clusum; sub Numa rege; & victa primum Carthagine. Hinc conversus ad pacem, pronum in omnia mala & in

vinaverit, & magis ad mentem scriptoris facientem, is erit mihi magnus Apollo.

33 *Intra Taurum & Euphratem*] Eorundem correctorum hæc sunt χρηστήρια, sed, quantum judico, plane ἄχρηστα. vetus scriptura, *intra Etyrum & Ephratem*. legendum, *inter* (vel *intra*) *Cyrum & Euphratem*. mos historicis, nobilissimis fluviis aut nobilissimis montibus definire provinciarum seu regionum terminos non monte & fluvio, nisi ubi non est altera parte nobile aliquod flumen. *Cyrus* orientis fluvius celebris. magna autem & lata illa regio quæ *intra Cyrum & Euphratem* jacet: ἔθνος τοῖς καρ'ίνοις παρακείμενον μέσον εὐφράτου καὶ κύρου ποταμοῦ. sic supra dixit de iis quæ ad Septentrionem, *intra Rhenum & Danubium*.

Atque hæc hactenus, quæ in politissimum, elegantissimum, acutissimum hunc scriptorem notanda habuimus: si non omnia, quæ aut mendosa aut obscura erant, sustulimus & exposuimus, non nihil certe præstitimus, nonnulla etiam alienæ ambitioni aut diligentiæ reliqua fecimus. & quis me reprehendat, quod sibi quædam, ex quibus ingenii aut diligentiæ laudem possit adipisci, reliquerim? scio sane plures esse hoc ingratissimo

Digitized by Google

& in luxuriem fluens sæculum gravibus severisque legibus multis coërcuit. Ob hæc tot facta ingentia *Dictator perpetuus*, *&* *Pater patriæ* dictus. Tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium, *Romulus* vocaretur; sed sanctius & reverentius visum est nomen *Augusti*; ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur. DCCXXVI.

simo & invidentissimo sæculo & bonis omnibus literis, earumque cultoribus infensissimo, qui labores alienos carpere quam qui suos in medium protrudere in animum inducant. puerilia multa in his notis reperiri, non negem, sed quibus ætas pœne puerilis patrocinium facile parabit aut veniam saltem ab æquitate & humanitate lectorum non minus facile impetrabit. Hæc te volebam lector. Vale.

FINIS.



IN-

Digitized by Google



INDEX IN FLORUM,

In quo

Primus numerus librum, ſecundus caput cujuſque libri, denotat.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

An-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C.

Digitized by Google

per-

Digitized by Google

Ce-

Digitized by Google

con-

sine

Digitized by Google

D.

Da-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ducum

Ex-

F.

bel-

Fa

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G.

Digitized by Google

H.

Hor-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

M.

Mas-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ni-

Obor-

gre-

P

Piso

Digitized by Google

Digitized by Google

castro-

Digitized by Google

Pro-

Digitized by Google

Qua

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Tra-

Digitized by Google

Ve-

Digitized by Google

 nu

Digitized by Google

zi-

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

ELIAE VINETI

SANTONIS

CASTIGATIONES


IN

LVCII FLORI ANNAEI

Libros quatuor rerum Romanarum.

Digitized by Google

Digitized by Google



ELOGIUM
ELIAE VINETI.

ELIAS Vinetus, *in Vinetorum pago apud Santonas, in agro Barbezilienſi natus, primum in patria, pòſt apud Pictonas iis artibus, quibus ætas puerilis informari ſolet, operam dedit. Magiſterii laurea ornatus Lutetiam Pariſiorum ſe contulit. Inde ab Andr. Goveano Luſitano, Gymnaſiarcha clariſſimo, Burdigalam honorificè evocatus, doctrinæ atque induſtriæ nomine ita ſe illi probavit, ut cum idem pòſt Iohannis* III. *Luſitanorum Regis auſpiciis, litterarium Conimbricæ Gymnaſium inſtitueret,* Vinetum *in primis ſibi ſocium comitemque adſciverit. Goveano intempeſtiva morte ſublato in Galliam rediit, ſub Ioanne Gelida Valentino (qui abeunti ſucceſſerat) Burdigalæ bonas iterum artes ac Matheſin, in qua excellebat, profeſſurus. Quo peſte exſtincto à S. P. Q. Burd. Gymnaſio Aquitanico præficitur, rexitque annos* XXV. *feliciter, omnibus ordinibus adeò gratus, ut cum per ætatem ingraveſcentem muneri par non eſſet, onus ei decuriones ſponte ademerint, honorem ac ſtipendium magnificè reliquerint, & Prytaneo digniſſimum iudicarint. Vixit perpetuo cælebs, frugique, in ſtudiis adeò per omnem vitam aſſiduus, ut in extremo etiam morbo aliquid quotidie legeret, aut commentaretur. Erat moribus gravis, atque in ore ſubtriſti, cum luberet, facetiarum ſale perurbanus. Obiit Burdigalæ ætatis*

Digitized by Google

LXXVIII. *pridie Idus Majas* CIↃ. IↃLXXXVII. *quem annum Cortrasiense prælium, & Germanici exercitus ad Ligerim clades insignem fecere. Elatus est frequenti Senatu, comitante Academia, conditusque ad D. Eligii. Luxère eum omnis ætatis, omnium ordinum homines, & Næniis cum Græcis, tum Latinis amici & discipuli præceptorem prosecuti sunt. Accuratæ vir doctrinæ fuit, & prisci sæculi alter Litterator, optimè de Repub. litteraria meritus hisce monumentis.*

Elenchus Scriptorum Vineti.

E*Mendavit, & Commentariis, Notisque, & Indicibus illustravit* Florum, Eutropium, Somnium Scipionis, Placidum Lactantium in Thebaida, Priscianum, Fannium, Bedam, Metianum de Nummis cum adjunctis, Censorinum de die Natali, Suetonium, Ammianum Marcellinum, Suetonium de Illustr. Gram. Polihistora Solini, Lucanum, Ausonium, Catullum, Tibull. Propert. Statium Papinium, Martialem, Silium Italicum, Diodorum Siculum, Apollonii Scholia, Isaci Tzezæ Commentaria in Lycophronem, Theognidis Gnomas, Arriani Vitam Alexandri, Persium, ejusque interpretem Cornutum, & Sidonium Apollinarem, *cui illustrando immortuus est. Scripsit &* Rudimenta Linguæ Græcæ ac Latinæ, *Item* Rationem docendi Scholæ Aquitanicæ, atque Historiam Gymnasii ejusdem. Annos *etiam* Olympiadum Urbis Romæ, & Jesu Christi *ab ipsis suis primordiis ad Justiniani Aug. tempora exposuit contulitque, tum* Coss. Rom. nomina *diligentius pleraque restituit. Descripsit insuper* Aram Narbonemsem, *& sermone patrio* Antiquitates Burdigalæ, Burgi, Santonumque, & Crocum Rochefoucaudium. *In Mathematicis verò pariter excelluit, scripsitque* Arithmeticam vulgarem *linguis tribus comprehensam*, Artem metiendorum agrorum *lib.* VII. Horologiographiam, *&* Notas in Johannem à Sacro Bosco, *Transtulit item de Græco* Breviarium Pselli, *& Quinctum Elementorum Euclidis*, quem & Commentario illustravit.


De

Digitized by Google

De vita scriptisque Ioannis Camertis.

IOannes Camers Franciscanæ familiæ sodalis, vir, ut illa tempora ferebant, doctissimus, *Notis & Commentariis eruditis* Livium, Florum, Solinum, Claudianum, Fenestellam, Eutropium, Augustinum de civitate Dei & Cebetis Tabulam *illustravit. Primus item* Naturalis Historiæ C. Plinii *Indicem concinnavit, exstatque in editione Frobeniana & aliis. Floruit anno ferè* CIↃ. IↃXXX.





ELIAE VINETI
SANTONIS
CASTIGATIONES
IN
LUCII FLORI ANNÆI
Libros quatuor rerum Romanarum.

QUum iam tertium emendare aggredior rerum Romanarum ex Tito Livio epitomam, de ejus auctore nescio, an cuipiam sit compertum quicquam, nisi forte, quod Imperatore Traiano videtur vixisse. Sic enim ipse scribit in præfatione libri primi de Imperii Romani ætatibus. *A Cæsare Augusto in sæculum nostrum haud multo minus anni ducenti, quibus inertia Cæsarum quasi consenuit, atque decoxit, nisi quod sub Trajano principe movet lacertos.* Extant duæ historiarum Titi Livii epitomæ, hæc quatuor, & altera illa plurium voluminum, quot Livius ipse fecerat: quarum utriusque auctor quod feratur Lucius Florus, hoc mihi suspectum semper fuit. Adhæc iam diu miror, quid sit, quod Lactantius Firmianus non Florum, sed Senecam appellet, hujus quatuor librorum breviarii auctorem. *Non inscitè Seneca*, inquit libro septimo Divinarum Institutionum, *Romanæ urbis tempora distribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse*, & quæ sequuntur. Alium namque scriptorem non habeo Lactantio antiquiorem, qui sic populum Romanum quasi hominem considerarit, ejusque ætates ad eum modum percensuerit: nec facile mihi persuaseris, istius considerationis alium fuisse auctorem: ita eam rem, quæ suo inventori lepida videbatur, per totum opus persequitur hic homo. Iornandes, sive, ut aliis appellatur, Iordanus, qui Iustiniano principe, de Romanis Geticisque rebus scripsit, is qua-

Digitized by Google

quatuor istos ferè libros iisdem verbis in Romanam suam historiam transcripsit quidem, sed auctorem nusquam nominavit homo Gothus, nusquam professus, per quem profecisset. Dubitarunt verò & ante nos alii de ejusdem epitomes auctore. Apponam, quod post titulum in membraneis codicibus scriptum reperi.

Incipit prologus.

Anno tertiodecimo olympiadis lucius anneus melas frater senecæ & gallionis bona lucani poëtæ filii sui à nerone promeruit. Unde colligi potest iunium gallionem & lucium anneum melam fratres fuisse. At marcum anneum lucanum poetam lucii annei melæ filium, ac per hoc aliorum duorum nepotem. Ergo quisnam horum libri ejus auctor sit, an lucius anneus seneca an lucius anneus melas incertum facit communitas nominum lucii & annei. Nam flori non est ibi mentio. Nemo verò melius nec ornatius nec expeditius nec purius nec defecatius nec brevius nec latius hoc anneo aliquid componere potuit.

Hoc in aliis prologus inscribebatur, in aliis argumentum. quod vetustissimo Dominicalium Burdigalensium libro, quem primum cum novis contulimus anno Christi nati millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, etiam antiquius si ex hoc non probetur, quod ipsa statim prima oratio mendo non vacet. quid enim illud, *Anno tertiodecimo olympiadis*? pro quo fortasse legendum, Anno tertio decimæ olympiadis supra ducentesimam: ut solent identidem indocti corrumpere librarii, quæ sæpius describunt: ex hoc saltem id, puto, probabitur, quod quum dicat nullam esse ibi Flori mentionem, præcedebat tamen rubrica hæc in eodem codice. 1.

INCIPIT LVCII ANNEI FLORI EPITOMA DE TITO LIVIO QVI HISTORIAM R. AB VRBE CONDITA SCRIPSIT.

At in libro etiam membraneo Iosephi Chassaniani Burdigalensis, regii consiliarii, viri omnium bonarum artium studiosissimi, impresso quidem hoc, sed non pœnitendæ tamen antiquitatis, & quem indocta audacium emendatorum turba non corrupit,

In L. Annei Flori Epitoma de historiis Titi Livii argumentum feliciter incipit.

Hi nanque tituli, in quibus Flori nomen extat, exemplaribus postea fuerunt à librariis inditi, quam id ille amico, ut arbitror, quærenti de auctore libri, rescripsisset. Quanquam ille, quicunque fuit, dubitare non debuit, utrum Lucius Annæus Seneca, an Lucius Annæus Mela, libri hujus auctor sit, postquam Lucios illos ambos Nero interfecit, ut ex Cornelio Tacito, & aliis cognoscere potuit: & hic Lucius Annæus Trajani tempora, quemadmodum diximus, viderit: qui annis post interfectum Neronem tyrannum triginta regnare cœpisse putatur. Sed ut ne longius à proposito digrediamur: non sum ego solus, uti vides, qui dubitaverim de auctore hujus breviarii. Qui tamen, quisquis fuit ex poëtices studiosioribus aliquis fuit: quod arguit tum stilus ipse, tum aliquot locis quasi

Digitized by Google

quasi sponte excidentia Virgilii poëtarum Latinorum principis hemistichia. Poëtam quidem Lucium Annæum Senecam, cujus adhuc manserunt tragœdiæ aliquot habuit idem sæculum. habuit Florum etiam, cujus legitur carmen in vita Hadriani principis per Ælium Spartianum scripta, & quem Flavius Carisius Annæum Florum appellat, quando eum citat locis aliquot ex epistola ad Hadrianum Augustum: sed quam periculosæ divinationes! Expectandum potius, dum tempus, quod Thales omnium sapientissimum dicebat, aliquid certius de hac re inveniat, tandemque proferat in lucem. Quod autem attinet ad ANNAEI ὀρθογραφίαν, ut hic in transcursu tradamus, quod aliquando observavimus de nomine variè & scribi & pronunciari apud nos solito: geminant in eo secundam literam Latina monumenta, quotquot unquam nobis videre contigit: quæ simplex est in Dionis Nicæensis Græcis, ut ea manca, & mendosa nuper formis fuerunt edita. Secunda ejus nominis syllaba in Latinis exemplaribus est ne; ναῖ verò in iisdem Dionis Græcis, & NAE in vetustis inscriptionibus, nisi nostri nos fallunt antiquarii: quam & poëtæ producunt, ut *Martialis* pænultimo epigrammate libri octavi. metro Phalæcio,

Annæi facere t munus Sereni:

& Terentianus heroico,

Anneus Seneca, & Pomponius ante Secundus:

quare ANNAEVS potius, quam ANNEVS esse, debere videatur.

1 IN LIBRVM PRIMVM.

Septingentos per annos] Non est hic subtilis computatio, sicut in fine commentarii ostendemus. Conferenda autem hæc præfatio cum prima illa Titi Livii: in qua se dicit Livius rem repetivisse suprà septingentesimum annum.

Hoc quoque sicut cetera operæ pretium] Antiqui codices non habuerunt duo hæc verba, sicut cetera, præter unum: qui acutiore calamo inter versus addebat. Glossarium videri potest. Infra obrumpit, pro, abrumpit: tabula, pro tabella, insemel, pro, insemet, quædam ex vetustis exemplaribus.

2. *Quatuor gradus*] Numerum non habuit codex vetustissimus.

Prope ducentos quinquaginta per annos] Scribit Titus Livius in extremo libro primo; & Dionysius Halicarnassensis in principio quarti, regnatum Romæ à condita Vrbe ad liberatam annos ducentos & quadraginta quatuor. Antiquorum autem exemplarium alia quadringentos annos notabant, alia trecentos, alia ducentos tantum pro his ducentis quinquaginta.

Ducentos annos patet] Ita veteres libri, patet ducentos annos: sicut Manilius libro primo dixit de Zodiaci circuli longitudine,

Et ter vicenas partes patet, atque trecentas.

Et Virgilius in Palæmone:

Treis pateat cæli spatium non amplius ulnas.

Ut parum videam, quid hic sibi velit Camers. Pro ducentis autem annis

Digitized by Google

annis erant in libris quibusdam ex nostris, centum quinquaginta solum: ubi si ducentos quinquaginta legeres, quomodo ante, fierent bis duceni quinquageni, anni quingenti primæ & secundæ ætatis, hoc est, infantiæ simul ac adolescentiæ populi Romani: qui numerantur in principio libri secundi. Porro pro dehinc, erat deinceps in antiquis codicibus.

Ducenti quinquaginta anni.] Iidem antiqui codices, & hoc loco centum quinquaginta solum habebant: ceterum omnes hos numeros suæ notæ perdiderant: quos non sit facilè restituere propterea, quod non subtilem istorum annorum computationem fecerit auctor. Qui exactius computaverunt à Roma condita ad Brutum Collatinumque primos exactis regibus consules, annos ducentos & quadraginta quatuor numerant: inde ad Appium Claudium Caudicem & Marcum Fulvium Flaccum annos ducentos & quadraginta sex: quos putant fuisse consules anno Vrbis quadragintesimo & nonagesimo. Hinc autem ad annum Vrbis septingentesimum & vicesimum tertium, quo confectis bellis civilibus, Cæsarem Augustum volunt solum regnare cœpisse, sunt anni ducenti & triginta tres. Cui Vrbis anno si addideris annos ducentos, quos hic numerat ab Augusto in suum sæculum, fient anni Vrbis nongenti & vigenti tres: quo tempore imperabat Antoninus philosophus. Sed auctor, ut diximus, annos istos non ita subtiliter computavit, qui sub Traiano Augusto vixit, & hæc scripsit: quem principem legimus annos undevigenti regnasse, & decessisse anno ab Vrbe condita, octingentesimo & septuagesimo, ac à Christo nato, centesimo & vicesimo.

Sub Trajano principe movet lacertos.] Sextus Rufus locum hunc legerat.

Rhea Silvia.] Hæc, quæ apud Strabonem, Dionysium, Plutarchum Ῥέα 3 I.
scribitur, id est Rhea, sicut antiquissima illa appellatur Rhea Saturni Dei uxor: non est mihi compertum; utrum Græcum nomen sit, an Latinum. Græcum esse volunt, ut arbitror, quibus aspiratur Rhea: sed Latinum esset fortasse Rea. Huic porro Rheæ nomen etiam fuit Ilia. Silvia cognomen est. Quidam fuit SILVIUS Ascanio Æneæ Trojani filio genitus: unde isti Albanorum reges sunt Silvii cognominati. Hunc autem à silvis appellatum perhibent: in quibus quodam casu natus fuerat. Quod si verum est; quæ prior vocalis est in silva, ea & in Silvio prima esse debere videtur: sed quæ fuerit illa, ambigitur. Ex grammaticis nostris fuerunt, qui SILVAM à silendo deducerent: alii ἀπὸ τῆς ὕλης. Qui ergo à silentio appellatam credunt, ii silvam per tertiam vocalem Latinam scribunt, qui ab hyle, quod verbum silvam & materiam significat, illis placet per vocalem Græcam dicere sylvam, id est, salvam. Ego verò, qui non valde laboro, appellata sit nec ne fides, quia fiat, quod dictum est: undeunde originem trahat silva, silvam per vocalem Latinam dicere scriberéque soleo, & inde Silvios illos, Silvanum deum, silvestrem Musam, & quæcunque alia nomina nobis silva peperit, ejus primam syllabam retinentia. Sic enim illa in antiquis exemplaribus monumentisque

Digitized by Google

Latinis scripta reperio, & sic σαβῖν, σιλοΐος, αλβανὸς scribuntur in Græcis ipsis Joannis Zonaræ, Suidæ, Plutarchi, Strabonis, & aliorum veterum.

Vestæ sacerdos.] Vestæ non habebant libri veteres, quamvis ea deæ Vestæ sacerdos fuisse omnibus dicatur.

Jam bis septima sobole.] Bis non fuit in antiquis exemplaribus, quod & se interfuisse gloriatur Cameis, neque apud Jornandem: sed ibi soboles, pro sobole.

Adhibuere piacula.] Jornandes, adhibere placuit deos.

4 *Hic Palatinum occupavit.*] Antiqua lectio, hic Palatium occupat. Titi Livii & aliorum veterum libros corruperunt multis locis audaculi homines, qui nesciebant montem etiam dici Palatium, in quo, vulgo dictum, & notum Palatium, extructum fuit. Sed de his lege Livium, Dionem, Festum, Solinum. Verbum autem ASSUESCERE cum ablativo casu interdum construi, te, puto, satis docuerunt grammatices magistri, quemadmodum hic habebant antiqui libri, assuetæ sanguine & præda, pro sanguini & prædæ.

Angustias Remus.] Quod sequitur, hoc modo habebat in nostris libris, idque increpat. Saltu dubium an jussu fratris occisus est. Atque sic esset sensus. Cum irridêret increparetque Remus vallum, occisum fuisse: incertum autem esse, an jussu Romuli fuerit id factum, an casu, an acuto vallo id fortè acciderit, quum illos novæ Urbis muros Remus transilire conaretur.

5 *Tuscique.*] Antiqui libri, Tuscorúmque pastores: & præda, pro, prædæ.

6 *Rei, quæ gerebant.*] Sic antiqui libri. Jornandes, rei quod gerebant. Falsi & audaces librorum emendatores, quæ in quam mutaverant propter illud *rei*: ne scilicet hic esset solœcismus. Ordo autem & sensus hic erit. Puella petierat illa quæ gerebant Sabini in sinistris manibus, pretium (appositionem hoc dicunt grammatici) rei, & proditionis arcis. Gerebant autem illi clipeos & armillas aureas in iis manibus: quare dubium, utrum peteret. Vide Livium libro primo.

Ita admissis ad mœnia hostibus, atrox in ipso aditu pugna.] Hæc est vera & antiqua lectio. Altera, ita admissis intra mœnia hostibus, atrox in ipso foro pugna. Duo nanque colles erant, Palatium & Capitolium. In Palatio erat Roma: in Capitolio posita arx Tarpeia, quæ firmo præsidio arceret hostes ab Urbe: ad quam Urbem illac transire necesse erat, sicut ex Plutarchi Romulo cognosces. Hac ergo arce Sabinis tradita, ad mœnia usque Urbis hostes accesserunt, fuitque atrox pugna, egresso Urbe Romulo cum suis, in ipso Urbis aditu, ad veterem portam Palatii, ubi postea Romanum forum fuit, quum crevisset urbs. Livius libro primo, Nepos de viris illustribus, & alii.

Hic templum esto, inquit, Stator Juppiter.] Antiqua lectio, & Jornandes, hinc templum & Stator Juppiter. Ubi subintelligas verbum est, aut pro-

Digitized by Google

prodiit, aut aliquod aliud ejusmodi. Adhæc, antiqui libri habebant, dispersa, pro divisa: subita belli. pro, subita bella: sicut Cornelius Tacitus libro vicesimo primo. Quando impetum, & subita belli locus abnueret. Et in vita Agricolæ. Ni id ipsum veritus Agricola, quatuor equitum alas ad subita belli retentas, venientibus opposuisset. Titus Livius verbum addit libro quarto, Relictoque Cnæo Julio consule ad præsidium Urbis, & Lucio Julio magistro equitum ad subita belli ministeria, nequa res, qua eguissent in castris, moraretur.

Ob ætatem.] ab ætate, Jornandes.

Ante Urbem apud Capreæ.] Sic Jornandes. Sed nostri antiqui codices non habebant antè Urbem, qui & Capræ, pro, Capreæ scribebant. Plutarchus utroque modo locum illum appellat. Ἀλλὰ τυχεῖν μὲν ἔξω περὶ τὸ καλούμενον αἰγὸς, ἢ ζορκὸς, ἕλος. id est, sed quum fuisset circa vocatam Capræ sive Capreæ paludem. Illius autem defectus solis meminerunt Cicero in somnio Scipionis, Dionysius, & Plutarchus.

Ut Gentium imperio.] Non fuit in antiquis codicibus, imperio, neque apud Jornandem. Ubi legitur, Quirinum in cœlo vocari. placitum diis, ut gentium Roma potiretur.

Curibus Sabinis.] Sabinarum urbium hæc tunc opulentissima, parvulus 8 II,
vicus Augusti Cæsaris temporibus, auctore Strabone libro quinto: ubi Κύρεις, id est, Curis, numero singulari appellatur, sicut & apud Stephanum. Inde Curenses apud Plinium.

Ad similitudinem.] Antiqua lectio & Jornandis, ad simulachrum. EGERIA autem nympha, amica, uxor Numæ quam multi imprimunt Ægeriam, prima syllaba diphthongo, hæc in antiquis exemplaribus est perpetuo Egeria, sicut ἠγερία, id est, Egeria, scribitur in Græcis Dionisii, Plutarchi, & aliorum, prima syllaba longa, secunda & tertia brevibus, quomodo ex iis dactylum Virgilius, & alii poëtæ faciunt.

Exercitata juventute.] Exercita vetusti codices 9 III.

Prælio utrinque.] utrique nomen, & non utrinque adverbium, antiqui codices. Quod verò prælium per primam vulgo scribitur, id PROELIUM est per secundam diphthongum in vetustis marmoribus.

Curiatiisque.] Curatiisque Jornandes. Vidimus etiam nuper apud Lemovices primam librorum Titi Livii decadem in membranis calamo scriptam: in qua hi pentasyllabi Curiatii, tetrasyllabi erant Curatii, prima tantum syllaba ab hostibus suis Horatiis differentes. Sunt iidem etiam quatuor syllabarum, & primæ brevis apud Dionysium Halicarnasseum Roberti Stephani, libro tertio, Κορήνοι τρίδυμοι.

Intra gloriam.] Infra gloriam, Jornandes.

Metium Suffetium.] Metium in Metum contrahebant ferè antiqui codices, sicut apud Virgilium libro octavo Æneidos suus legit interpres. 10

Haud procul inde, citæ Metum in diversa quadrigæ
Distulerant.

& in omnibus suis antiquis exemplaribus scriptum invenisse se dicit Pierius. Si ergo trisyllabum nomen in disyllabum, sui metri causa, sic mutilavit poëta, certè prima ejus syllaba erat longa, quam corripere non poterat: sive natura esset ea longa, sive positione sive utroque modo simul. De hoc enim, quid possis statuere, postquam omnes Latinæ vocales incerti sunt temporis, & in vetustis monumentis modo METIUS, modo METTIUS scribatur? Nisi siquid hîc Græcis exemplaribus credendum ducas, in quibus vocalis illa est ι, vocalis apud suos semper correpta: atque ita in eo vocabulo gemines secundam consonantem, unde prima illa syllaba producatur: quemadmodum apud Joannem Zonaram scribitur Μέττιος id est Mettius, qui apud Dionysium Halicarnassensem & Plutarchum est Μέτιος id est, Metius, prima omnino brevi: quam produxerunt Virgilius & Statius. Metius nanque in carmine secundo libro tertii Silvarum, dactylus est, longè quidem alterius hoc viri nomen, sed idem tamen vocabulum, ut existimo. Legebamus pueri in elegia tertia libri primi Tristium Ovidii,

25 Sic doluit Priamus tunc, quum in contraria versus,
Ultores habuit proditionis equos.

locúmque Merula intellexit de equo illo Trojano: sed ibi postea legimus,

Sic doluit Metius tunc, quum in contraria versos
Ultores habuit proditionis equos.

Quæ lectio si verior est, ut plerisque probari video, non Metius, sed Metus sive Mettus legendum fuerit? postquam Metium in Metum contrahere idem metrum Virgilium coëgit. Idem porro nomen ab Horatio scriptum fuisse, in versu trecentesimo octogesimo septimo epistolæ de arte poëtica facile crediderim; ubique legendum esse,

Scripseris, in Meti descendat judicis aures:

aut si Metii malis, trisyllabum nomen in disyllabum contrahi debere. Alterum autem Albani ducis nomen scribebat Fufetium mirandæ vetustatis codex, sicut scribitur Φουφέτιος, id est Fufetius apud eundem Dionysium libro tertio. Ita Fuffetium pro Suffetio appellandum idem Pierius jam pridem monuit: sed geminat Pierius tertiam nominis literam, quæ simplex est in nostris exemplaribus. Apud Plutarchum Φουβέτιος legitur, id est Fubentius pro Fufetio.

IIII. *Pari ingenio.*] Sic omnia nostra exemplaria, & ita malim legere, quam cum Jornande, pravo ingenio. Sed vide, quæ de moribus Marcii regis, Livius, & alii memoriæ prodiderunt.

11 *Et mœnia muro amplexus.*] Jornandes, ex muro mœnia amplexus. Scribit Festus Pompejus, mœnia esse muros, aliáque muniendæ urbis gratia, facta. & Servius in commentario libri secundi & undecimi Æneidos, mœnia abusivè dici domos, & ædificia omnia tam privata, quam publica, sed propriè mœnia esse tantum muros, quasi munia à munitione civitatis.

Mœ-

Digitized by Google

Mœnia ergo dixisse videri potest hoc loco Lucius Annæus, aut vallum solum à Romulo primum novæ Urbi circumjectum, aut ipsa Urbis illius ædificia omnia, aut adeò hæc utraque. Vetustissimus tamen codex mœnia non habebat: quod si non legas, pro eo urbem subintelligas oportebit hoc sensu: ut Ancus Marcus (ita Marcius hic, non Martius, sicut alibi ostendimus) urbem Romam muro cinxerit: & qui eam interfluebat Tiberis (Tiberis & Tiberinus, idem fluvius, & qui minus rectè Tyberis & Tyberius vulgò imprimatur) eum ponte junxerit. Hunc autem pontem Livius & alii Sublicium vocant. De ostia, quæ adhuc nomen retinuit, quædam annotavimus in commentario Eutropii.

Attius Navius.] Hunc ex Accio & Actio Attium fecimus, quomodo V.
apud Zonaram, & Dionysium in extremo libro tertio scriptum reperimus: 12
sed de quo nomine plura monuimus in librum septimum Eutropiani breviarii. Quem verò NAVIUM imprimunt & hîc, & apud Ciceronem, Livium, Valerium, Plinium, Lactantium, & alios Latinos, ac Νέϐιον apud Zonaram, is in nostris codicibus vetustis Nevius erat, e pro a, sicut apud eundem Dionysium scribitur Νέϐιος, id est Nebius, pro Nevio. A quo auguris nomine quàm diversum esse debeat, nescio, antiqui poëtæ comici nomen: cujus primam syllabam producit Terentius in prologo Andriæ & Eunuchi, quemadmodum & feminæ primam Martialis in epigrammate vicesimo sexto libri secundi unde Nevius & Nævia, prima diphthongo, multis scribenda putentur.

Dignitas eminet.] Addit Jornandes duo verba, sumpta sunt. quibus imperii dignitas eminet, sumpta sunt.

Ut omnia patrimonii.] Asconius Pedianus de tabulis Verris. Sic autem pro VI.
si, infra habet Jornandes. ac sic max. 13

Super cruentum.] Jornandes, & Burdigalensis codex, supra cruentum. VII.
Idem codex hic Acricolum, libro tertio Ocricolum, pro Otriculo habebat. 14
Cujus nominis prima vocalis est o brevis in Ptolomæi, & Strabonis, & aliorum Græcis: secunda litera K non T. Quem autem hic auctor & Livius, & Nepos, SUESSAM POMETIAM, Græci ferè Σύεσσαν, id est Suessam, tantum appellant. Volscarum urbium matrem fuisse scribit Strabo libro quinto: ubi Πωμετῖνοι, id est Pometios, gentem Volscam facit, unde Pometia cognominata sit hæc Suessa: Dionysius libro quarto Πωμεντίνους, id est Pomentinos pro Pometinis, ut à Pometia Pometinas manubias dixit idem Livius libro I.

Quæ superbia sic respondit. Tamen.] Jornandes. ea superbia sic respondit, ut senserat. Tamen.

Juventas & Terminus.] Juventus est multitudo juvenum: Juventas, dea 5
ipsa, sicut libertas: Juventa verò ætas. sed hæc à poëtis confunduntur plerunque. Sic Servius in librum primum Æneidos. Ceterum confundunt etiam hæc alii, & omnium maximè librarii. Græcorum Hebe, illa Junonis filia, & Herculis uxor, & deorum ministra, Juventa quoque dicitur

citur Ovidio in ultima elegia libri primi de Ponto: & eadem, Juventus ut servitus, Higino, & Ciceroni libro primo Tusculanarum quæstionum, & de natura deorum, sicut ibi legerunt Beroaldus & Nizolius. Juventas autem dea illa Romana, sicut bonitas, nescio an eadem credita sit cum Hebe illa, quæ Juventa & Juventus dicta est: sed ea etiam Juventus ut virtus, frequentius, quam Juventas sicut caritas, legitur apud Livium, Plinium, & alios: quibus locis sunt, qui u postremæ syllabæ in a mutandum censeant. Invenitur tamen eadem quoque juventas ut caritas, pro ætate juvenili, usurpata, veluti libro octavo Aeneidos, & in ode undecima libri secundi carminum Horatii. Juventus postremo ut virtus, non solum dea esse invenitur, & juvenum multitudo, quemadmodum dictum est: verum etiam ætas ipsa est, ut juventa prima inflexione. Hoc per Sallustium probaverunt veteres grammatici; sicque usurpavit hic auctor supra, quum dixit, senectus imperii, quasi reddita juventute, revirescit. Juventas itaque ut caritas hic haberent omnia nostra exemplaria, nisi ultimam consonantem erasisset Camers in impressis, & quidam alii emendatores. Qui Juventam esse deam legerant, & Juventatem ætatem in commentario Acronis in oden tricesimam libri primi carminum Horatii: ubi nos contra legimus, quod Juventas dea est, Juventa sine s, ætas. Lepidum autem ænigma de Termino, qui cum Juventate Jovi cedere noluit, extat apud Aulum Gellium libro duodecimo.

Sed illud horrendum.] Comparativum horrendius pro illo positivo, Jornandes: & pulcherrimam pro pulcherrimum.

Molientibus sedem.] Antiqua & vera lectio, molientibus ædem: quomodo & apud Jornandem legitur. Hoc in emendandis vetustis scriptoribus sæpius observatum, dictiones inter se frequenter corrumpere, & id variis modis. Unam in duas divisam reperimus libro quarto. Tarchondmotus, in Tarchom, &, Dimotus. Duæ contra in unam coïerant libro secundo de rebus Hispanicis, re, &, cessisset: in recessisset: sicut libro tertio de Tribuniciis seditionibus, merces, &, erat, in marcesserat, unica mutata literula & alia geminata. Quæ vocem finit litera, quando eadem incipit sequentem dictionem, ea interdum pro gemina simplex reperitur: dum aut fini, aut principio verborum detrahitur. Hic postrema præcedentis verbi litera ad sequentis principium repetita fuerat. Sicut & primo Pharsaliæ Lucani. Qui tenet & ripas Saturi- ubi ripas Aturi legi debet.

Contra eodem libro,

Arvernique ausi Latios se fingere fratres.

geminata est consonans pronominis, & ex Latio factum Latios: quemadmodum nuper animadvertimus inter emendandum Sidonii Apollinaris epistolas.

IX. *Collatinóque.*] Conlatio pro Collatino antiqui libri tam hic quam supra
17 in præfatione. Hic est Λεύκιος Ταρκύνιος Κολλατῖνος in principio libri quinti origi-

originum Dionysii, Lucius Tarquinius Collatinus apud Livium, & alios. Vrbs fuit Latii Collatia: quæ duas priores syllabas, & cui dederat clarum Collatia nomen, Collatinus tres priores producit libro sexto Aeneidos Virgilii, libro secundo Fastorum Ovidii, & alibi.

Et indice.] titulo: ut infra de Bello Tarentino. Jornandes dixit, mutato & jure, & nomine.

Pro libera concione submisit.] pro concione plana summisit, altera lectio. Jornandes, & Gerardi Mariæ Imberti patricii Condomiensis, utraque lingua viri doctissimi liber antiquus, neque libera, neque plana habent, sed tantum, pro concione summisit.

Horatius, Mucius, Cælia.] Pontanus Horatii primam aspirat, ac Dio- X. 19
nysii, Plutarchi Zonaræ Græca, quæ vidimus: sed ea in antiquis libris & marmoribus non semper habet spiritum. MUCIUS, qui Mucius frequentius scribitur. Μούκιος est apud Dionysium, Plutarchum, Zonaram, id est MUCIUS in antiquis marmoribus: Cajus prænomine, Cordus tertio nomine, id est Κόρδος, in Græcis Zonaræ: Scævola cognominatus apud Livium & alios Latinos, Σκαιόλας in Publicola Plutarchi, & apud Zonaram, CHLOELIA, sine spiritu Κλοιλία in iisdem Græcis.

Elapsa custodiam.] Ita habuerunt omnia nostra exemplaria tam calamo scripta, quam formis: ut mirer Camertem, quid hic elusa custodia legendum præceperit pro elapsa custodiam. An quod non satis Latinum fit elabor custodiam? Et tamen non solus est hic auctor inter veteres, qui
sit ita locutus: Jornandes, elapsa custodiæ, dixit: qui & monstris, pro 20
monitis scribit. territus monstris.

Mamilio Tusculano.] Hic est Ὀκταούιος Μαμίλιος, apud Dionysium, O- XI.
ctavianus Mamilius apud Livium: quem alii generum regis Tarquinii, alii filium generis fuisse tradiderunt, eodem Dionysio auctore, libro sexto. REGILLUS autem lacus, quem in agro Tusculano collocat Livius λίμνη est Ρηγίλλη eidem Dionysio.

Donec Postumius.] Cui prænomen est Aulus apud Livium, & Dionysium: quippe consul fuit, & dictator anno Vrbis ducentesimo quinquagesimo octavo. Istorum autem stratagematum Postumii & Cossi non meminit Titus Livius. POSTUMI sunt cognominati, qui post mortem patris, ac post humatum patrem suum nati essent. Multi ergo ab humo factum nomen id existimaverunt, & per h scribendum censuerunt, & qui sunt, inde dicti POSTHUMII: verum Posthumii isti Romanum cognomen, POSTVMII sunt in antiquis marmoribus sine spiritu sicut Ποστούμιοι leguntur scripti in Dionysii, & aliorum Græcis.

Cossus equitum magister] Quem ex Cossis magistrum equitum recordor equis frænos, in pugna detraxisse, quo, calcaribus subditis, liberiore cursu equitem in hostem ferrent, is est Aulus Cornelius Cossus apud Livium libro quarto, sed qui hoc fecerit non in hoc bello, verum in Fidenate, non Postumio aliquo, sed Aemilio Mamerco dictatore, ad annum

annum Vrbis trecentesimum vicesimum octavum, & sic plus septuaginta annis post Latinorum Tarquiniorumque bellum. Hoc autem bello, qui magister equitum fuit, eum non nominat Nepos. qui ejus strategematis meminit: sed pro Cosso Titum Ebutium appellat Livius libro secundo, & Τίτον Αἰβούτιον Ἔλβαν, hoc est Titum Aebutium Elbam, Dionysius libro sexto. Livius porro, uti diximus, horum strategematum mentionem non facit. Dionysius alterius tantum meminit: qui dictatori Postumio ascribit, quod hic auctor & Nepos equitum magistro attribuunt.

Pactusque victoriam.] Non debuit, puto, Camers scribere nactus pro pactus. Paciscimur enim cum diis, ut arbitror, promittimus, vovemus aedes & hecatomben, non jam nacti victoriam, sed ante ipsam pugnam, aut in ea media, ut nobis sint auxilio contrà hostes nostros. Planè autem, pro sanè antiqui libri.

21 *Terrori fuerunt.*] Quid ni fuissent vicinae civitates, magnitudine, & viribus, nihilo tunc inferiores?

Satricum atque Corniculum provinciae.] Provinciae, quas Festus appellatas tradit, quod populus Romanus eas provicisset, id est antè vicisset, dicebantur propriè regiones extra Italiam bello acquisitae. Satricum autem & Corniculum Livio, Plinio & aliis, in Latio ponuntur parte Italiae, in quo & Roma. A Satrico Satricani dicti, sicut & à Corniculo Corniculani: quae nomina apud Poëtas legere non memini, sed Satricus quidam Sulmonensis duas priores syllabas corripit apud Silium libro nono. Et Corniculum à cornu diminutum diceres, quod Κορνίκολον est penultima brevi apud Dionysium libro tertio.

De Veiis & Boetellis.] Antiqua lectio, & Jornandis, de Verulis & Bovillis pudet. VEJI, Etruriae civitas unde Vejentes & Vejentani: de quorum bello mox audies. BOVILLAS sic celebrat Propertius in primo carmine libri quarti:

Quippe suburbanae, parva minus urbe Bovillae:
Et qui nunc nulli, maxima turba Gabii.

Cornutus Persii interpres. BOVILLAE sunt vicus ad duodecimum lapidem Appiae viae: quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus jam consecratus, ibi comprehensus est, inde Bovillae dictae. VERVLAE nomen non multò clarius apud Hernicos, haud procul Roma: unde Verulani apud Livium & Plinium.

Quod Taphrae nuper.] Comparantur hic illorum res gestae, qui fundamenta imperii Romani in Latio & Italia jecerunt, cum illorum rebus gestis, qui postea domito jam ab illis Latio, Italiáque universa, maximas quasque exteras gentes bello petierunt, & subegerunt. FAESULAE urbs est Tusciae regionis Italicae, Φαισοῦλαι apud Ptolemaeum & Dionem, media syllaba diphthongo longa: sed quae brevis sit tam apud Polybium libro secundo & tertio, quàm apud Silium Italicum libro octavo: qui eam urbem singulari numero efferunt, ille Φαισόλαν, hic faesulam appellans,

lans, ut in nostris quidem exemplaribus hoc nomen scriptum. Sed de Fætula quædam Angelus Politianus in epistola secunda libri primi. TAPHRÆ sunt alibi aliæ: Vadianus has esse scribit Taphras, quas Plinius li. quarto in Tauricæ Chersonesi angustiis ponit, & quas hîc significet Lucius Annæus fuisse à Trajano Augusto bello captas: sed id sine auctore, Pomponii Melæ interpres. Burdigalensis autem codex, & impressorum antiquissimi, Capreæ habuerunt pro Taphræ, & Jornandes Carræ. Capreas ego non novi alias, quam insulam Campaniæ contrà Neopolim, solo fere Tiberii Cæsaris successu nefando claram: quæ hîc legi non possunt. Carræ potius legerim cum Jornande, ut sit ea Mesopotamiæ urbs ubi à Parthis cæsus fuit Marcus Crassus cum filio Lucio Crasso & exercitu, ut referetur libro tertio. ARICIA Straboni, Stephano, & reliquis Græcis Ἀρικία, & Ἀρίκεια, non Ἀριτία, sicut à multis imprimitur Aritia, urbs fuit Latii, Appia via, à Roma centum & sexaginta distans stadia, auctore Strabone libro quincto, quæ sunt viginti milliaria, vix quinque leucæ Aquitanicæ. Producit autem Aricia secundam syllabam: Aricinus etiam tertiam, ut apud Statium in carmine primo libri tertii Silvarum:

Fumat Aricinum Triviæ nemus.

Plura Strabo ibidem de Aricina silva, & Servius in Librum sextum Aeneidos. Silvam autem illam suam nescio quomodo Germani veteres appellarunt: quæ erat HERCINIA, & Herquinia in nostris vetustis exemplaribus: quam Apollonius quarto Argonauticorum, Strabo, & Suidas ἑρκυνίαν, id est Hercyniam vocant: Ptolemæus Ὀρκυνίαν, id est, Orcyniam, post Eratosthenem, & quosdam alios Græcos. Cæsar in commentario sexto belli Gallici Hercyniam sylvam describere voluit. Apollonii vetus interpres ἑρκύνιον & montem & silvam esse dicit, & Κελτῶν, sed antiquiores Græci, Celtorum vocabulo tam Germanos quam Gallos aliquando acceperunt. FREGELLAE, Φρέγελλαι sunt, & Φρέγελλα, apud Græcos: quarum primam syllabam etiam corripit Silius multis locis, & secundam producit. De Fregellis autem, & earum Fregellanis quædam Paterculus, plura Livius. Vicus erat, Strabonis, id est Augusti Cæsaris temporibus, urbs quondam clara in Latio ad Lirim fluvium. GESORIACUM, scribitur & Gessoriacum tam hîc, quam in Claudio Suetonii, at apud Ptolemæum Γισοῤῥιακὸν, hoc est Gisorrhiacum. Est pagus Gessoriacus duplici quoque consonante ss apud Plinium: est & Gessoriacum littus. Gesoriacense unico s, in panegyrico Maximiano Cæsari dicto. Ptolemæo Gisorrhiacum, Morinorum gentis Belgicæ navale est. Hoc quid sit loci in ea extrema Gallia ex itinerario veteri cognosci, puto, non potest. Beatus Rhenanus libro tertio rerum Germanicarum, non dubitat, quin sit, quæ nunc Bononia dicitur, Galliæ Belgicæ urbs maritima: de qua in librum quartum: sed aliud Hadrianus Turnebus capite vicesimo octavi Adversariorum, licet non procul ipsa Bononia. Gesoriaci autem quæ hîc à Romanis gesta fuisse significantur, ea esse puto, quæ in extremo libro 4. attin-

gentur: quum ea perstringentur, quæ Octaviano Augusto Imperatore, gesta fuerunt in Germania & Gallia. Ibi Gesoriacum rursus nominabitur.

Quod Tigris, quod Euphrates.] Hic legendum arbitror, sicut apud Jornandem. Tiberis, quod Euphrates: Tiberis, qui & Tibris, & Tiberinus. Italiæ est: Eufrates sive Euphrates, Asiæ fluvius: qui cum Tigride altero fluvio Mesopotamiam includit.

Coriolos quoque (pro pudor) victos ac eo gloriæ fuisse, ut captum oppidum.] Vetusti codices, Coriolus quoque, pro pudor, victus adeo gloriæ fuit, ut captum oppidum. Corioli plurium numero oppidum illud Volscorum, apud Livium, Eutropium, & alios: sed potest Lucius Annæus hoc loco Coriolum dixisse ipsum Coriolanum sive Coriolensem populum.

Nomini indueret.] Legitur &, nomini induceret. Scribit autem Titus Livius in extremo libro tricesimo, Scipionem, Africanum superiorem, nomine victæ ab se gentis primum fuisse nobilitatum.

22 *Quæ Mænius.*] Mænius, Mœnius, Menius, etiam apud Livium hic scribi solet: qui primam diphthongorum adhuc retinuit in veterum Romanorum marmoribus. Ejus etiam, & collegæ quoque nomina corrupta reperimus apud Diodorum Siculum in principio libri septimidecimi. Illa autem gessit contra Antiates Cajus Mænius, quum esset consul, *Lucio* Furio Camillo collega, anno ab Urbe condita quadringentesimo decimo & sexto. ANTII oppidi tertia litera vel in antiquis marmoribus est T, & Ἄντιον Græcis scribitur. Inde dicta Antiates: abs quorum navium rostris, locus Romæ dictus ROSTRA.

Navale bellum fuit.] Sic & Jornandes. Antiquissimus codex bellum non habebat. ÆQUI prima diphthongo scribuntur etiam in Romanis marmoribus. In iisdem VOLSCI, qui Vulsci u pro o in membraneis codicibus.

Marci Minucii.] Et apud Zonaram Marcus est hic: sed Lucius Minucius apud Livium tertio, & Dionysium decimo: Manlius & Manilius pro Minucio in antiquis codicibus, & Mallius apud Jornandem. Consul autem hic erat anno Urbis ducentesimo nonagesimo sexto. Lucius Minucius Augurinus.

Fides numinum.] Legitur & fide, sicut etiam Jornandes habet. Libro tertio de Cimbrico bello: qua fide numinum prœlio oppressit. Qui locus mendi suspicione non vacat apud me.

Peractiimque bellum: prorsus ut festinasse.] Antiqua lectio: peractumque prorsus est bellum, ut festinasse.

23 *Trecenti & sex.*] Scimus hunc Fabiorum fuisse numerum, ex Ovidio, Livio, Orosio, & aliis: sed antiqui tamen libri & Eutropius noster habuerunt trecentos duntaxat.

XII *Apud Cremeram.*] Fluvium: cujus duas priores syllabas etiam Græci corripiunt, Κρεμέρα scribentes.

Eam namque Furius Camillus, vir.] Erat hic quidem Marcus Furius Camillus, tribunus militum consulari potestate, anno Urbis trecentesimo & sexa-

sexagesimo, sed imperatorem tamen non nominabant vetusti codices. In quibus neque duo illa verba, Veientes fuere, fuerunt: Hoc tunc Veientes fuere: sed in illis vera pro Veios.

Fabius consul.] Hoc anno Urbis trecentesimo & sexagesimo quincto Roma non consules, sed tribunos militum pro consulibus habebat. Vide Livium libro quincto. XIII

Non Cremera fœdior.] Non temere fœdior, Jornandes, & libri antiqui. Vide Plutarchum in Camillo.

Agunt movent exinde certamen.] Neque vetusti codices nostri, neque Jornandes verbum *movent*, habuerunt: qui sic scribebant. Ferocius agunt exinde certamen.

Jampridem.] Jamprimum &, Quamprimum antiqua lectio, & Jornandis. 28

Qui solenne.] Hoc nomen à SOLLO, quod lingua Oscorum gentis Campanæ solum significat, & ab anno ductum tradit Festus Pompejus: ceterum id undecunque factum sit, non solenne, uti nunc ubique imprimitur, neque solempne sive solemne, sicut in sacrarum precationum libris primum puer scriptum vidi: sed SOLEMNE est, L tertia, quartáque M, sexta, & N septima verbi litera, in antiquissimo marmore, quod omnium pedibus obteritur Burdigalæ in intima sodalium Carmelitarum æde. 29

Obsidione sua.] Obsidio sua, recto casu, legendum, ex Jornande, & veteribus libris.

Superbe victos increparunt.] Antiqua exemplaria victis, pro victos. Scripsit fortasse auctor, superbè væ victis increparent. Nam volunt historici, Gallorum ducem Brennum, quum Romanorum aurum ponderibus iniquis addito etiam gladio & baltео suo, penderet, dixisse Romanis in altercatione, VÆ VICTIS: quam vocem in proverbium postea abiisse, Erasmus meminit Chiliadis secundæ centuria sexta, ex Plutarcho, & Festo Pompejo. Titus Livius libro quincto. Auditáque intoleranda Romanis vox, VÆ victis. sed dii, & quæ sequuntur.

Pro ipso tanta.] Præpositio non fuit in vetustis libris.

Manlius.] Titus Manlius. Hæc refert gesta Livius libro septimo, Cajo Sulpicio, Cajo Licinio Calvo consulibus, anno, ut putatur, Urbis trecentesimo & nonagesimo tertio. 30

Insidente galeæ satyria alite.] Antiqua lectio, insequente Gallo, pro insidente galeæ: sacra alite, pro satyria alite: Jornandes, insidente galeæ sacro alite. Quæ avis in quibusdam etiam impressis exemplaribus satyra est, pro satyria. Ita autem spero nullum cotvi genus brevi futuram satyram, & satyriam istam: quam hic tantum legerant Rhodiginus, & quidam alii novi grammatici. Hoc porro tradunt factum Lucio Furio Camillo, Appio Claudio Crasso consulibus: quem putant annum Urbis quadringentesimum quinctum. Aulus Gellius libro nono. PONTINUM autem agrum, POMPTINUM reperi scriptum apud Livium libro septimo: sicut Pomptinam IV

paludem, & Pomptinas paludes in epitome Livii, in Plinii naturali historia, & apud Juvenalem pleraque scribunt exemplaria: quam Nicolaus Perottus Pontinam vocat, in Volscis sitam, à Roma circiter quadraginta millia passuum distantem. Sic Romanos illos, alibi Pomptinos per mp, Pontinos alibi per nt, scriptos invenies: & unam illam ex triginta quinque Romanis tribubus Pomptinam & Pontinam scribant nostra exemplaria: quam à Pontia urbe quadam esse dictam, n & t tertia & quarta nominis litera, in laceris Festi Pompeji reliquiis legimus.

Nec non tamen post aliquot annos.] Sic & apud Jornandem legitur: sed in antiquis libris Tandem, pro, Necnon tamen. Anni autem hi aliquot, sunt circiter septuaginta, Anno nanque Urbis quadringentesimo septuagesimo primo hæc gessisse Publius Cornelius Dolabella putatur, consul cum Cnæo Domitio Calvino. Cognosces autem ex Eutropio libro secundo, Orosio libro tertio, & Liviana epitome libro duodecimo, & Polybio libro secundo, Gallis in hoc bello socios affuisse multos Italiæ populos, Lucanos, Bruttios, Samnites, Etruscos.

In Etruria ad lacum Vadimonis.] Apud Livium libro nono leges ad eundem lacum à Romanis cæsos fuisse Etruscos ad annum Urbis quadringentesimum quadragesimum quinctum. Plinius Vadimonis ejusdem meminit secundo Naturalis historiæ, & Seneca tertio Naturalium quæstionum, & Cato in originibus. Describit alter Plinius in epistola ad Gallum libro octavo. Polybius secundo Οὐάδμονα, penultima brevi appellat aut Polybii librarius. Obliqui casus ubique, rectus nusquam, quod meminerim. Leander Albertus Italiæ descriptor, vix agnoscit hodie lacum hunc: & de illo dissentit à Blondo.

XIV *Decio Mure.*] Sic libri veteres Mure pro Murena: uti hunc & ejus filium
31 Mures duos Decios appellavit Lactantius libro tertio Divinarum Institutionum. Erat autem hic annus post Romam conditam quadringentesimus decimus & quartus.

XV *Primum ante.*] Antiqua lectio, primam antè aciem. Vide Livium octavo.

32 *Sed Curio Dentato Consule.*] Anno Urbis quadringentesimo sexagesimo quarto.

Qua Nar ambit, fontesque Velini.] Quibus otium est versus hexametros numerare apud Titum Livium, hi versum ejusmodi hoc etiam loco sentirent, Virgiliano hemistichio notabilem. Est nanque libro septimo Æneidos versus,

Sulfurea Nar albus aqua fontésque Velini.

De hoc ergo Nare fluvio, & de Velino lacu ejúsque fontibus; quæ hic opus tibi fuerint, cognosces ex Strabone, Plinio, & Servio: in cujus commentario legendum, Velini lacus fontes ultrà Interamnam esse in Sabinis.

XVI *Fecerant.*] Anno Urbis quadringentesimo & duodecimo, apud Livium septimo.

Digitized by Google

Liberi, Cererisque.] Sic & Jornandes: sed nostri veteres libri, Veneris pro Cereris. 33

Quædam maris ostia] Legitur, & otia pro ostia. Lacus duo, & sinus maris, Lucrinus, & Avernus.

Vesubius.] Vesubius idem & Vesevius, Vesebius, Vesujus, Vesbius.

Herculaneum.] Sic scribitur hoc & apud Livium in extremo libro decimo, quod est Herculanium, i pro e, pænultima syllaba. apud Plin. tertio. ἡράκλειον vocat Strabo libro quincto: quod nomen idem significat cum Herculaneo. Nam ab Hercule, qui Græcis ἡρακλῆς dicitur, facta Herculeus, & Herculaneus idem sunt, quod ἡράκλειος, nomen ab illo ἡρακλῆς derivatum & quæ Græcis ἡράκλειαι id est Heracleæ, sive Heracliæ civitates appellantur, eas rectè Herculeas & Herculaneas dicere possis. Fuerunt autem hæ multæ. Viginti tres numerat Stephanus, quarum una Campaniæ hîc celebratæ: quæ urbs eadem fuit cum Herculaneo, siquid Perotto, homini multa, sine ratione auctoréque tradenti, credimus.

Pro hac urbe iis regionibus.] Jornandes, pro hac urbe, & his regionibus. 341

Aureis & argenteis armis, & discolori veste usque ad ambitum armatam.] Sic & apud Jornandem legitur. Altera lectio, aureis & argenteis armatam. Istorum autem armorum, & tunicæ versicoloris meminit Livius libro nono: quum res à Romanis gestas Quincto Fabio, Publio Decio Mure consulibus, anno ab Roma condita quadringentesimo quadragesimo quincto refert.

Si insidiarum fallaciam.] Insidiarum non fuit in antiquis libris, neque apud Jornandem. Ubi & sacris pro sacratis. Meminit autem istius sacri ritus Livius eodem libro, & decimo, exponens, quæ gesta fuerunt Lucio Papirio, Spurio Carvilio consulibus anno Urbis quadringentesimo sexagesimo primo.

Hos tamen quinquaginta annis.] Quadraginta novem pro quinquaginta Eutropius libro secundo, & Orosius tertio. Camers legit octoginta pro quinquaginta, quot invenit annos in prooemio Appiani, propter illos viginti quatuor triumphos: sed vel viciesquater uno anno istis, puto, licebat, si lubebat, de eadem gente semel victa triumphare. Consul Varro apud Livium in principio libri vicesimi tertii, dicit Romanos cum Samnitibus per centum prope annos belligerasse. Ita fortasse neque Appianus subtilem annorum computationem ibi facere voluit. Titus Livius scribit libro septimo adversum Samnites mota esse primum arma Marco Valerio Corvino tertium, Aulo Cornelio Cosso consulibus, quem putamus annum Urbis quadringentesimum & undecimum. Eutropius verò auctor est, ei bello finem imposuisse consules Lucium Cornelium Rufinum & Marcum Curium Dentatum: quorum consulatum putamus incidisse in annum Urbis quadringentesimum sexagesimum quartum. Si hæc ergo vera sunt tempora initii & finis hujus belli Samnitici, id non plus quinquaginta tres annos duraverit.

Per Fabios & Papirios.] Apud Titum Livium octavo, nono, decimo, undecimo, multi Fabii, & Papirii cum Samnitibus belligerantes. In iis Quinctus Fabius Gurges, pater, & filius: Lucius Papirius Cursor, pater item, & filius, modo consules, modo dictatores.

Apud Caudinas furcas.] Furculas appellabant istas furcas antiqui codices, & Jornandes, sicut & Titus Livius in principio libri noni. eidémque Livio Caudium, Græcis Καύδιον dicitur oppidum Samnitium, unde Caudinæ illæ appellatæ furculæ. Annus autem hîc Urbis quadringentesimus tricesimus tertius.

XVII *Populus Romanus cum singulis.*] Vetusti codices, populus Romanus bellum cum singulis.

Etruscorum duodecim populi.] Unde duodecim Romuli lictores profectos suspicatur Livius primo.

A latere Etruriæ.] Jornandes, Late per Etruriam infesta quæ.

Ciminius interim saltus.] Obliquus legitur Cimini apud Silium libro octavo, idémque apud Virgilium libro octavo Æneidos:

Et Cimini cum monte lacum, lucósque Capenos: qui, dubito, an sit integer. Servius in commentario, si nihil est mendi, Ciminum inde alium obliquum dixit: at montem Livius libro nono, Ciminium, quatuor syllabis: λίμνην, id est, lacum, Strabo, libro quincto, etiam quatuor syllabis Κιμινίαν, hoc est, Ciminiam. Silva verò ejus lacus & montis, apud eundem Livium, Plinium, hunc Senecam, ubique quatuor syllabarum est. Silva erat Ciminia, inquit Livius libro nono, magis tum invia atque horrenda, quam nuper fuere Germanici saltus, nulli ad eam diem ne mercatorum quidem adita. De Hercynio Germaniæ saltu quædam supra annotavimus. Plinius, Ptolemæus, Dio, & alii, Calidoniorum meminerunt, populi Britannici, & CALIDONIÆ silvæ, qua parte ejus insulæ, nunc est Scotia. Scribunt autem Græci secundam hujus nominis syllabam per η vocalem longam, quæ e longum est apud Latinos: unde & exemplaribus Latinis Caledonios leges interdum pro Calidoniis, veluti libro sexto Pharsaliæ Lucani:

Unda Caledonios fallit turbata Britannos.

Sic enim habet impressus codex noster: scripti calamo vetustissimi Calidonios. Calydonia autem silva, & sus Calydonius per y, a Calydone est dicta oppido Ætoliæ; quod nomen duas priores syllabas corripit, tertiam producit.

Omnia refert. Tum sic.] Jornandes hoc loco legerat, ut arbitror, speculatus omnia, refert tutum iter. Sic Fabius Maximus. Idem habet explicuit, pro explicavit: & suo jure, pro suo more.

In terrigenas.] Γηγενεῖς, gigantes. Hesiodus in Theogonia.

Alter consulum Decius.] Erat annus Urbis quadringentesimus, & quadragesimus sextus: quum Romani Ciminiam silvam primum transierunt; Quincto Fabio Maximo Rutiliano consule tertium, imperatore. Quo anno alter

Digitized by Google

iter consulum fuit Publius Decius Mus quidem, sed quo anno hic se post patrem diis Manibus devovit, annus erat Vrbis quadringentesimus quinquagesimus nonus, quum quartum consul esset ipse, & Fabius ille quinctum.

Apulos atque Lucanos.] Apulus & Apulia, regio Italiæ, primam syllabam ubique, puto, producere invenirentur, nisi Apulia eam corripere existimaretur apud Horatium in carmine quarto libri tertii. Antiquæ triumphorum Romanorum tabulæ, in APVLIS nihil geminant: sed vidi, qui geminata secunda litera hæc scriberent nomina, quotiens in iis primam syllabam apud poëtas longam reperirent: sicut in APPVLEIO vetusta marmora faciunt: undecunque originem trahat. Quod vero ad secundam syllabam attinet, quæ in Strabonis, & aliorum Græcis diphthongus est, ut in omnibus nostris exemplaribus ἄπουλοι & ἀπουλία scribuntur: ea in Apulia semper longa invenitur: quæ in Apulo brevis ubique. Horatius sermone quincto libri prioris: XVIII 37

Incipit ex illo montes Apulia notos.

Lucanus versu trecentesimo & octogesimo quincti Pharsaliæ.

Apulus Adriacas exit Garganus in undas.

Persius satyra prima.

Nec linguæ, quantum sitiat canis Apula, tantum. Silius versu quingentesimo sexagesimo quarto quarti.

Apula non vana torquebat spicula dextra.

Tarentus iam.] Sciolus quispiam locum hunc corruperat, quum existimaret Tarentum neutro tantum genere dici. Sed &, Iam Tarentinus, pro Iam Tarentus, impressum fuit libro secundo, in relatione secundi belli Punici.

Aphricam.] Hanc regionem & ejus incolas ego per f Africam, & Afros scribere soleo. Qui Aphros & Aphricam per ph scribunt, ij si Græca vocabula esse putant, vereor, ut ne satis sapiant.

Positum urbis theatrum.] positum majus theatrum, antiqui libri. Duo fortasse habuit theatra Tarentus.

Exhinc bellum.] Et hinc bellum, Iornandes.

Apud Heracleam, & Campaniæ fluvium Lirim.] Huic Liri & Glanicus nomen fuit auctore Plinio libro tertio Naturalis historiæ: quem Italiæ & Latinorum fluvium, qui Lyrim scribunt, nescio, unde Græcum esse nomen compererint. Is Græcis ipsis, Ptolemæo, Appiano, Straboni, Dionysio, Λύρις non est, sed ubique Λεῖρις, aut Λῖρις pro Λεῖρις vel Λῖρις, postquam prior illa syllaba erat longa apud suos, ut ex Martiale, Silio, Lucano, Horatio, cognosces. Dionysius autem, Plinius, Solinus, & alii, auctores sunt, Latium antiquum Tiberi à Septentrione, Liri à Meridie, Campaniaque terminatum fuisse qui fluvii ex Appenninis montibus orti, in mare Tyrrhenum exeant, centum circiter milliariorum intervallo: Liris apud Minturnas, Tiberis apud Ostiam, Romanas utrasque colonias.

Quæ

Digitized by Google

Quæ porro fuerit hæc Campanorum Heraclea, apud quam à Pyrrho cum Romanis primum esse pugnatum Lucius Annæus hic, & Paulus Orosius dicunt, non satis comperi. Strabo & Plinius, in extremâ Italia inter amnes Sirim & Acirim procul à Campania & Liri eam ponunt Heracleam, circa quam Romanos cum Pyrrho primum esse congressos Plutarchus scribit. Erat autem Urbis annus quadringentesimus septuagesimus quartus, quum fuit victus à Pyrrho consul Publius Valerius Levinus: qui in antiquis marmoribus LÆVINUS primâ diphthongo: Albinus mendose pro Levino apud Plutarchum, ut in Eutropii commentario monuimus.

Præfectus invectus] Antiqui codices hujus præfecti nomen interjiciebant Obsidius & Offidius: sed Obsidius per b Jornandes scribit, & antiqua Patavii marmora. Plutarchus Oplacum vocat, id est, ὄπλακον, τῶ γένει φρεντανόν. Sic trisyllabum est apud Plutarchum, gentis Italicæ nomen. De quo, vide, siquid habet comperti Hermolaus Plinii castigator.

Et novo odore.] Legitur & novo colore, pro novo odore: sed Livius tricesimo de Carthaginensium elephantis. Ad quorum stridorem odoremque & aspectum territi equi; vanum equestre prœlium fecerunt. Idem de elephantis, locis aliis multis idem Livius.

53 *In Apulia, deinde apud Asculum*] Hoc fortasse ita distinguendum: in Apulia, deinde apud Asculum: ut duobus & hic locis pugnatum accipiamus, in Apulia, & in Piceno ad oppidum Asculum. Plutarchus Asculani prœlii meminit. Asculum autem hoc, Græcis duabus tantum syllabis appellatur, ἄσκλος, & ἄσκλον, sicut habet Stephanus.

Curio Fabricióque consulibus.] Non fuerunt hi simul consules, sed Cajus Fabricius cum Quincto Æmilio, annis duobus post Lævinum: & Manius Curius Dentatus cum Lucio Cornelio Lentulo annis tribus post Fabricium & Æmilium.

Cujus Minucius] Cajus Numicius, ut arbitror, in libro vetustissimo.

Unius proboscide abscissa.] Plinius octavo Naturalis historiæ, de elephantis. Promuscidem eorum facillime amputari, Pyrrhi prœliorum experimentis patuit. Ita ex Græcorum proboscide promoscis & promuscis in plerisque Latinis exemplaribus. Dicta autem προβοσκὶς vel Nonio Marcello teste, quod ante depascat, composito nomine ex πρό, & βόσκεσθαι. Elephanti nasus est, quo & pro manu utitur: unde manum etiam appellant: sicut Orosius quarto eandem referens historiam. De proboscide plura Aristoteles secundo de partibus animalium.

Lucaniæ suprema pugna.] ubi à Marco Curio Dentato consule, quem Manium pro Marco vocant marmora Romana, & Plutarchus in Pyrrho, victus fuit Pyrrhus, anno Urbis quadringentesimo septuagesimo nono. Scribit Plutarchus, quod Pyrrhus, quum partem suarum copiarum misisset in Lucaniam (regionis Italicæ hoc nomen) contra Lentulum alterum consulem, quia ad Curium veniebat, ipse cum reliquo exercitu Curium aggressus est, qui collegam apud Beneventum expectabat: atque ibi victus. BENEVENTUM autem Plinius Irpino-

Irpinorum coloniam dicit: Ptolemæus Samnitium civitatem facit, Servius Apuliæ. ceterum Samnites, Apuli, Lucani, & alii illic sunt populi confines, atque adeò confusi, ut eorum omnium sedes Strabo vix possit certis finibus distinguere. ARUSINI autem campi, qui f pro ſ habebant in uno antiquorum librorum, Aurusini sunt, prima syllaba diphthongorum tertia, in Orosio meo: Subarri apud Jornandem. Hos ego aliunde non novi. Taurasinos quosdam in eodem Italiæ tractu memorat Livius libro quadragesimo: ubi sic legitur. Ager publicus populi Romani erat in Samnitibus, qui Taurasinorum fuerat.

Quasi vindicatura exiluit.] Quasi vindicaret, exiluit. quasi vindicaret, exhibuit. Jornandes, seque quasi vindicare vellet, exhibuit.

O quam facile erat.] Hunc locum nescio quomodo intellexerit Camers, qui dato subaudiendum putavit. Ejus sensum & ordinem hunc esse arbitror. Facile erat regi Pyrrho, orbis imperium occupare, si Romanos milites habuisset: aut facile Romani poterant totum orbem terræ domare & subigere, si rex & dux illis fuisset Pyrrhus. 41

Curius remisit.] Non Curius, sed Fabricius apud Ciceronem, Livium, Valerium, Plutarchum, Gellium, Eutropium, & alios. Infra autem non omnes libri virtute, sed quidam militia, pro militum. 42

Et à vicesimo lapide.] Vide Eutropii breviarium, & commentarium nostrum. 43

Brutius Apulus.] Brutus viri proprium, & brutum animal, t non geminant, quod sciam: sed Brutii ultimæ Italiæ gens, qui Græcis dicuntur Βρέττιοι gemino t, & Βρέντιοι, ν pro t, priore, teste Eustathio: Dionysii poetæ Geographi interprete, hi sunt BRUTII, geminata consonante illa in veteribus monumentis undecunque originem trahant.

Tarentinæque delitiæ.] Tarentinæque lautitiæ, Jornandes.

Sempronio duce.] Publio Sempronio Sopho consule, anno Urbis quadringentesimo octogesimo sexto. LL. autem geminant in Romanis marmoribus SALLENTINI, & primam producunt apud Virgilium. XIX.

Marco Atilio duce.] Quum esset consul, anno Urbis quadringentesimo octogesimo septimo. XX.

Volsini.] Oppidum hoc apud Plinium avunculum, & apud Nepotem: XXI.
quod Straboni & Ptolemæo Οὐολσίνιοι appellatur. Ita autem Græcos auctores tetrasyllabum est Volsinium, sicut trisyllabi hi Volsini, tetrasyllabi plerunque reperiuntur Volsinii, A Volsinis ergo facti videbuntur Volsinenses, à Volsiniis Volsinienses apud Livium, Plinium, & reliquos, ut in his nominibus variant exemplaria. Adhæc o in u mutat interdum nomen hoc, & c post ſ nonnunquam assumit. Sunt autem hi in Romanis marmoribus VULSINIENSES, quinque syllabis, & U primæ syllabæ vocali. 45

Quæ Fabio Gurgite.] Quinctus Fabius Maximus Gurges, consul tertium, Lucio Mamilio Vitulo collega anno Urbis, utputo, quadringentesimo

tesimo octogesimo nono, contra Vulsinienses missus fuit: ibique vulneratus periit, quomodo refert Zonaras. Insequenti verò anno, finem bello imposuit, & triumphavit de Vulsiniensibus Marcus Fulvius Flaccus consul, ut est in illis magistratuum triumphorumque Romanorum tabulis, in foro Romæ nuper repertis. Quod autem in libro de viris illustribus legitur, Decium quendam (qui illic Murena pro Murc scribitur, ut istorum Deciorum cognomentum passim ab imperitis corrumpi solet) Vulsiniensium servos castigasse: hoc quid sit, divinare non possum: nisi forte hic in occisi locum missus, aut utriusque consulis legatus, in eo bello multa præclarè gesserit. Alterius autem Vulsiniensis belli triumphi per Tiberium Coruncanium ante annos quindecim acti, mentio fit in iisdem tabulis marmoreis.

XXII. *Ac ferbuit.*] Hoc præteritum à ferveo mutaverant in fremuit. in ferbuit
46 potius illi mutassent. Sic autem infervuit & infervuerunt legere memini alicubi apud Cornelium Celsum de fungis.

Posthumium imperatorem.] Marcum Postumium Regillensem, tribunum militum consulari potestate, anno Urbis trecentesimo & quadragesimo primo, apud Livium libro quarto.

Sub Appio Claudio.] Consule, anno Urbis ducentesimo octogesimo tertio. Livius secundo, & Dionysius Halicarnassensis nono.

Duce Volerone.] Hic est βολέρων apud Dionysium libro nono, id est Bolero, duabus prioribus syllabis brevibus. Antiqui libri habebant, duce Val. Nerone, & Valerio Nerone, sed apud Livium etiam Bolero scribitur hic seditiosus. Res autem hæc fuit gesta anno Urbis ducentesimo octogesimo primo.

Ut Coriolanum.] Anno Urbis ducentesimo sexagesimo tertio. Livius libro secundo, & Plutarchus.

Ut ipsum Camillum.] Anno ab Urbe condita trecentesimo sexagesimo tertio. Idem Livius quinto, & Plutarchus.

XXIII. *Prima discordia.*] Anno Urbis ducentesimo quinquagesimo nono. Livius
47 secundo.

48 *Menenii Agrippæ.*] Ita vetusta marmora, Liviana, & alia Latina exemplaria hunc vocant. qui est apud Dionysium, & Zonaram modo Μενίνιος, modo Μενίνιος Ἀγρίππας id est Menenius, & Meninius Agrippa.

XXV. *Matrimoniorum indignitas.*] Antiqui libri, dignitas, ut paulo post, nata-
49 lium dignitas. Rem hanc narrat Livius in principio quarti, gestam anno Urbis trecentesimo nono.

XXVI. *Quod historiæ virgæ.*] Mos erat, ut consul, aut siquis alius magistratus fascibus honoraretur, quum se domum reciperet, lictor forem percuteret. Plinius septimo Naturalis historiæ, de Pompeio & Posidonio, ac Livius sexto: ubi narratur hæc res de uxore Caii Licinii Stolonis: qui primus ex plebejis, post decimum tribunatum plebis, consul factus est, anno Urbis trecentesimo & nonagesimo.

Nullius

Digitized by Google

Nullius acrior custos.] Nullius, id est, nullius rei alterius: quomodo apud Horatium in arte poëtica. 50

—— Præter laudem nullius avaris.

Sic nullo, pro nulla re alia, libro tertio de bello Gallico. NIHIL enim, quod pro substantivo nullum, usurpatum videtur, non aliis puto casibus in usu est, quam nominativo & accusativo. Qui ergo ejus obliquis opus habuerunt, pro illis usurparunt obliquos nominis, cujus vicem gerere videbatur. Sed simplex etiam ULLIUS pro substantivo aliquando positum legere meminimus. Livius secundo. Nemo ullius, nisi fugæ, memor.

Spurium Cassium.] Consulem anno Urbis ducentesimo sexagesimo octavo. Livius secundo.

Mælium largitione.] Melium, & Mœlium sæpius nostra exemplaria: sed MÆLIUS, prima diphthongo nomen hoc, puto, in Romanis marmoribus.

Quinctii dict.] Lucii Quinctii Cincinnati apud Livium quarto.

Servilius Ahala.] Sic AHALA in antiquissimis fastis marmoreis: ac ita in vetustis libris interdum. qui vulgo Ala, & Hala. Erat autem annus Urbis trecentesimus & quinctusdecimus, quum hæc gererentur.

In librum secundum.

PRope quingentesimum annum agens.] Annum Urbis Romæ quingentesimum Romana marmora numerant, quum essent consules Cnæus Servilius Cæpio, & Cajus Sempronius Blæsus, ad annum duodecimum primi belli Punici: quod initum scribunt Appio Claudio Pulchro, Marco Fulvio Flacco consulibus, anno Urbis quadringentesimo octogesimonono. Prooem.

Opulentissimam prædam.] Siciliam, insulam ditissimam.

Ut quatenus nec mari jungi, nec pontibus posset.] Esse QUATENUS. & QVATINVS, Festus, Caper, Fronto, vetustissimi grammatici sunt auctores qui dicunt quatenus respondere illi, quod est hactenus, & eatenus, esseque adverbium temporis ac loci, quod pro qua fine, & in quantum sumatur. quatinus verò per i tertiam vocalium conjunctionem esse, quoniam significantem. Quod discrimen si Latini homines observaverunt, profecto librarii locum hunc corruperunt, & illum in extremo capite de bello Punico tertio ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat: in quibus legendum fuerit quatinus per i, non quatenus. quomodo Laurentius Valla legit in epistola Plinii ad Caninium Rufum libro tertio. Et quatinus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur, ubi nostra exemplaria quatenus habent per e. Est verò & hoc loco etiam aliud vitium. Insulam posses quidem continenti pons jungere: sed mare quomodo id faciat, quum disjungat? Simeo Bosius, patritius Lemovi- II.

censis: quo non invenias, qui sagacius odoretur. si quid mendi lateat in Latinis, Græcisque autoribus, & felicius restituat, is erat Burdegalæ, quo tempore Imberti Condomiensis librum conferebam: & quia crebro invisebamus inter nos, communicabamusque de studiis nostris, forte supervenit, quum locus hic me exerceret. ubi non solum manu, sed etiam formis exarata vetustissima quæque exemplaria mare scribebant, pro mari. Eosium ergo rogavi, ut hic mihi, & litteris aliquid daret operæ. Membranas statim meas sumpsit. inspexit. contulit. cogitavit parumper. tandemque pronunciavit mole, quod ab illo mare parum abesset, legendum videri. Quæ restitutio amici doctissimi perplacuit. MOLES enim non solum magnitudinem, difficultatemque significat; verum etiam opus, structuram, aggerem in aqua factum, saxis vastis, arboribus, aliaque materia in eam jacta. Vide apud Quinctum Curtium quarto, sic molem sæpius appellatam: qua Magnus Alexander Tyron insulam continenti junxit.

Continentem suam.] Suum omnes antiqui libri, secunda inflexione: quod miror. & terrester, pro terrestris.

3 *Consule primum fretum ingressus.*] Adverbium primum, ad verbum ingressus est, pertinet. Livius sextodecimo.

4 *Duellio, Cornelioque consulibus.*] Anno Urbis quadringentesimo nonagesimo quarto. De Duellio quædam annotavimus in commentario Eutropii: qui est DUILIUS, in antiquis marmoribus, I Pro E, & liquida non geminata.

Longe illis nauticæ artes.] Longe plus illis nauticæ artis, Jornandes.

5 *Apud Liparas.*] Liparam, Jornandes. In mari Siculo sunt, quas Lipareorum, Vulcani, Æoli, insulas vocant. Earum maximæ nomen est Lipara apud Geographos. Lipare, ut Penelope apud Virgilium & Silium: qui huius nominis duas priores syllabas corripiunt, Liparæ, ut Athenæ, apud Titum Livium vicesimo primo. Liparam etiam urbem in ipsa insula Lipara, memorat Ptolemæus libro tertio.

Perfidiæ Punicæ documentum.] Quidam nostrorum librorum, documento.

Calatino dictatore.] Aulum Atilium Calatinum marmora Capitolina consulem faciunt anno ab Urbe condita quadringentesimo nonagesimo sexto. quo eum anno temerarium ducem Marcus Calpurnius tribunus militum à Pœnis in Sicilia liberavit. Idem post annos decem dictator fuisse, in iisdem tabulis videtur, quem scribit Livius undevicesimo primum dictatorum extra Italiam exercitum duxisse.

Drepanis, Panormo, Eryci.] Antiqua hæc lectio. altera, & Jornandis, Drepano, Panormo, Eryce. Dativus pro ablativo AGRIGENTUM oppidum est, qui Ἀκράγας dicitur Græcis. Acragas tamen hic non solum urbis, verum etiam montis, & fluvii nomen est: DREPANUM plurali etiam numero dicitur Drepana, vel Stephano teste dicitur & Drepane, ut Penelope: corripitque duas priores syllabas hoc nomen. Eædem breves in Eryce quoque: qui Eryx, oppidum fuit in monte Eryce: de quo lege Polybium li. primo inter ceteros auctores vetustos. PANORMUM Pinii,

nii, Πάνορμος est apud suos Græcos, id est Panormus, masculinum, nisi fallor, nomen apud Polybium libro primo, femininum verò, ut pleraque alia urbium vocabula, apud Silium libro quarto decimo. LILYBÆUM, apud Græcos Λιλύβαιον, promontorium & urbs eiusdem insulæ Siciliæ. Quæ autem CAMARINA apud Polybium, Strabonem, Stephanum, & alios auctores Græcos, ea in Latinis exemplaribus Camerina fere est, e pro a in secunda syllaba, quomodo in extremo libro tertio Æneidos,

Apparet Camerina procul.

Hinc Camerinenses pro Camarinenses. Urbs est Siciliæ Camarina, est & palus: unde natum proverbium Μὴ κίνει Καμαρίναν: id est, Ne move Camerinam. Sic enim Καμαρίναν habet Servii commentum pro Καμαρίναν.

Lucio Cornelio Scipione.] Consule anno Urbis quadringentesimo nonagesimo quincto, ut nos putamus. 6

Annexamque ei Corsicam transit.] Populus Romanus ut supra. Habebat autem vetus codex, annexamque Chossuram transit. Novi equidem ex veteribus Geographis insulam Κοσσύραν in eo maris interni tractu, id est Cossyran & Cossuram: quæ, ut arbitror, Cosyra est prima brevi, libro tertio Fastorum Ovidii: sed eam non ita Ptolemæus annectit Sardiniæ. Præterea Romana marmora, Liviana epitome libro septimo decimo, Eutropius secundo, Orosius quarto, solas hic nominant insulas Sardiniam & Corsicam: solosque cum Pœnis memorant Sardos & Corsos, quibuscum bellaverit Lucius Scipio.

Carala urbis.] Antiqui codices Balariæ, & Baleariæ: Jornandes Atericæ pro hoc Caralæ. Intercidit tota illa decas secunda Historiarum Titi Livii: unde cognosci posset, quomodo hic legendum, cunctis adeo corruptis exemplaribus nostris. Vellem autem, ut qui primi hunc auctorem in Italia emendare sunt aggressi, in eo fecissent, quod Hermolaus Barbarus in Plinio, & aliis: commentarium simul edidissent, in quo monuissent, si quid mutassent. Vereor enim, ut ne aliud hic nomen urbis repererint in vetustis exemplaribus, quàm quod in suis scripserunt. Et fortasse Caralis, clara Sardiniæ urbs, quam ipsi nossent, in causa fuit propter similitudinem quandam, ut quod hic scribebatur ipsis ignotum, id in Caralam corrumperent. BALAROS memorant Plinius, Strabo, Livius, unam ex Sardiniæ gentibus: qui Iliensibus juncti, magnum in ea insula tumultum concitarunt anno Urbis quingentesimo septuagesimo sexto, quemadmodum narrat Livius libro quadragesimo primo. Horum ergo civitas Balara sive Balaria, forsitan hîc scripta fuisse videatur.

Marco Atilio Regulo duce.] Quum esset consul, Lucio Manlio Volsone collega, anno Urbis quadringentesimo nonagesimo octavo. MANNIUM autem tribunum antiqui libri Nannium appellabant, & Naurium pro Mannio.

Apud Bragadam.] Vetusti codices Bagradam scribebant. Ita r modò in prima, modò in secunda syllaba hîc reperitur apud Valerium in extre- 7

Digitized by Google

mo libro primo, & alios. Eadem autem exemplaria habebant tantæ calamitatis, pro, tantæ calamitati: infractus, pro, fractus: sicut & Jornandes, apud quem etiam intentior, pro infestior legitur.

9 *Metello igitur consule.*] Anno Urbis quingentesimo tertio.

Publio Claudio consule.] Anno Urbis quingentesimo quincto. Qui autem est hoc loco Publius, & apud Polybium, Ciceronem, Livium, Valerium, Eutropium, Cassiodorum, & in marmoreis tabulis, is Appius erat pro Publio in antiquis codicibus: Appiumque Claudium, & Appii Cæci nepotem appellat Plinius in principio libri quincti decimi Naturalis historiæ.

10 *Marco Fabio Butcone consule.*] Anno Urbis quingentesimo & nono.

Apud Aegimurum.] Αἰγίμορος & Αἰγίμουρος eadem insula apud Strabonem, Ptolemæum, Stephanum, suntque apud Plinium libro quincto duæ Aegimori contra Carthaginis sinum.

Opulenta præda.] Ut Virgilius dixit primo Æneidos, Templum Junonis, donis opulentum, & numine divæ.

11 *Lutatio Catulo consule.*] Cajus Lutatius Catulus consul anno Urbis quingentesimo & duodecimo, insequenti anno proconsul de Pœnis egit triumphum, sicut habent marmora illa Romana. AEGATES contra Carthaginis sinum ponit Pomponius Mela libro secundo. Silius in extremo sexto:

Addiderant geminas medio consurgere fluctu
Aegates. Lacera circum fragmenta videres
Classis, & effusos fluitare in gurgite Pœnos.

Αἴγουσαι, puto, Polybio appellantur libro primo, id est, Aegusæ, inter Lilybæum Siciliæ promontorium, & Carthaginem sitæ insulæ: earumque una Αἴγουσα, id est, Aegusa, ante Lilybeum sita.

III. *Tunc primum, post Numam.*] Varro quarto de Lingua Latina, & Titus Livius primo, tradunt hoc factum, Tito Manlio consule. cui Cajum Atilium Bulbum addit collegam Eutropius libro tertio. Annum autem Urbis quingentesimum & undevicesimum fuisse putamus: quum hi fuerunt simul consules.

Sed statim.] Eodem anno fuisse apertam idem ibidem scribit Varro, Januałem appellans, ab Jani signo ibi posito.

12 *Jam Ligures, jam Insubres.*] Ligurum duæ priores syllabæ sunt breves: earumque rectus singularis est Ligus, Λίγυς apud Græcos. Insubres, Ἴσομβρες apud Polybium, Ἴνσουβροι apud Strabonem. Horum metropolis MEDIOLANUM: GENUA Ligurum.

Nec non & Illyrici.] Antiqua lectio, nec non Illyrii. Qui apud Græcos sunt Ἰλλυριοὶ, & interdum Ἴλλυρες, teste Eustathio Dionysii geographi interprete, id est Illyrii & Illyres; ij apud Latinos Illyrii sunt & Illurii, ut scribuntur in veteribus fastorum tabulis. Est enim y, u vocalis, gens inter Pannoniam, Histriam, Adriaticum mare, Macedoniam, Mœsiam sita. Inde sinus Illyricos dixit Virgilius: & inde Illyricum apud Livium, ac alios

Lati-

Digitized by Google

Latinos, regio ipsa & sedes Illyriorum dicta: quæ Græcis Ἰλλυρὶς dicitur, id est Illyris Ovidio, Lucano & Silio. Illyricus etiam, qui est ex Illyrico sive Illyride: ut infra libro quarto.

Et Macram flumen.] Quædam exemplaria Macrum secunda declinatione. Est apud Livium, & Plinium Macra, Κρέμας apud Ptolemæum. Exeunt autem ambo hæc flumina in idem mare internum, Macra Tuscos à Liguribus disterminans: Varus vero Ligures Gallos Cisalpinos à Gallis Transalpinis: sicut Galliam Romani dividebant, ac cognominabant. 19

Eluderent Salii, Deceates, Oxibii, Euburiates: incognitas tandem Fulvius.] Sic est in exemplaribus, quæ Joannis Camertis annotationes habent: in aliis, eluderet saltus deciates moxubij. euburiates. &, eluderet saltus buriates deciale loxubile incognitas &, eluderet: saltus debuerat ciate soccubelces incognitas. at apud Jornandem, eluderent saltu, viis, latebris Deceates, Oxibii, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius. Nos sic aliquanto rectius legi posse iudicavimus. eluderent Salvi, Deciates, Oxubii, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius. Sunt autem SALUI hoc lolo, & libro tertio, nomen trisyllabum, hoc est Salyi, Salvii etiam, & Saluvii perperam scripti nonnunquam apud Livium, & alios, qui Græcis Σάλυες appellantur per quinctam suam declinationem, quæ Latinorum tertiæ respondet: gens Galliæ Narbonensis. cujus urbes aliquot, quas Strabo, Ptolemæus, aliique memorarunt, adhuc manserunt, vetus suum vocabulum retinentes: atque in iis clarissime, Aquæ Sextiæ, & Arelatæ, non procul Massilia. DECIATES genitivos habent Δεκιατῶν, & Δεκιήτῶν apud Ptolemæum, & Strabonem. qui auctores urbem hujus gentis memorant à Græcis conditam Antipolin, quæ adhuc extat, integra fere prisca appellatione. inter Massiliam, & Varum, sed propius Varum in eadem Gallia OXUBIOS quando dicit Stephanus ex Quadrato, esse partem Λιβύων, hi an sint Galli, qui Libui leguntur apud Livium quincto, & vicesimo primo, an vero Libyes Afri, non admodum laboro ad præsens: ceterum Polybius, quem etiam auctorem laudat Strabo libro quarto, Oxybios unam ex Lygurum gentibus facit, sicut & Deciates. Idem facit etiam Plinius libro tertio: qui quum LIGVRES in duo genera dividit, in Cisalpinos, & Transalpinos, in Transalpinis recenset Salyos, & Deciates, & Oxybios. EVBVRIATES, antiqui libri inter Saluos, & Deciates ponere videntur. quos Plinius Liguribus Cisalpinis, Varo, & Macra, utrinque disterminatis, annumerat. INGAUNOS, ibidem constituit idem Plinius, Strabo, Livius, & alii scriptores. Scribit autem Eutropius libro tertio cæsos in Italia fuisse Ligures, & de iis triumphatum, Lucio Cornelio Lentulo, Quincto Fulvio Flacco consulibus: quem putamus annum Urbis quingentesimum decimum & septimum. Ejus belli meminit etiam Zonaras: sed ignium illorum nulla ibi mentio. & in marmoribus Romani fori triumphat hoc anno de Liguribus non Fulvius, sed de ejus collega Len-

Lentulus. Alius fuit Quinctus Fulvius Flaccus cum fratre suo Lucio Manlio Fulviano consul anno ab Urbe condita quingentesimo septuagesimo quincto: qui Ligures domuit, & de iis triumphavit, ut scribit Livius in extremo libro quadragesimo. Publius Cornelius Lentulus, & Marcus BÆBIUS TAMPHILUS (sic in antiquis marmoribus Tamphilus, T, non P, prima verbi littera: & sic ibi Bæbius prima diphthongo, sicut apud Zonaram Βαίβιος) erant consules anno Urbis quingentesimo septuagesimo tertio: bellumque gesserunt contra Ligures. Insequenti anno, quum imperium illis prorogatum fuisset: quùmque ab iis Ligures improviso oppressi, ad duodecim millia hominum se dedidissent: eos deducere ex montibus in agros campestres procul à domo, ne spes reditus esset, Cornelius & Bæbius statuissent: traduxerunt in Samnium ad quadraginta millia liberorum capitum cum feminis puerisque. Auctor hujus rei Titus Livius quadragesimo. Hinc Ligurum istorum cognomentum Corneliani & Bæbiani apud Plinium libro tertio. Ibidem autem & hoc scribit idem Livius, eodem anno ab Aulo POSTUMIO ALBINO consulum altero, montanorum Ligurum vineas cæsas fuisse, frumentaque deusta, donec cladibus omnibus belli coacti, in deditionem venerint, armaque tradiderint.

VI. *Simile cum nivibus.*] Sic vetusti codices hîc præpositionem cum opponebant. & exeunt quidam eorum habebant, pro eunt. Jornandes experimentum pro experimento: quod magis convenit particulæ quippe.
41

Britomaro duce.] Britamaro quidam antiqui codices, a pro o in secunda syllaba, scribebant. Hoc ego nomen apud Polybium legere non memini, sed alios istorum Gallorum reges Concolitanum & Aneroëstum, à Lucio Aemilio victos, Βριόματος, Βριτόμαρτος. Plutarchi in Romulo & Marcello, id est Briomatus, & Britomartus, est, quem hic auctor, & Livius, & Eutropius, & Orosius Viridomarum appellant. Iidem porro libri veteres quidam balteo, alii cum novis, baltea scribebant.

Victos enim Aemilius.] Lucius Aemilius Papus (ut hic appellatur in Romanis marmoribus. Apud Plinium, & Orosium ejus corruptum cognomen) consul erat anno post Romam conditam quingentesimo vicesimo nono.

In Capitolio discinxit.] Lege historiæ veritatem apud Polybium libro secundo. Multa nanque poëtica hic homo interserit, & miscet.

Mox Astrionico.] Ariovicum antiqui libri, Ariobistum Jornandes hunc vocat. Flaminius autem hic, est Cajus Flaminius, qui consul fuit anno Urbis quingentesimo tricesimo primo: quo anno hæc gessit.

Viridomaro rege.] Ita impressum apud Nepotem, & in commentariis Servii grammatici: atque ita incisum vidimus hoc nomen in perantiquo marmore Olisi poni. Tetrasyllabum est apud Propertium libro quarto de Jove Feretrio.

Virdomari genus hic Reno jactabat ab ipso; totidemque syllabarum in Romanis marmoribus: sed in his VIRDUMARUS, U pro O: secunda sylla-

syllaba. Vetusti codices secundum in o mutabant. Scriptum calamo Eutropii breviarium hanc vocalem non mutabat quidem, sed o illi subjiciebat, Viriodomarum sex syllabis appellans. Sic & in Cæsaris commentariis hæc principum Gallorum nomina variè corrupta reperimus. Plutarchus autem hunc Viridomarum non noverat, ut existimo. Quem nanque Servius, Eutropius, Orosius, Nepos, Livius, Viridomarum appellant, Gallorum regem à Marcello occisum spoliatumque: cum ille in Romuli & Marcelli vita, quo modo jam monuimus, Britomartum & Briomatum vocat. Gesta autem hæc à Marco Claudio MARCELLO, anno Urbis quingentesimo tricesimo secundo.

Arma suspendit.] Opima pro arma Jornandes, ut hæc libro primo fuerunt appellata; atque hoc ipso secundo infra de Scipionis Aemiliani rebus Hispania gestis, dicetur: utque vulgo opima spolia dicebantur Romanis: quæ dux populi Romani duci hostium detraxisset. sed alludere voluit Seneca ad versum octingentesimum sexagesimum nonum sexti Aeneidos de eodem Marcello.

Tertiaque arma patri suspendit capta Quirino.

Quanquam maluit eidem cum primis, & secundis spoliis tertia hæc Jovi Feretrio, quam Jano Quirino fuisse suspensa. sed de qua controversia lege Festum, & vetustum Virgilii commentatorem.

Arsiam, Titiumque.] Titium antiqui libri Ticinum appellabant, ut Gal- V.
liæ fluvium, apud quem cæsi primum ab Annibale Romani. Ptolemæi 15
Græca Τίβι vocant, id est Titum. Plinius in extremo libro tertio. Arsiæ, gens Liburnorum jungitur, usque ad flumen Titium. Pars ejus fuere Mentores, Hymani, Emcheleæ, Dudini, & quos Callimachus Peuccetias appellat. Nunc totum uno nomine Illyricum vocatur generatim.

Adriatici. Adriani.] Vetustissima exemplaria: quomodo id mare etiam Marcus Cicero legitur alicubi appellasse.

Hi regnante Teuca.] Sic apud Plinium tricesimo quarto hæc mulier appellatur, & apud Polybium secundo à Perotto Latinum factum: quæ in Græco exemplari nostro Τεῦτα scribitur, id est Teuta, t, pro c, in secunda syllaba. In antiquis codicibus, na syllaba, Plinii Teucæ subjecta, Teucana est: at apud Jornandem Teutana per t.

Legatos quippe nostros.] Qui Γάϊος ϗ Λεύκιος Κορογκάνιοι sunt apud Polybium, id est Cajus & Lucius Coroncanii: Publius Junius, & Titus Coruncanus apud Plinium: Publius Junius Coruncanus, & Titus Coruncanius, in Illyrico Appiani Latino.

Cnæo Fulvio Centimalo duce] Hic consul erat anno Urbis quingentesimo vicesimo quincto: & insequenti anno proconsul ex Illyriis navalem egit triumphum, decimo Calendas Quinctiles, ut est in illis Romanis marmoribus. In quibus Centimalus CENTUMALUS scribitur. De quo quædam etiam monuimus in commentario Eutropii.

Legatorum manibus.] Prima syllaba longa manibus, ab eo quod est manes.

VI. *Vix quadriennii requies.*] Quadriennium, Jornandes. Ceterum quatuor hi anni, quid sint, ante nos quæsiit Camers. Cajus Lutatius Catulus primum bellum Punicum confecit consul anno Urbis quingentesimo & duodecimo. Secundum vero initum tradit Eutropius Marco Minucio, Publio Cornelio consulibus: quem putamus annum Urbis quingentesimum tricesimum tertium. atque sic inter primum & secundum bellum Punicum, plus viginti anni interfuerunt. ut istud quadriennium aliò prorsus referendum videatur. Et certè hoc ita forsitan accipiendum, ut significet post primum Punicum bellum Romanos cum aliis gentibus belligerasse. & toto illo vicennio, quod duo priora Punica bella intercessit, vix quatuor annos à bellis quievisse.

17 *Bellum affero & pacem: utrum eligitis? utrum placet, sumite. cuimque succlamatum esset, utrum vellet, daret: Bellum igitur, inquit, accipite.*] Rem hanc ita, puto, gestam narrant Polybius libro tertio, & Livius vicesimo primo, auctores gravissimi: & Appianus in Hispanicis. Vetus lectio, & Jornandis, Carthaginenses bellum elegisse dicebat: quæ sic habebat: Bellum, pacemque porto: utrum eligitis? Succlamantibus bellum, Bellum igitur, inquit, accipite. Ejusdem autem sententiæ est epistola Quincti Fabii apud Aulum Gellium in extremo libro decimo noctium Atticarum, quisquis hic Fabius sit, & ejus litteræ. Similes quoque Quincti Mucii tesseræ apud Pomponium libro primo digestorum, titulo de Juris origine: quem quidam, Fabium pro Mucio appellant, & eundem Quinctum Fabium ducem legationis Romanorum esse putant: sed nihil temere mutandum censet Andreas Alciatus capite decimo & septimo libri quarti parergon.

19 *Destinatumque Romanis.*] Non fuit Romanis, in membranis nostris.

Tunc Scipione duce.] Qui Publius Cornelius Scipio, & Tiberius Sempronius Longus tunc consules erant, anno scilicet Urbis quingentesimo tricesimo sexto: & insequenti anno Flaminius, quem Cnæum Flaminium appellat Polybius libro tertio: alii Cajum, pro Cnæo. PADUS, TICINUS, TREBIA, fluvii sunt: quorum Ticinus mediam syllabam producit, & Trasimenus lacus penultimam: qui & Thrasimenus reperitur scriptus, & Trasymenus, & Thrasymenus, ac apud Quinctilianum libro primo Thrasumenus, & Tharsomenus.

20 *Et aquilæ.*] Livius libro vicesimo secundo. Insuper nunciatur, signum, omni vi moliente signifero, convelli non posse. Idem accidisse fabulantur in Crassi cæde: de qua & istis Aquilis Dio libro quadragesimo.

Et quadraginta millium.] Sexaginta apud Jornandem. sed de incertis istis numeris monuimus in Eutropium.

Et Eurus.] Vulturnum dicit Livius libro vicesimo secundo: qui ventus ab oriente hiberno spirat: Eurus ab oriente verno. In vetustis autem exemplaribus, secundum pro secum, ac apud Jornandem: qui sic habet, adversus hæc omnia obversis, secundum cælum tenens.

21 *Paulum puduit.*] Consulum alterum. Paulum nomen appellativum & adverbium.

verbium.

vestibium, quod vulgo per unicum l scribitur, Scaurus grammaticus vetustissimus per duo ll scribere præcepit: paullum lachrymis & mente morata: paullo majora canamus: paullo momento huc illuc impellitur. PAULUS vero nomen proprium, sive ita sit dictus primum, qui parva & brevi esset statura, sive sit alia ejus nominis ratio nobis incognita, id etiam gemina liquida PAULLUS in antiquis monumentis, marmoribus, & nummis reperiri monuit Joannes Pierius jam ante annos quadraginta.

In torrente Vergilli.] Sic libri antiqui. Quidam ex impressis, Vergilii pro Vergelli. Camers in terrore Vergelii legerat. In marginibus exemplarium Christiani Udecheli typographi Parisiensis annotatum reperimus, antiquam lectionem esse in torrente Vergello, quomodo & apud Jornandem scribitur. Legitur apud Valerium Maximum, capite de crudelitate, libro nono, non Vergellus, sed Gellus (ita hic antiqua exempla l geminant) fluvius: in quo Romanis corporibus, ponte facto Annibal exercitum traduxit.

Dignitasque equestris taxata mensura.] Tres fuere Romanæ civitatis ordines, Senatorius, Equester, Plebejus. Plinius libro tricesimo tertio scribit anulis à plebe equites fuisse distinctos, tunica ac anulis senatum: quod si verum est, mentitur Mago apud Livium libro vicesimo tertio, ubi dicit Carthagine, neminem Romanorum, nisi equitem, atque eorum ipsorum primores, anulos gerere solitum. Quin idem putat Plinius anulos promiscui usus fuisse temporibus secundi belli Punici, & aliter non potuisse anulorum trimodia in Romanorum manibus Cannensi prœlio occisorum, inveniri. Sic autem Plinius in eo libro, Eutropius tertio, Augustinus tertio de civitate Dei, & Orosius quarto tres anulorum modios illic fuisse audiverant: qui huic auctori duo tantum sunt, & unus solum quibusdam apud eundem Livium & Plutarchum in Annibale Latino: at aliis quibusdam tres cum dimidio apud eosdem Livium & Plutarchum.

Adherbalem Bomilcaris.] Vetusti codices scribebant Adarbalem a pro e sine spiritu. Idem nomen Ἀδάρβαλα apud Strabonem septimo decimo. Plutarchus autem in Fabio Maximo Barcam appellat, qui Annibali illa dixerit. Livius vicesimo secundo, & idem Plutarchus in Annibale Latino, & Jornandes, Maharbalem. Quare Adherbalem Camers in Maharbalem censuerit mutandum.

Lævino Marcelloque consulibus.] Anno Urbis quingentesimo quadragesimo quarto. Livius libro vicesimo sexto, hanc rem narrat. 22

In eligendis magistratibus.] Consulibus iisdem Lævino & Marcello. Livius eodem vicesimo sexto.

Sempronio Graccho.] Prænomine Tiberio, consule, anno Urbis quingentesimo tricesimo nono. GRACCHUS autem aspiratur in antiquis omnibus Græcis Latinisque monumentis, quæ mihi videre contigit: de quo Charisii verba apponam. Graccus & ortus, inquit, sine aspiratione dici debere Varro ait. & ORTUM quidem, quod in eo omnia oriantur. GRAC-

CUM autem à gerendo, quod mater ejus duodecim mensibus utero eum gestaverit: aut à gracilitate corporis, ut quidam volunt: sed consuetudo & Gracchos & hortos cum aspiratione usurpavit. Hæc ille: qui non addit, quis primus sit Gracchus cognominatus.

25 *Urbemque urbium.*] Metropolin, principem urbem.

26 *Alterum ferro.*] Publio Scipioni pugnanti latus dextrum lancea trajectum fuisse scribit Livius vicesimoquinto: sed quod subjicit Seneca castrametantem, hoc ad insequentem alterum Scipionem potius pertinere cognosces ex eodem Livio.

Saltem vel oculis.] Istud vel, non habet Jornandes: quod & glossarion esse suspicor. Saltem nanque hujus, vel, significationem habet tam hoc loco, quàm libro tertio de bello Balearico. ubi, vel, nulla subjiciunt exemplaria.

27 *Appio consule.*] Appius Claudius Pulcher, Quinctus Fulvius Flaccus fuerant consules anno Urbis quingentesimo quadragesimo secundo: quibus prorogatum imperium fuit, atque exercitus, quos habebant, decreti insequenti anno, quum Romam venit Annibal. Livius in principio libri vicesimi sexti.

28 *Tantum non adortam.*] Antiqui codices vocalem hic addebant, adoratam pro adortam scribentes, & Jornandes syllabam na, adornatam habens. Ferme autem significat tantumnon.

Castris insederat.] Legitur &, insiderat: sicut & infra de bello Antiochi, considerat pro consederat: sed negat Priscianus invenisse se usquam præteritum à sido.

Nec sector inventus est.] Ita libri menbranei, & Marnesii typographi Parisiensis exemplaria. Alia impressa emptor, pro sector. Neutrum leges apud Livium vicesimo sexto: sed non dubito tamen, quin sector scripserit Lucius Annæus, quod in emptor mutaverit audacium emendatorum aliquis, qui nesciret, qui hoc loco esset sector. Dicitur autem SECTOR, qui spe lucri, res, quæ hastæ subjiciuntur (subhastari hoc dicimus) emit, ac postea pro commodo suo aliis vendit. Sed de hoc verbo, & quæ inde est SECTIO, lege plura apud Asconium, Nonium, Festum, Beroaldum, Budæum, Contium.

29 *Partem, & in ipsas nascentis Italiæ fauces signa converterat, tanto; quæ omnis longissima Italiæ solo interjacet.*] Antiqui codices cum Jornande, partem, id est in ipsas nascentis Italiæ fauces signa converterat, tanto, id est omni: quà longissima Italia solo interjacente. Iidem libri habebant inopinanter, pro inopinantem. at Jornandes inopinatum.

30 *Duce igitur Scipione.*] Marco Cornelio, Publio Sempronio consulibus, anno Urbis quingentesimo quinquagesimo, qui erat hujus belli quinctusdecimus, Publius Cornelius Scipio è Sicilia in Africam exercitum trajecit: finemque ibi imposuit huic secundo bello Punico, anno Urbis quingentesimo quinquagesimo tertio. Titus Livius vicesimo nono & tricesimo.

Græcia.

Græcia, Syria, ceteraque.] Quædam exemplaria, etiam antiqua, Asia habent pro Syria. Est autem Syria in Asia. VII

Lævino consule.] Anno Urbis quingentesimo quadragesimo, Marcus 33
Valerius Lævinus Jonium mare transgressus cum exercitu, Philippo Macedoniæ regi bellum inferre cœpit prætor, & non consul, Quincto Fabio Maximo, Marco Claudio Marcello consulibus. Post annos tamen quatuor cum egregiè adversus Philippum terra marique res gessisset, consul absens est factus, atque ex provincia in Italiam revocatus. Titus Livius quarto, & quincto, & sexto supra vicesimum.

Africa præferebat.] Annibal tamen adhuc in Italia erat, Africa nondum spoliata, & debellata, quum Lævinus illa gerebat. Infra, pro ultra mortem, habet Jornandes ultra morem.

Flaminio duce.] Hic est Titus Quinctius Flaminius apud Livium & 34
Plutarchum: qui anno Urbis quingentesimo quinquagesimo sexto consul fuit, in Macedoniam eo anno venit. bellum Macedonicum annis quatuor confecit, ac triumphavit anno Urbis quingentesimo sexagesimo.

Chaonum montes.] Χάονες populus Epiri unus ex quatuordecim apud Strabonem: unde Chaonias columbas dixit Virgilius in nono Bucolico, & Chaoniam glandem in primo Georgicon.

Pindumque amnem.] Sicut Philippus Beroaldus repererat, ita scriptum hic reliquit, Indum. ceterum quisquis locum istum fœdius postea corrupit. Indum, puto, nullum in Europa esse audierat, sed in illo Europæ tractu, montem, fluvium, urbem, Pindum, Aoum autem non Indum, neque Pindum, existimavimus legendum. Primum enim Titus Livius tricesimo secundo, unde hæc fuerunt excerpta, ita fluvium appellat, non procul Apollonia in mare Ionium exeuntem: ad quem Flaminio res primum cum Macedone fuit, non Pindum, nec Indum. Denique Jornandes, qui hæc transcripsit, uti monuimus, Savum hic habet. Cujus vocabuli primam litteram S, video ex fine præcedentis vocis *montes*, huc esse adjectam, ut molientibus sedem fuit libro primo, pro molientibus sedem, postea que o in u negligentia, imperitiaque simili mutatam: ut Aôus, Savus scilicet omnino esset: qui libro quarto memorabitur. Quod autem Plutarchus in Flaminio Apsum nuncupare videtur, quum Livius Aoum (Apsi etiam meminit idem Livius, sed in rebus Sulpicii Galbæ, prioris anni consulis) hoc quid sit, ex Polybio, puto, cognosci posset: si extaret integer. Utriusque fluminis mentionem facit Strabo libro septimo. Facit & Ptolemæus tertio Geographiæ: sed apud quem, sicut & in Strabonis epitome, Ἀῷος fit, pro Ἀῶος Λ pro Α.

Quos Cynocephalas.] Sic & apud Jornandem scriptum reperimus. qui hinc nostri Senecæ historiam confundere, contrahereque incipit. Κύων autem cujus nominis genitivus casus est Κυνὸς, canem significat, & Κεφαλὴ caput, media etiam syllaba brevi. unde Cynocephali appellati, quasi dicas Canicipites, quorum canina essent capita. Simili compositione, sed alio ge-

nere & declinatione, locum istum, & colles hic appellatos video, apud quos victi Macedones fuerunt: qui apud Livium, & in ejus historiarum epitomes libro tricesimo tertio, integra utraque voce, Cynoschephalæ scribuntur: apud Strabonem in extremo libro nono, & in Flaminio Plutarchi, & Syriacis Appiani, Κυνὸς κεφαλαὶ id est Canis capita: Κυνὸς κεφαλὴ, id est canis caput apud Zonaram.

Nemea in theatro.] Nemea, silva, locus, urbs, ludi. Quatuor Græcis certamina sacra fuerunt, quos illi, ἀγῶνας dictitabant, Nemea, Pythia, Isthmia, Olympia. Quod ergo auctor hic dicit factum in Nemeis, Livius tricesimo tertio, & tricesimo quarto, ac Plutarchus in Flaminio, id dicunt factum in Isthmiis primum, deinde in Nemeis, & magis etiam in Isthmiis.

VIII. *Tradidisset? si Asiæ.*] Vetus codex: tradidisset, id est, si se & Asiæ
36 viribus.

37 *Acilio Glabrione consule.*] Anno Urbis quingentesimo sexagesimo tertio. Hujus hominis prænomen est Marcus pro Manio apud Livium tricesimo sexto, Eutropium, Cassiodorum, & alios Latinos.

38 *Statim è vestigio.*] Statim & è vestigio, statim & ex vestigio antiqui libri, & nuncio pro initio.

Polyxenida.] Hujus Græci nominis rectus casus est Πολυξενίδας apud Plutarchum & Appianum, Polyxenidas, apud Livium.

Igitur duce Æmilio Regillo.] Qui est Lucius Æmilius Regillus apud Livium tricesimo septimo: Regillius in antiquo libro: Ῥηγοῦλος, id est Regulus apud Appianum, pro Regillo. Classis præfectus fuit, & pro prætore, hoc Antiochi bello: atque de rege Antiocho navalem egit triumphum; quomodo refert Livius in extremo libro tricesimo septimo, Cnæo Manlio Vulsone, Marco Fulvio Nobiliore consulibus, quem putamus annum quingentesimum & sexagesimum quinctum ab Urbe condita.

Trecenta millia peditum.] Immanis numerus. Apud Appianum totus Antiochi exercitus, omnis generis militum septuaginta tantum millia: Romanorum copiæ, triginta solum millia.

IX. *Ergo Fulvio Nobiliori.*] Consuli: anno Urbis quingentesimo sexagesimo
39 quincto, prænomine Marco. ΚΕΦΑΛΛΗΝΙΑ & ΖΑΚΥΝΘΟΣ insulæ. ΚΕΡΑΥΝΙΟΙ, alibi alii: hi sunt, Epiri, qui & Acroceraunii. ΜΑΛΕΑ: quæ & plurali numero Maleæ, promontorium Peloponnesi.

X. *HISTRI sequuntur.*] Hi sunt quorum Histriam, post Venetiam Italiæ
40 decimam regionem describit Plinius tertio Naturalis historiæ.

Cnæi Manlii.] Hunc ita appellant etiam Julius Obsequens & Cassiodorus. Aulum pro Cnæo Titus Livius quadragesimo, & quadragesimo primo, veteraque marmora. Erat autem annus Urbis quingentesimus septuagesimus sextus, quum hic Manlius Histris bellum inferebat consul. Quod insequenti anno confecit consul, Cajus Appius Claudius Pulcher, ut narrat Livius quadragesimo primo. sed decadis quinctæ manci illi libri

bisquinque & mendis scatentes, nondum in lucem exierant, quum Camers de hoc Histrico bello quæreret.

Appius Pulcher invadit.] Livius rem aliter narrat ad hunc modum, Quum Manlius consul suos ex fuga collegisset, ad capta sua castra venisse. Histros somno, vinoque, ciboque sepultos invasisse: eorum paucos cum rege suo raptim in equum imposito fugisse: ac insequenti anno eum regem ab Appio Pulchro consule Nesactii obsessum, trajecisse ferro pectus, ne vivus caperetur.

Ipse rex Apulo.] Æpulo apud Livium quadragesimo primo. Quo se principes Histrorum, inquit, & regulus ipse Æpulo receperat. sed quid sit hoc nominis, aliunde non novi. & licet ex Italiæ Apulia equum habere regulus hic potuit, tamen equi non meminit Livius. tantum dicit regem istum, capto ab Romanis oppido in quo ipse erat, sibi ferro pectus trajecisse. Apud alios alia fortasse legerat Seneca.

Manlius cos.] Hic est Cnæus Manlius Vulso in Romanis marmoribus XI.
apud Livium tricesimo septimo, & tricesimo octavo, apud Paterculum, 41
Cassiodorum, & alios: qui consul fuit anno Urbis quingentesimo sexagesimo quincto, & post duos annos triumphavit proconsul.

Tolostobogi, Tectosagique.] Illi sunt in Græcis exemplaribus Τολιςόβογοι, & Τολιςοβόγιοι, & Τολιςόβιοι, id est, Tolistobogi, & Tolistobogii, Tolistobii. Tectosagi inveniuntur & Tectosages & Tectosagæ: sed hoc rarius. Gallogræcorum autem, quos Græci GALATAS ferè appellant, Strabo duodecimo, & Ptolemæus quincto geographiæ genera tria faciunt, Tolistobogos, Tectosages, & qui Τρόγμοι in meo Strabone sunt, id est Trogini apud Ciceronem secundo de divinatione: Τρωκμοὶ in meo Ptolemæo, & correpta prima vocali Τρόκμοι in Appiano, hoc est, Trocmi apud Livium tricesimo octavo.

Ortiagontis regis uxor.] Quæ vocatur χιομάρα apud Plutarchum de mulierum virtutibus. In Ortiagontis autem scriptura exemplaria sum insecutus Græca potius, quàm Latina: quæ ipsum variè corrumpebant. Cujus rectus est Ὀρτιάγων apud Suidam, & Ortiago apud Livium. at Ὀρτιάγοντος obliquus casus apud Plutarchum, hoc est Ortiagontis hoc loco, & apud eundem Livium, Nepotem, Jornandem.

Filius Perses.] Idem Perseus. XII.

Nam Marcio Philippo consule.] Anno Urbis quingentesimo octogesimo 42
quincto. 43

Per Astrudem.] Antiqui libri Astundem: Ascuridem Livianorum annalium liber quadragesimus quartus.

In templum recepit.] In tabernaculum Livius quadragesimo quincto. Gesta 44
autem hæc fuerant à Lucio Æmilio Paullo consule, anno Urbis conditæ quingentesimo & octogesimo sexto.

Joscordam.] Syllabam Jo, non habuerunt membranei libri. Hæc, puto, XIII.
est urbs, quam Scodram appellat Livius libro tertio, & quarto, & quincto 45

quinctæ

quinctæ decadis: & quæ Συνέχεια est apud Ptolemæum in extremo libro secundo.

XIV. *Sed consule Metello.*] Quinctus Cæcilius Metellus Macedones domuit non
47 consul, sed prætor tantum, ut habet Vellejus Paterculus, & triumphavit de Andrisco, Cnæo Cornelio Lentulo, Lucio Mummio consulibus, anno ab Urbe condita sexcentesimo octavo.

XV. *Igitur Manilio, Censorinoque consulibus.*] Anno Urbis sexcentesimo &
49 quincto. Horum autem consulum nomina sunt Lucius Marcius Censorinus, Manius Manilius, ut ostendimus in iis, quæ scripsimus in somnium Scipionis.

50 *Mancino deinde consule.*] Hujus tria nomina sunt Lucius Hostilius Mancinus in antiquis marmoribus, & libro tricesimo quincto Naturalis historiæ Plinii: qui Carthaginem venit sub Lucio Calpurnio Pisone consule, supradicti Manilii consulis successore, non consul, sed legatus tantum & ναύαρχος, id est classis præfectus: ut dicitur in libro quinquagesimo primo Liviani breviarii, & in Lybicis Appiani. Consul tamen fuit triennio post, eversa jam Carthagine.

Concusserat avus, nepos.] Avus pater patris: Nepos, filius filii. SCIPIONES Africani fuerunt duo: major, qui Annibalem debellavit, & Carthaginem, ut hic ait, concussit secundo bello Punico. minor, qui Carthaginem evertit tertio & postremo bello Punico. Hic non erat Cornelius Scipio nisi per adoptionem. Patrem nanque habuit naturalem, Paulum Æmilium Macedonicum, unde & Æmilianus est dictus: sed a Publio Cornelio Scipione adoptatus fuit filio Scipionis Africani superioris, ac ejus nomina gessit. Eversor ergo Carthaginis Scipio Æmilianus Africanus minor, nepos fuit Africani majoris ex adoptione: & hic Africanus major Carthaginis concussor, avus fuit ejusdem Scipionis Æmiliani Africani minoris, eversoris Carthaginis, ex eâdem adoptione. Alius hujus loci sensus Camerti quærendus non fuit.

51 *Ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet.*] Antiqua lectio: ut quatenus eripi Romanis non poterat, triumphus arderet. De particula quatenus, vide quæ monuimus in principium hujus libri.

XVI. *Metellus consul.*] Non consul, ut jam ante ostendimus, sed prætor tan-
52 tum. ELIS autem Græcis suis Ἦλις, regio & urbs Peloponnesi fuit: & ejus loci fluvius Ἀλφειός, id est Alpheus, trisyllabum nomen, non sicut Orpheus disyllabum, media syllaba diphthongo longa apud suos.

53 *Mummius venit.*] Lucius Mummius consul anno post Romam conditam sexcentesimo octavo, à subacta Achaia Achaicus cognominatus. ISTHMUS autem, id est, ἰσθμός, terra dicitur angusta & oblonga inter duo maria, ut in quo sita fuit Corinthus in Achaia. Infra autem pro perustris, legitur, &, mistis, & permistis.

XVII. *A Primis Scipionibus in Cæsarem Augustum.*] Cnæus Cornelius Scipio in His-
55 paniam cum excercitu venit anno Urbis quingentesimo tricesimo sexto, & in

Digitized by Google

& in sequenti anno frater ejus Publius, quum Annibal esset in Italia. Ad annos ergo quingentos & triginta sex adde, quos hic ait, ducentos: fient septingenti & triginta sex anni ab Urbe condita: quibus temporibus Cæsar Augustus Octavianus rempublicam Romanam solus tenebat.

Capta Carthagine.] Hispaniensi. Livius libro vicesimo sexto. Hic autem Scipio Africanus superior, filius erat supradicti Publii Cornelii Scipionis

Et oceani oram.] Antiqua lectio, & oceani ora. Ut fluviorum ostia & ora, sic oceani, magni maris, quâ exit in terras inter Hispaniam & Mauritaniam, ubi fretum Gaditanum dicitur ab insula Gadibus.

Cato ille Censorius.] Consul anno Urbis quingentesimo quinquagesimo nono. Livius tricesimo tertio & tricesimo quarto: ac Appianus in Hispanicis.

Gracchus Pater.] Tiberius Sempronius Gracchus pater Tiberii & Caii Gracchorum, de quorum seditionibus libro tertio, is de Celtiberis sociisque eorum triumphat apud Livium libro quadragesimo primo: insequentique anno consul fuit primum: qui erat annus Urbis quingentesimus septuagesimus septimus.

Cognomen meruerat, & Celtibericus fieri, quum & Contrebiam.] Vetustissimus codex non habuit, & Celtibericus fieri: sed meruit, pro meruerat. Proconsul autem hæc contra Celtiberos gessit Metellus Macedonicus, anno Urbis sexcentesimo & duodecimo. Livianum breviarium quinquagesimo tertio, & Appianus in principio belli Numantini. Quæ porro in codicibus impressis CONTREBIA, & apud Livium quadragesimo, & Paterculum, & Nepotem, ea in antiquis libris Trebia, ac apud Valerium Maximum secundo de disciplina militari, & libro septimo de stratagematis: quo nomine dictus Italiæ fluvius, ad quem Romanos Annibal cecîdit.

Et Nertobriges.] Nersobrigis, Versobriges, Vertobrigis, & aliter etiam, hîc scriptum reperi. Est Nertobriga in Itinerario: & duæ ejusdem nominis urbes Hispaniæ apud Ptolemæum: quarum altera inter Celtibericas recensetur: quæ in principio libri tertii Naturalis Historiæ Plinii, Vertobrigæ pro Nertobrigæ aut Nertobriga. Sunt & in Hispanicis Appiani, ac apud Suidam Νεργόβριγες populus, id est Nergobriges pro Nertobriges, nisi fallor.

Lucullus Turdulos.] Lucius Licinius Lucullus consul anno Urbis sexcentesimo tertio. Turduli autem secundam syllabam producunt in Strabonis & Ptolemæi Græcis Τυρδυλοι.

Quum à rege fuisset provocatus.] Hic desideratur Livianorum annalium 56
liber quadragesimus octavus, in cujus epitome nec rex, nec dux appellatur: quem Scipio Æmilianus singulari prœlio vicit, sicut nec in opere illo de viris illustribus, nec in Hispanicis Appiani, sed barbarus tantum quidam provocator. Verum ut Annæo Senecæ credamus regem aliquem Hispaniæ fuisse, certè Scipio in eo bello major non fuit, quam tribunus militum, Lucio Lucullo consule & imperatore. Quare spolia opima, ut

antè ostendimus, quum ea habeantur, quæ rex regi, sive dux duci detraxit: & ducem non noverimus, nisi cujus auspicio bellum geritur: quomodo quæ hic opima spolia dicuntur talia fuerint? nisi fortè similitudine quadam: & quod nequaquam gregarii milites erant, qui sic decertarunt. Plutarchus sanè, qui Trajano principe vivebat, multis post Scipionem Aemilianum sæculis, scribit in Romulo, & Marcello, terna tantum usque ad sua tempora fuisse opîma spolia, Romuli, Cossi, & Marcelli: nec plura Festus, & Servius agnoscunt.

57 *Decimus Brûtus.*] Qui fuit consul anno Urbis sexcentesimo decimo & sexto. Cujus tria nomina sunt Sextus Junius Brutus in Hispanicis Appiani, Decius Junius Brutus in libro quinquagesimo quincto & quinquagesimo sexto Livianæ epitomes: sed quem antiqui libri & hic, & in Eutropii breviario, Decimum pro Decio appellent. Fuit inter Cæsaris interfectores alius Junius Brutus, quem ita alibi Decium alibi Decimum appellatum annotavimus in emendando illo breviario.

Flumen oblivionis:] In Hispania esse etiam fluvium oblivionis oblitus Camers, hunc putavit in Africa esse. Λήθης est in Hispanico Appiani, id est Lethes apud Silium lib. primo. In epitomes Livianæ quinquagesimo quincto, fluvium Oblivionem invenio scriptum eodem casu. Pomponius Mela tertio scribit ei Oblivionis cognomen fuisse, ac Limiam vocat. Eundem Strabo, tertio appellat Lethen (λήθη est oblivio) Lemium, Limæum, Belionem: docetque, unde illi oblivionis cognomentum. Apud Ptolemæum, genitivum Λιμίου: cur Limii potius, quàm Limiæ converterint interpretes varii, non video, quum possit à recto Λιμίας æque cadere, atque à Λίμιος. Hic fluvius nunc accolis Lima appellatur: ad cujus ostium est urbs Portogallorum Viana, & supra eam in altera fluminis ripa oppidulum: quem Pontem Limiæ vocitant Hispani, à ponte qui illic est in Limia, ex quadrato lapide.

Obrutumque aquis.] Ridiculum. Vide Strabonem in principio tertii, & Cleomedem secundo rerum Cælestium, de solis magnitudine disputantem contra Epicurum.

Si recessisset.] Quid sibi velit hoc recessisset, in omnibus exemplaribus hoc loco, non video. Emendandum putaverim, res cessisset, ut si res cessisset, & post versus pauculos, ac in principio tertii libri, si fortuna cessisset, idem.

Salondicus.] O in prima sicut secunda syllaba antiqui codices. Est Olonicus in quadragesimo tertio libro Liviani breviarii, nescio, an ab Olone urbe Hispaniæ, quam & aspiratam Holonem invenies apud Livium libro tricesimo quincto.

58 *Qui ex venatore.*] Hæc oratio non video, qui consistere possit, nisi particulam quum, quam librarii mihi omnino alicubi prætermisisse videntur, aut similem, reponas: ut sit, qui Viriathus quum cecidisset Unimanum, & trophæa in montibus fixisset, cum tandem Fabius, & cæt. Vetusti tamen quidam libri scribunt etiam pro eum.

Clau-

Digitized by Google

Claudium Unimanum.] Non plura cognosces de hoc ex Nepote, & Orosio. INTERNICIO autem in antiquis libris, quæ vulgo internecio imprimitur, e pro i.

Fabius Maximus consul.] Hispaniense hoc bellum & Viriathinum, duos habuit Quinctos Fabios Maximos, utrosque in Fabiam familiam inductos: alterum, Quinctum Fabium Maximum Æmilianum, Æmilii Paulli Macedonici filium, & sic fratrem Publii Cornelii Scipionis Æmiliani, qui Carthaginem excidit: alterum, Quinctum Fabium Maximum Servilianum, Servilii cujusdam naturalem filium. Hos Appianus fratres fuisse scribit: & Quinctum Servilium Cæpionem, qui Viriathum occidit, fratrem Fabii Æmiliani dicit. Illi fratres naturales non erant: sed adoptione fratres fuisse possunt, si ab eodem Quincto Fabio Maximo utrique fuerunt adoptati. Servilius verò Cæpio quomodo Fabii Aemiliani frater dicatur, non video, nisi fortè frater naturalis fuerit Fabii Serviliani (à Servilio patre naturali Servilianus dictus, sicut ab Aemilio Aemilianus) atque ita frater appellatus, qui germanus frater esset ejus, quem adoptio fratrem fecisset.

Fuerunt autem tres hi hoc bello consules: Fabius Aemilianus annó Urbis sexcentesimo nono: Fabius Servilianus sexcentesimo duodecimo: Quinctus Servilius Cæpio sexcentesimo quartodecimo. Quo sui consulatus anno si bellum Viriathinum confecit Servilius, sicut eum tunc consulem faciunt Eutropius libro quarto, & Valerius nono, capite de perfidia: is certè Fabio non successerit consuli, quomodo Lucius Annæus illum hîc vocat, sed proconsuli potius, sicut eum appellat Liviana epitome libro quinquagesimo quarto. Hic autem Fabius Maximus, cui Servilius Cæpio successit, erat Quinctus ille Fabius Maximus Aemilianus, nisi nos fallit Appianus in eodem rerum Hispanicarum libro, qui diutius in Hispania fuit, quam frater Fabius Servilianus. Miror autem, quod scripti calamo & formis libri quinque vetustissimi Pompilio scriberent pro Servilio. Fuit quidem per hæc tempora Marcus Popilius (ita hic apud Livium, Appianum, & Orosium Popilius non Pompilius) Lænas, qui contra Numantinos bellum gessit: sed Viriathum omnes à Servilio Cæpione occisum scribunt.

Apud flumen Durium situata.] Flumen non nominabant antiqui libri: XVIII.
quod adhuc in Hispania nomen retinuit. Durias appellatur Straboni li- 59
bro tertio ὃν ὁ Δουρίας φέρεται παρὰ τὴν Νομαντίαν. Δουρίας. Ptolemæo libro secundo geographiæ. Δόριος Appiano. Durius Latinis fere. Cujus nominis primam syllabam, quam Strabonis, PtolemæiqueGræca producunt, Latini poëtæ cum Appiano corripiunt, Silius libro primo.

Hinc certant Pactole tibi Duriusque Tagusque. Pro SITUATA autem, silata scribebant antiqui libri, eorumque sic etiam unus habebat, apud flumen silata vel sita. quatuor. Certè situare, & situatus, rustica esse & barbara jam inde à puero de magistris meis semper audivi: situs verò omnino Latinum.

Quatuor millibus Celtiberorum, quadraginta millium exercitum.] Iidem numeri apud Orosium quinto: nulli apud Eutropium. Numantinorum, id est, Celtiberorum octo millia numerat Appianus in extremo Hispanico: Romanorum, quos adduxerat Scipio Numantiam, quadraginta millia: & quibus eam urbem obsederit, sexaginta millia. Livianum breviarium libro quinquagesimo quinto habet triginta millia Romanorum, quæ duce Mancino à Numantinorum millibus quatuor victa sint.

Segidensis.] Sedigenses etiam in quibusdam antiquis libris, literis g & d transpositis. Est urbs Celtiberorum σήγιδα, id est Segida apud Strabonem tertio: & eadem σηγήδη id est Segede, sive Segeda, in Hispanicis Appiani.

60 *Pompejum prælio.*] Hic est Quinctus Pompejus: qui cum Numantinis belligeravit consul anno Urbis sexcentesimo tertiodecimo. Livius quinquagesimo quarto.

Hostilium deinde Mancinum.] Aggressi sunt, ut ante. Successit autem hic Marco Popilio Lænati, Quincti Pompeii successori, auctore Appiano, qui Atilium Mancinum vocat. quem Plutarchus in Gracchis Cajum Mancinum, Eutropius Cajum Hostilium Mancinum, Nepos Aulum Hostilium Mancinum, Vellejus Mancinum Hostilium, ut hic noster Lucius Annæus. Consul erat tunc Mancinus, collega Marco Aemilio Lepido, ut scribit Appianus in iisdem Hispanicis, & Orosius quinto: qui erat annus Urbis sexcentesimus decimus & septimus.

Duce Scipione.] Iterum consule, anno Urbis sexcentesimo & vicesimo.

61 *Sic vocant indigenæ ex frumento potionem.*] Et, sic vocant indigenam. &, sic vocat indigena. Nec minus variè scribitur istius è succo tritici confectæ potionis vocabulum, in iisdem nostris exemplaribus, Celia, Cælia, Cœlia, ac apud Plinium in extremo tricesimo secundo. A calefaciendo appellatam legimus apud Orosium quinto: quæ ibi Celia per solam e scribitur. Gregorius, qui Turonibus præfuit ad annum Christi sexcentesimum, in Gallia etiam ejus potionis usum fuisse auctor est, in libro de Miraculis confessorum: sed Coctiam à coquendo vocat: hujusque etymi auctorem citat Orosium: quum apud Orosium, uti diximus, à calefaciendo nuncupata legatur.

XIX. *Quam ducentorum annorum fecimus.*] In principio hujus libri secundi.
63 *Crassi quoque prætoris.*] Hujus tria nomina apud Livium & Eutropium, Pu-
XX. blius Licinius Crassus: quartum Mucianus apud Vellejum Paterculum, & Au-
65 lum Gellium. Hunc omnes esse putant Crassum, quem in Chronicis consulem invenies scriptum anno ab Urbe condita sexcentesimo vicesimo tertio. Appellat tamen hic auctor prætorem, & Paterculus proconsulem, quem Strabo quartodecimo, Liviana epitome quinquagesimo nono, Trogi breviarium tricesimo sexto, & Orosius quinto, consulem. Crassus ille, qui in Asiam consul venerat, fortasse insequenti anno, qui Marcum Perper-

Digitized by Google

nam habuit consulem, non jam amplius consul, sed proconsul, aut prætor, cæsus fuit antè, quàm Perperna consul in Asiam pervenisset, ei in illa provincia successurus. Paterculus enim quando hunc Crassum proconsulem cæsum dicit, addit, decedentem ex Asia.

Mox à Perpenna.] Marco prænomine, ut appellavimus. Istos autem Perpennas PERPERNAS, R pro priore N invenisse scriptos in vetustis marmoribus tradunt antiquarii, & in libris Varronis de Lingua Latina.

Aquilius Asiatici.] Hi, Aquiliine simplice liquida, an ea geminata Aquillii esse debeant, parum mihi compertum. Utroque enim modo in Græcis Latinisque exemplaribus, ac in vetustis inscriptionibus, scriptos reperias: Quin Acilios quoque, Acilliosque interdum pro Aquiliis, Aquilliisve scriptos observavimus. Sed nec hoc liquet: qui bellum hîc Asiaticum, & qui libro tertio Servile confecisse legitur, an idem sit Aquillius, an verò pater hic, ille filius, an aliqui alii. Intersunt certè non plus vigintiocto anni inter annos Urbis sexcentesimum vicesimum quinctum, & sexcentesimum quinquagesimum tertium: quibus hi illa consules gesserunt. Et quod ad prænomen attinet, idem fuit utrique, Manius: quemadmodum ex Græcis exemplaribus dicere licet. quod prisci Latini quia sic notabant, M. sicut nos è Romano foro nuper effossa marmora docuerunt: qui eam notam ab hac M. prænominis Marci diversam non cognoverant imperiti librarii, M. pro M. hoc est Marcos Aquilios pro Maniis Aquiliis, ut diu diceremus, similiterque in multis aliis Romanorum virorum nominibus ut peccaremus, fecerunt. Græci ergo homines quoniam istis prænominum notis non uterentur, in Strabonis quartodecimo, Plutarchi Mario, Appiani Mithridaticis, & primo de bellis civilibus, Manii Aquillii adhuc manserunt scripti. Sic Μάνιοι extant plurimi apud Dionysium Halicarnassensem, & Diodorum Siculum: qui apud Livium & alios Latinos Marci mendose notantur.

In librum tertium.

NUmidia.] Legitur &, Numida. Item, fuit Jugurtha, pro fuit in Jugurtha. contra, pro, citra spem. I. 1

Calpurnius Bestia.] Prænomine Lucius, consul anno Urbis sexcentesimo quadragesimo tertio. 2.

Præmonitus.] Vetus codex, peritus pro hoc præmonitus, fortasse non malè, pro eo, quod est, qui jam periculum fecisset.

Massivam.] Sic appellatur hic apud Sallustium, & Livium: Massiliva in antiquo libro.

Ceterum Thalam.] Et hæc apud Strabonem Θάλα est, libro ultimo. 3.

Digitized by Google

Atque Gætuliam.] Quotcunque Græcos alios legere memini scriptores, gentis hujus mentionem facientes, apud eos omnes non aliter ejus nominis duæ priores syllabæ scribuntur, quam apud Dionysium poëtam, ubi sic legitur.

Γαιτοῦλοί τ' ἐφύπερθε, καὶ ἀγχίγυοι Νιγρῆτες.

Veteres Romani primam hic syllabam quam facerent, dicere quidem non habeo: sed eam tamen cum secunda producunt Virgilius, Ovidius, Lucanus, Silius, Sidonius, omnes poëtæ, sive hic Gætuliam illi dicerent, seu Getuliam, ut in vetustis inscriptionibus sæpius sine diphthongo nomen hoc legitur.

4 *Mulucham urbem.*] Fluvius est Mulucha apud Sallustium, Melam, Plinium, Priscianum: qui Straboni, & Ptolemæo dicitur barbarè Μολοχάθ, id est Molochath. Molochath etiam urbs apud eundem Ptolemæum: quæ non satis mihi liquet, an sit hujus auctoris Mulucha. Quem autem locum Marius Liguris opera cepisse bello Jugurthino legitur, eum Sallustius non urbem Mulucham, sed castellum appellat, non longè à flumine Mulucha in monte saxeo situm. CIRTA in Strabonis mei, & Ptolemæi Græcis, Κίρτα est: in plerisque Latinis exemplaribus cirtha, id est, Κίρθα

Tamen ut venalis.] Antiqua lectio, jam ut venalis.

II. *Prima trans Alpes arma nostra sensere Salyi.*] Diximus in librum primum,
5 qui sint hi Salui, & Salues. Primi ergo Gallorum Transalpinorum fuere Salyes, qui senserint arma Romana: primusque Romanorum Marcus Fulvius Flaccus Transalpinos Ligures bello domuit, ut habet Liviana epitome libro sexagesimo, & Salyos Gallos (sic enim ibi legendum arbitror Salyos sive Saluios pro Falanios) missus in auxilium Massiliensibus. De quibus populis triumphasse proconsul anno ab Urbe condita sexcentesimo & tricesimo, scribitur in antiquis marmoribus. Post Flaccum autem in eadem Gallia bellum gesserunt consules, & proconsules Cajus Sextius Domitius Calvinus, à quo Sextiæ illæ Aquæ conditæ & appellatæ apud Salues Cnæus Domitius Ahenobarbus, & Quinctus Fabius Maximus Aemilianus.

Heduorum.] Hedui, Edui, Αἰδοῦοι, Ἐδοῦοι, eadem Galliæ gens imprimitur: sed vetusta marmora per Æ primam syllabam scalpunt: quam producit Ausonius.

Varus victoriæ testis, Isaraque, & Vindelicus amnis.] Sic libri impressi. alii, variusque, pro Varus. Isaura, pro Isaráque. amnes, pro amnis. Est Varus, fluvius ex Alpibus in mare internum delabens, qui apud Strabonem, Melam, & alios, Italiam à Narbonensi provincia disterminat, libro quoque jam primo memoratus. Sunt & apud eundem Strabonem libro quarto, Vari gens ejusdem provinciæ, inter Druentiam & Isaram, fluvios ex iisdem Alpibus in Rodanum influentes. Isara cujus nominis duas priores syllabas corripit Lucanus libro primo, quique Isar est apud eundem Strabonem, vetus nomen adhuc retinuit, sicut alii ejus regionis

fluvii

Digitized by Google

fluvii Druentia & Rodanus. Qui autem Lucio Annæo memoratur post Isaram fluvius, Sulgam Strabonis esse arbitramur: quem noster Annæus ab oppido cognominaverit, quod Vindalium quatuor syllabis scribitur in sexagesimo primo Liviani breviarii, & in quincto Orosii: at Undalum tribus apud Strabonem. Sulgas (inquit hic geographus libro quarto) secundum οὔνδαλον urbem miscetur Rodano: ubi Cnæus Aënobarbus magno prœlio multa Gallorum millia cecîdit.

Rex ipse bis visus.] Ex his duobus verbis, bis visus, unum faciendum, Bituitus. Ita enim hic rex appellatur in Eutropii breviario, & in Liviana epitome. Bitintus apud Orosium, pro Bituito. Vituitus V pro B., in vetusto Eutropii breviario, & Vetuitus etiam e pro i, secunda nominis litera, in Latinis Eusebii chronicis, ad annum tertium olympiadis centesimæ sexagesimæ tertiæ: ac Βίττος denique, id est Bittus pro Bituito, apud Strabonem libro quarto. Idem autem fortasse nomen Gallicum Βιτοῖτος id est Bitœtus apud Appianum, Gallus dux, cujus manu post haustum venenum uti voluit Mithridates: Bithocus & Sitochus in epitome Livii, & in viris illustribus Nepotis.

Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus.] Memoriæ prodidit Suetonius
in Nerone, & Plutarchus in Paulo Æmilio, Ænobarborum cognomen-
tum esse ex eo natum, qui rutilam, & æri assimilem barbam haberet.
Quærimus itaque nos hic, qui primi Ænobarbum dixerunt, quomodo Vers.
principium compositi nominis enuntiarint. Servius in commentario libri 36.
primi Æneidos scribit, verbum SUADET secundum naturam esse dua-
rum syllabarum: quod si trisyllabum inveniatur solutionem dicendam: quo-
modo ex æno dissyllabo factum sit aënum trisyllabum primum, soluta
diphthongo, & hinc ahænum, sicut docet Aulus Gellius secundo Nocti-
um Atticarum. Hic ergo quæro, an Aenobarbum veteres illi Latini C. 3.
dixerint prima diphthongo: an ea soluta, Aënobarbum: an etiam solu-
tioni interjecto spiritu, Ahenobarbum. De hoc nos ex Latinis exemplaribus
nihil dum comperire potuimus. In Græcis Strabonis, Plutarchi, Dionis,
& aliorum, non minus variè corruptum nomen hoc reperimus. Quod
si in Suidæ collectaneis integrius servatum existimes propter vocum &
literarum ordinem: ibi est Ἀηνόβαρβος, id est, non Aenobarbus prima diphthon-
go, sed ea soluta, Aënobarbus. Diphthongum enim Latinamæ, Græci
per suam αι reddere solent. Quare in Aenobarbo si diphthongum homo
Græcus audivisset, quisquis ille sit, Αἰνόβαρβον, puto, scripsisset. Sed ne-
que Ἀενόβαρβον, ille scripsit, secunda syllaba brevi, ceterum Ἀηνόβαρβον illa
longa, propterea, ut arbitror, quod aëni syllabam secundam produce-
rent Latini. Illud ergo alterum Domitiorum cognomentum, esto nobis
posthac pentasyllabum pro tetrasyllabo, sive id AENOBARBUS sit, sive
quomodo vetera marmora scalpunt, cum spiritu, AHENOBARBUS.
Hunc autem Cnæum Domitium Ahenobarbum, Suetonius de Nerone,
scribit Allobroges & Arvernos in consulatu superasse Livianum breviarium

libro

Digitized by Google

libro sexagesimo primo, & Orosius quincto, contrà Allobroges feliciter pugnasse proconsulem. Fuit autem ille consul anno Urbis sexcentesimo tricesimo secundo. Cui successit in ea provincia Gallia, vel Valerio teste in capite de perfidia. Quinctus Fabius Maximus Aemilianus Allobrogicus, consul anno ab Urbe condita sexcentesimo tricesimo tertio: in quo magistratu Allobroges, Rutenos, Arvernos, & regem Bituitum debellavit; ut Orosius, Plinius libro septimo, Cæsar primo commentario belli Gallici, & alii cum Livio sunt auctores. Fabius autem hic Aemilianus, filius erat Quincti Fabii Maximi Aemiliani, libro secundo in rerum Hispanicarum relatione memorati, & sic nepos Pauli Aemilii Macedonici, Strabone libro quarto, Livio, & Paterculo auctoribus.

III. *In castra Silani.*] Marci Junii Silani consulis anno Urbis sexcentesimo
6 quadragesimo quincto. Livius sexagesimo quincto.

Ut Martius populus.] Romani.

Nec secundum Manlius.] De hoc Manlio & Cæpione, vide Eutropii commentarium

Nisi Marius.] Iterum consul fuit creatus Marius propter bellum Cimbricum, anno Urbis sexcentesimo quinquagesimo: eique continuatus per annos quinque magistratus, dum hoc bellum conficeret.

I, 22, *Qua fide numinum prælio oppressit.*] Libro primo de bello Latino Fides
7 numinum, qua velocitate! Fortasse itaque hîc legendum: quo fides numinum prœlio oppressit! ut interjectio sit admirantis, obstupescentisque illud, fides numinum; utrobique. At Jornandes etiam illic fide, pro fides. AQUÆ SEXTIÆ. à Cajo Sextio Calvino conditore dictæ, oppidum provinciæ Narbonensis. De regis Theutobochi nomine quædam in commentario Eutropii.

8 *Atesim flumen*] Alii in hoc nomine, t, aspirant apud Livium, Plinium, & alios: cujus secundam syllabam corripit Silius octavo, atque primam.

Tum Verona Atesi circumflua.

Plutarchus in Mario Ἀτισῶνα vocat, id est Atisonem. TRIDENTUM autem oppidum, & Tridentinæ Alpes memorantur Plinio, Straboni, Ptolemæo.

9 *Quem Claudium.*] Principium hujus nominis corruperunt librarii. In viris illustribus Nepotis, nescio, quomodo legit Camers, sed codices mei ibi habent Savidum, & Caudium sine l. Antiqui libri scribebant Raudium, R pro CL. Apud Vellejum Paterculum eadem prima nominis litera, quæ in membraneis codicibus. Quincto citrà Alpes in campis, quibus nomen erat Raudiis, ipse consul, & proconsul Quinctus Lutatius, & cetera. Erat autem annus Urbis sexcentesimus quinquagesimus tertius, quum Cajus Marius quinctùm consul fuit.

Millia deinde ad quadraginta ceciderunt.] Altera lectio, & vetus, millia inde ad sexaginta ceciderunt. Vide Livium sexagesimo octavo, & Eutropi-

Entropium quincto, & Orosium. Quod autem sequitur, Hinc campus tertio per omnem diem conciditur barbaris: hoc in antiquis codicibus habebat, Hinc tertio minus per totum diem conciditur barbarus. Ubi illud, tertio minus, potest significare, minus tertia parte: ut sit sensus, Romanos in occidendis Germanis illis & Gallis non totum quidem diem, sed duas diei partes tertias consumpsisse. Orosius. Quarto die, producta utrinque in Campum acies, usque ad meridiem pæne, pari pugnavere discrimine. post ubi incalescente sole, fluxa Gallorum corpora, in modum nivium distabuerunt, usque in noctem cædes potius, quàm pugna protracta est.

Beleus rex.] Celeus apud Orosium quincto. Bolus sexagesimo septimo Liviani breviarii. Boleris pro Boleus in codice antiquo. &, quasi in subsidio. Notandum autem illud, tertia manus in diversa lapsi evanuit. Cimbros & Teutonos, & tertios nominavit auctor Tigurinos, qui Helvetii erant. 10

Litare diis sanguine humano.] Sanguinem humanum, vetus lectio. IV. 11

Cato.] Cajus Porcius Cato, consul anno Urbis sexcentesimo & quadragesimo. DIDIUS autem, Marcus Didius in antiquo exemplari, & apud Rufum. DRUSUS apud eundem Rufum & in epitomes Livianæ sexagesimo tertio Marcus Livius Drusus: qui consul ea gessit anno Urbis sexcentesimo quadragesimo secundo. MINUCII tria nomina Marcus Minucius Rufus, apud Sextum Rufum. Proconsulem appellat Liviana epitome sexagesimo quincto adversus Thraces belligerantem, circiter annum Urbis sexcentesimum quadragesimum sextum. DE PISONE, qui Rodopam & Caucasum penetravit, nihil aliud hic possum tibi tradere. 12

Curio Daciam tenus.] Hauddum me docuerunt grammatici TENUS etiam accusativo casui cohærere, sed tantum genitivo & ablativo. Et certe antiqui libri hic non Daciam, sed Dacia habebant: quomodo idem auctor dixit libro primo, Adriatico tenus mari. & hoc ipso capite de bello Mithridatico, Colchis tenus, & Cicero in Deiotariana, Tauro tenus, pro eo, quod est, usque ad Adriaticum mare, & Colchos, & usque ad Taurum montem. CURIO autem hic, nescio quis alius esse queat, quam Cnæus sive Cajus Scribonius Curio: quem in nonagesimo secundo Livianæ epitomæ, & sexto Eutropiani breviarii, & apud Rufum, legimus in Thrasia & Macedonia triennium adversus Dardanos, & Mysos, res gessisse proconsulem. APPIUS, est, ut arbitror, Appius Claudius, quem apud Orosium, Rufum, Eutropium, Livium leges pluribus prœliis Thraces Rodopam incolentes vicisse proconsulem. cui in provincia Macedonia mortuo, supradictus Scribonius Curio successerat. LUCULLUS denique, Marcus Licinius Lucullus, qui Macedoniam administrabat proconsul, Curionis successor in ea provincia, ut est apud Orosium sexto, Publio Cornelio Lentulo, & Cnæo Aufidio Oreste consulibus, auctore Eutropio libro sexto: quem putamus annum ab Urbe condita sexcentesimum octogesimum tertium.

V. 13. *Atheas.*] Nescio an idem sit Atheas rex Scythiæ, quem memorat Julius Frontinus libro secundo strategematum. In veteribus libris erat Etbas. De septem Persis, à quibus oriundum Mithridatem etiam Polybius quinto, & Josephus undecimo originum Judaicarum, & Nepos, meminerunt: ac Orsinem Quinctius Curtius quarto vide Strabonem in extremo libro quinctodecimo, Justinum libro primo, Ammianumque Marcellinum libro vicesimo tertio, Herodotum, & Ctesiam.

Decem & septem anni.] Quatuordecim tantum in antiquis libris: sed libro secundo secundum bellum Punicum annos duodeviginti durasse dictum est. Quot autem annos duraverit bellum Mithridaticum, variant auctores, ut ostendimus in commentario Eutropii.

VI. 10. *Felicitate Silla.*] De istis titulis & cognominibus, Plinius, & Solinus. Silla autem, qui & vulgo Sylla, in Romanis marmoribus SULLA fere.

Apud Cassium.] Hic est Lucius Cassius apud Appianum.

14. *Interfici jussit.*] Et factum est, inquit Orosius sexto.

16. *Ac sic erat Asia rursus nostra.*] Hæc est Asia minor, particula ejus Asiæ, quam tertiam orbis terrarum partem dixerunt.

17. *Lucullum.*] Lucium Licinium Lucullum tunc consulem: quum esset annus Urbis sexcentesimus octogesimus.

Et Æsapus.] Hoc nomen Latina exemplaria variè corruperunt; Αἴσηπος est Græcis: unde & Aesepum dixeris pro Aesapo. GRANICI autem secundam syllabam producunt poëtæ, ut Hesiodus in Theogonia:

Γρήνικόν τε καὶ Αἴσηπον, θεῖόν τε Σιμοῦντα.

19. *Ciliciæ quoque.*] Antiqui libri Siciliæ pro Ciliciæ. Est ex adverso Campaniæ Sicilia insula. Quod autem sequitur: mox subruto Piræei portu, Colchis tenus jungere Bosphorum, id non erat in membraneis codicibus: cujus prior pars, hæc: mox subrupto Piræei portu, fuit supra, ubi de Sylla, & Athenis.

20. *Arthocen, qui.*] Antiqui libri Adartocen: de quo nomine in commentario Eutropii, & de nomine Albanorum regis. Regis autem Colchorum quod
VII. 6. nomen fuerit, alibi non legi: qui hic Orodes dicitur, sicut Albaniæ rex?

21. *Hierosolyma.*] Hierosolymam habebant vetusti codices, & sic hanc pro hæc. nomen neutrum plurale apud Strabonem, Appianum, Dionem, & alios Græcos, Ἱεροσόλυμα: de quo vide Josephum.

Patens aureo.] Antiqua lectio, patens sub aureo. Quid autem illic viderit Pompejus, cognosce ex libro quartodecimo originum Josephi.

VI. 22. *Piræeum & Achajam.*] Antiqua lectio, Cyrenas, Achajam, sinumque Maleum.

Quem a spoliis.] Quod pro quem libri membranei, ut referatur mare, quo erant contenti.

Isaurumque.] Quædam exemplaria scribunt Isauron. Strabo libro quartodecimo Ἰσαύρους vocat numero multitudinis: Frontinus libro tertio strategematum, Isauram prima declinatione.

Digitized by Google

Gratillius Ligustieum.] Legitur & Ligustinum, n pro c: & Gratilius unico 1: in quo nomine etiam c pro t interdum reperias. In Appiani Mithridaticis Marcus Somponius appellatur, qui Ligustico & Gallico mari præfectus fuit. 23.

Torquatus Balearicum.] Mallius Torquatus apud Appianum.

Pompeii iuvenes.] Filii, ut opinor, ipsius Pompeii Magni, Cnæus, & Sextus: de quibus libro quarto.

Varro Terentius Aegæum & Ponticum & Pamphilium: Metellus Asiaticum.] Locus corruptus, ubi & aliquid deesse suspicor. Appianus Metello Nepoti mare Samphiliæ committit. IV, 39.

Primus invasit insulam Marcus Antonius.] Cujus meminit Cicero in Verrem: & scribit Asconius isto Cretensi bello, morbo interiisse, nihil meliorem Marco Antonio triumviro: de quo lib. 4. VII.

Metellus deinde.] Q. Cæcilius Metellus, consul fuit anno ab Urbe condita sexcentesimo octogesimo quincto, collega Quincto Cortensio. Orosius libro sexto scribit bellum adversus Cretenses à Metello per biennium fuisse confectum, Eutropius per triennium: qui addit lib. sexto, Metellum ex Creta triumphasse anno Urbis sexcentesimo & nonagesimo, Decimo Junio Silano, & Lucio Licinio Murena consulibus. 25. VI. 13.

Et Erythræam.] Ἐρυθραῖον, Id est Erythræum insulæ Cretæ promontorium memorat Ptolemæus.

Urbium matrem.] μητρόπολιν. Urbem urbium dicebat lib. 2. de Carali Sardiniæ: & caput Urbium de Capua Campaniæ, lib primo. CYDONAM autem alii hic Cydoniam vocant, ut est apud Strabonem Κυδωνία, & Dionem. II. 25. I. 35.

Misisset Antonium.] Lucium Octavium, puto, pro Antonio, quem misit in Cretam Pompejus, appellant Plutarchus in Pompejo, & Dio lib. tricesimo sexto.

Lastene & Panare.] Iidem obliqui apud Vellejum Paterculum, à rectis Panares & Lasthenes tertiædeclinationis. Dio lib. tricesimo sexto.

Altero ex liberis.] Metellus Creticus Metelli Macedonici filius non erat, ceterum nepos ejus fortasse, quemadmodum diximus in commentario Eutropii. Liberorum appellatione, non solum filios, verum etiam nepotes, pronepotes, & qui ex iis descendunt, contineri, auctor est Callistratus. Bellum autem contra Baleares à Metellis istis gestum, ego non novi aliud: quam quod exposuit Livius libr. 60. & suo more perstrinxit Orosius 5. quod Cretico prius fuit annis plus 50. Nam Baleares domuit Metellus, quum esset consul, teste Livio, li. sexagesimo, anno Urbis sexcentesimo tricesimo primo. Creta verò, uti dictum est, bello fuit à Metello petita ad annum Urbis sexcentesimum octogesimum quinctum. Quæ autem causa inferendi Balearibus belli fuerit, disce etiam ex Strabone libro tertio, & Orosio libro quincto. VIII. 26.

Porcius Cato.] Marcus Porcius Cato Uticensis. Vellejus Paterculus de IX. 27.

Digitized by Google

Clodio Ciceronis inimico, quem Milo interfecit. Idem Publius Clodius in senatu sub honorificentissimo ministerii titulo, Marcum Catonem à republica relegavit. Quippe legem tulit, ut is quæstor, cum jure prætorio adjecto etiam quæstorio, emitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum. Dio libro tricesimo nono.

X. *Toto orbe divisa.*] Virgilianum & hoc. Est enim in Tityro:

28. Et penitus toto divisos orbe Britannos.

Sic autem & in Britannis, & Britannia n geminant typographi omnes: quæ in vetustis codicibus variè scripta observavi: in antiquis inscriptionibus simplici n, ac in cunctis exemplaribus Græcis. Sed de hoc nomine plura nos in commentario Ausonii.

Longeve cruentior.] Conjunctio non fuit in membraneis codicibus. Quod autem pro Belgarum Camers legendum contendit Nerviorum, ex libro secundo commentariorum Cæsaris, videtur & hoc loco oblitus ille, Nervios ex Belgis esse.

29. *Mora dilabebantur.*] Sic in cunctis nostris exemplaribus. sed quid hic agat ista mora, non video. In ea sunt tres priores litteræ Morinorum, si forte malis legere: Morini dilabebantur in silvas, ex] Cæsaris extremo tertio commentario Gallico. INDUCTIOMARUS autem ibidem scribebatur, qui in aliis exemplaribus est Induciomarus, & Indutiomarus. TREVIRI quoque, Treveri, e pro i. AMBIORIX Ἀμβριόριξ, id est Ambriorix, apud Dionem quadragesimo.

30. *Cottam cum.*] Antiqui libri prænomen addebant Marcum. Hic tamen apud Cæsarem & Dionem Lucius est non Marcus, Lucius Arunculeius Cotta.

Hedui enim de incursionibus.] Locum hunc Camers scribit à Cuspiano suo fuisse restitutum: sed dum non satis clare docet, quomodo restituerit, timeo ego, ut ne fortiter corruperit homo audaculus. Pro illo ergo Hedui, habebant membraneorum codicum alii: eccani: heccavi, alii: & Marnesii Parisiensis exemplaria, hæc avi. Ubi nos ex eodem primo Cæsaris commentario rerum gestarum Galliæ, ab Annæo nostro scriptos fuisse illos existimamus, qui Sequani vulgo imprímuntur. Præcedentis namque verbi ultima consonans, sequenti primam facilè detraxerit: quomodo frequenter fieri solitum supra monuimus. Ita Secani essent illi quidem for-

X15. tasse per c, sicut eos aliquando observavimus scriptos in Ausonii vetustis exemplaribus, & non Sequani, ut nunc vulgo scribuntur: sed cui nostrum compertum quicquam de barbarici nominis orthographia? Parum admodum interesse fateberis inter Secanos & Sequanos.

Iterum ubi de Germanis Tencteri.] Antiqui codices, Iterum de Germanis Centeri querebantur. Tenchateri, Tencteri, Tenchtheri apud Cæsarem: Τέγκτηροι id est, Tencteri apud Dionem tricesimo nono.

Ultra Mosulam.] Massiliam pro Mosulam vetusti codices. Est in commentariis Cæsaris Mosa, apud Ptolemæum & alios, diversis à Mosella fluvius

Mori

Morino solvisset à portu.] Morini duas priores syllabas corripiunt in extremo libro octavo Æneidos, gens Galliæ Belgicæ: quorum urbem Tarvannam memorat Ptolemæus libro secundo geographiæ. Marinorum portus & navale, Gesoriacum, libro primo.

è Regibus Cavelanis.] Antiquorum codicum alii Callidonianis, alii Ca- I.21.
velianis, alii Cavelianum, pro Cavelianis. Apud Cæsarem est Cassive- 32.
launus.

Biturigas.] Bituricas antiqui libri. de quo nomine in Sidonii Apollinaris commentario plura diximus. CARNUTAS. Carnuitas liber antiquissimus adpellabat. Sunt Carnutes apud Cæsarem, & o pro u Carnores in vetusto Gallicarum provinciarum catalogo: tertia inflexione: at
Carnutæ prima apud Ptolemæum, eadem gens. Vercingentorix autem, & 33.
Avaricum, Alexia, Gergovia, sicut in Cæsaris commentariis, ita hic vulgo imprimuntur: sed quis scit, an ita rectè barbarica vocabula? VERCINGENTORIX ille, erat Vergirgentoris, & Vergingetorix in membraneis codicibus: qui est Οὐερκιγγετόριξ apud Strabonem quarto, id est Vercingetorix, penultima longa, quæ brevis est apud Dionem quadragesimo, & quadragesimo tertio. AVARICUM, quod & apud Strabonem Αὐάρικον, Alvaricum erat in nostris codicibus. ALEXIA, Alesia. id est ἀλησία, sicut apud Diodorum quarto scribitur, ἀπὸ τῆς ἄλης: quæ apud Strabo-
nem Ἰλλησία, id est, Illesia pro Allesia. GERGOVIA. Georgovia: in Stra- 34.
bone meo Γεργουνία id est Gergonuia: apud Dionem & alios etiam aliter corrupta.

Habes, inquit, fortem virum vir fortissime vicisti.] Antiquissimi libri, Habes inquit, fortem virum, fortissime vicisti.

Consulis Crassi.] Anno Urbis sexcentesimo nonagesimo nono. Eutropi- XI.
us libro sexto, Dio libro quadragesimo. 35.

Metellus.] Ἀτήιος, id est Atejus, & Ἄτιος id est Atius, in Crasso Plutarchi, Parthicis Appiani, & apud Dionem tricesimo nono. ZEUGMA, tertiæ declinationis nomen, oppidum in fluvio Euphrate situm.

Apud Nicephorum.] Νικηφόριον, id est Nicephorium, hoc Mesopotamiæ oppidum apud Strabonem, Ptolemæum, Dionem, Stephanum.

Ab Orode.] Herode antiqui libri scribebant: sed Græcis hic omnibus Ὀρώδης appellatur præter quam Plutarcho in Crassi vita: ubi ὑρώδης legitur, id est Hyrodes pro Orode, alios legisti duos orodes supra in bello Mithridatico. Est autem apud Eutropium & alios Latinos, tertiæ declinationis Orodes, sicut & Herodes, quum apud Græcos ὀρώδης sit primæ, quomodo Anchises.

Sed Seleucia.] Ita Dio libro quadragesimo, Appianus, Plutarchus. apud Ctesiphontem Sextus Rufus. Multas Seleucias memorant geographi urbes & regiones. hæc Mesopotamiæ urbs fuit (Μεσοποταμία dicta est regio, quæ inter fluvios Euphratem & Tigrim esset) in confluente Euphratis eo fossa perducti, atque Tigris, ad nonaginta millia passuum à Babylo-

Digitized by Google

bylone, auctore Plinio libro sexto, ejus regionis metropolis, avari illius & superbi Crassi temporibus, ut scribit Strabo libro sextodecimo. Juxta autem Ctesiphon erat, tertio ab ea lapide, vicus magnus iisdem temporibus, sed Sarthici regni postea caput, eodem auctore Strabone, & Plinio.

Mezeræ Syro.] Mazaræ, a pro e in prima & secunda syllaba, antiqui libri. Alii aliter hunc transfugam vocant scriptores. Est Ἀριάμνης, id est Ariamnes, in Crasso Plutarchi: Ἄκβαρος id est Acbarus, in Parthicis Appiani: Αὔγαρος id est Augarus, apud Dionem libro quadragesimo: Marachus & Macorus apud Sextum Rufum.

36. *Sillaces & Surenas.*] Corrupta fuerunt hæc Parthica nomina tum hic, tum apud Orosium, & Rufum, & Dionem. In Græcis Plutarchi & Appiani, σιλλάκης & σουρήνας, ac simplici etiam liquida σιλάκης. CARRÆ ejusdem Mesopotamiæ urbs. PERICEIS pro sericis, quidam ex libris veteribus.

XII. *Unde regnare.*] Livius septuagesimo, septuagesimo primo, & nona-
38. gesimo septimo: Appianus primo bellorum civilium, Plutarchus in vita Gracchorum fratrum, Asconius in Divinationem, Suetonius Tranquillus in Julio Cæsare, & noster mox auctor.

40. *Merces erat.*] Petronius Arbiter:

----Quare tam perdita Roma
Ipsa sui merces erat, & sine vindice præda.

XIV. *Tiberius Gracchus.*] Tribunus plebis, Marco Scævola, Lucio Calpurnio
14. consulibus, quum esset annus Urbis sexcentesimus vicesimus primus.

Mancinianæ deditionis.] Locum hunc tibi Vellejus Paterculus explicet.

Cnæum Octavium.] Livius, & Appianus, & Plutarchus, Marcum pro Cnæo vocant hunc Octavium. Tribunus plebis erat & hic, atque ita Tiberii Gracchi collega. Tribunorum autem plebis, inquit in hac historia Plutarchus, hæc potestas erat, ut uno intercedente, alii etiam si plures essent, nihil agerent.

XV. *Ab Opimio consule.*] Anno Urbis sexcentesimo tricesimo tertio. Huic
42. autem consuli prænomen est Lucio apud Vellejum Paterculum, Plutarchum, & alios.

XVI. *Appulejus Saturninus.*] Lucius prænomine apud Paterculum, Cnæus in
43. Livii epitome libro sexagesimo nono. P, autem geminant in vetustis marmoribus APPULEII.

Consulatu suo.] sexto, ut est apud Appianum primo bellorum civilium, & sexagesimo nono Liviani breviarii, anno post conditam Romam sexcentesimo quinquagesimo quarto, collega Lucio Valerio Flacco, quemadmodum etiam meminit Cicero in oratione pro Rabirio perduellionis reo.

Annio competitore.] Νώνιος, id est Nonius pro Annio, hic apud Appianum

Digitized by Google

num & Plutarchum in Mario: Aulus Numius sexagesimo nono Livianæ epitomes, & apud Orosium quincto Nummius in viris illustribus Nepotis, geminata consonante m: Mumius ea simplici apud Valerium nono de Violentia & Seditione.

Glauciam consulem faceret.] Non fecit tamen. Cicero de claris oratoribus. Est autem hic, Γλαυκίας libro primo civilium bellorum Appiani: & Memmius Μέμμιος.

Expulsus inde, in Capitolium invasit.] Capitolium invasit, sine priore in quodam ex nostris libris. Digressus autem DEGRESSUS in antiquis. Victorinus in capite de orthographia. Degredi, ex superiore loco descendere: Digredi, ex aliquo loco discedere.

Livius Drusus.] Marcus prænomine apud Velleium & alios. XVII.

Damnatione Rutilii.] Prænomine Publii apud Livium septuagesimo & Vellejum Paterculum. 44

Consul Philippus.] Lucius Marcius Philippus anno Urbis sexcentesimo sexagesimo tertio. 46 XVIII.

Popedius.] Silo Popedius apud Vellejum, & Livium septuagesimo sexto. Πομπαίδιος hoc est Pompædius, apud Diodorum Siculum tricesimo septimo. Πομπίδιος, id est Pompedius, quincto geographiæ Strabonis: & a pro e, Quinctus Pompadius apud Appianum primo civilium. Erant ergo hic Quinctus Popedius Pilo homo Marsus, & Titus Afranius, & Pontius Telesinus Pamnis, ex Italicis ducibus contra Romanos. Alios tibi dabunt multos Diodorus, Livius, Velleius, Appianus, Eutropius. 47

A Corfinio.] A confinio, n pro r, antiqui libri: sed apud Diodorum, Strabonem, & Paterculum legimus, Italicis istis rebellibus oppidum suæ Italiæ Corfinium, caput imperij sui fuisse lectum, Italicamque transnominatum.

Latinarum.] Feriarum, de quibus Varro, Livius, Macrobius, & alij.

Sextus Iulius Cæsar, & Lucius Marcius Philippus consules.] Anno Urbis sexcentesimo sexagesimo tertio, ut modò dicebamus.

Ecce Grumentum.] Lucaniæ oppidum apud Livium, Macrobium, & geographos. Γρύμεντον apud Ptolemæum, sed τρέμεντον apud Strabonem & Appianum, id est Trumentum, pro Grumento. CARCEOLI, Καρκέολοι, & Καρσίολοι apud Græcos.

Reserata Nuceria & Picentij, cædibus, ferro.] Vetus scriptura, res erat à Nuceria & Picentia cædibusque ferro. Singularia sunt nomina Nuceria, & Picentia, apud Strabonem quincto, & Plinium tertio. Eadem est Nuceria: quæ in bello Spartaci memorabitur.

Fusæ Rutilij copiæ] Publius Rutilius Lupus consul anno Urbis sexcentesimo sexagesimo quarto, infeliciter contra Marsos pugnavit, & in prælio cecidit. Ejus legatorum unus, Quinctus CÆPIO non multo post fuso exercitu cecidit etiam ipse, circumventus insidiis Quincti Popedij. Livius septuagesimo tertio, & Appianus.

Nam

Digitized by Google

Nam ipse Iulius Cæsar.] Hoc Appianus primo bellorum civilium de Rutilio consule. Cæsarem quidem in hoc bello Sociali novimus Lucium Iulium Cæsarem, quem pro Lucio Sextum appellent Appiani Græca: qui collega ejusdem Rutilij fuit in consulatu, & malè adversus Samnites pugnavit: sed in Asculi obsidione proconsulem insequenti anno morbo decessisse, auctor est Appianus.

Cato discutit Etruscos.] Quisquis sit hic Cato, Lucius Porcius Cato, consul cum Pompeio Strabone Pompeij Magni patre, anno Urbis sexcentesimo sexagesimo quincto, rebus prospere gestis, fusisque aliquotiens Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. Livius septuagesimo quincto, & Appianus primo civilium.

Gabinius Marsos.] Aulus Gabinius legatus, à Lucanis, adversus quos res prosperè gesserat, occiditur, apud Livium libro septuagesimo sexto.

Carbo Lucanos.] Potest hic esse Cnæus Papirius Carbo, qui consul postea bello civili Marij & Syllæ occisus fuit.

Sylla Samnites.] Lucius Cornelius Sylla: inter quem & Marium postea bellum fuit.

Strabo verò Pompeius.] Cnæus Pompeius Strabo, pater, uti diximus, Cnæi Pompeji Magni, hoc bello legatus fuit Rutilij consulis primum: deinde insequenti anno consul, Collega Lucio Catone: & postremo insequenti anno proconsul, quando evertit Asculum. Livius septuagesimo quarto, & septuagesimo sexto, Paterculus, ac Appianus.

XIX. *Herdonio Sabino.*] Hic est Appius Herdonius Sabinus apud Titum Livium

49. libro tertio, Ἄππιος Ἑρδώνιος, id est Appius Erdonius in Græcis Dionysij Halicarnassensis libro decimo. Erat autem annus ab Urbe condita ducentesimus nonagesimus quartus, quum exules, & servi hunc tumultum excitaverunt, Erdonio duce.

Latifundiis civium Latinorum.] Latè fundis civium Romanorum, antiqui libri: & comas pro cæremonias: sexaginta pro quadraginta.

50. *Manilij, Lentuli, Pisonis, Hipsei.*] Hos ego prætores non satis novi, qui sint, neque quid contra servos istos gesserint. Hipseos autem HYPSÆOS, prima vocali Græca, & media diphthongo apud Ciceronem, Livium, Asconium, & alios scriptores Latinos, scribendos censent antiquarij: quomodo inveniantur & in Appiani, & Dionis, & aliorum Græcis, ὑψαῖοι. unde unde originem ducant. Hypsæo autem à fugitivis in Sicilia profligato, prænomen est Lucio in fragmento libri tricesimi quarti Diodori Siculi, quod Henricus Stephanus nuper Latinum edidit.

Per fugitivos] Antiqua, & vera lectio, per fugitivarios. Erant apud veteres FUGITIVARII, fugientium servorum reprehensores: qui eam operam profitebantur, ut fugitivos investigatos reducerent. Budæus in annotationibus.

Tandem Perperna.] Quæ Perpernam contra fugitivos in Sicilia scribit gessisse hic auctor, ea Cicero de signis, Livius quinquagesimo nono, Diodorus,

rus, Orosius, ac alij, Publium Rupilium gessisse tradunt. quod quid sit, miror. Consul autem erat eo anno Publius hic Rupilius, collega Publio Popillo Lænate, quem marmora Romana annum Urbis sexcentesimum vicesimum primum computant.

Apud Ennam.] Siciliæ urbem. Sic Ennam, non Ætnam legendum ex Strabone, Diodoro, & ceteris. Istum autem εὔνουν phthiriasi periisse in vinculis Diodorus, & Plutarchus auctores sunt, sed Romæ Plutarchus, 51
Diodorus, Morgantij, urbe Siciliæ.

Quum statim à servis & à Syro.] Altera lectio, quum statim servi. & à Syro reditur ad Cilicem. Erat autem Eunus ex Apamea civitate Syriæ: at è Cilicia regione contermina Athenio. Quod vocabulum sic etiam in Ciceronis frumentaria, in Maximinis Julij Capitolini, ubique secundam syllabam aspirare video. Ceterum fuit Cleon, aliique multi eodem tempore fugitivorum imperatores: quos Livius in primis, & Diodorus memoraverunt.

Servilij castra.] Hi sunt Caius Servilius, & Lucius Licinius Lucullus: tricesimo sexto bibliothecæ Diodori.

Sed Aquillius.] Manius prænomine, ut monuimus in extremo commentario libri secundi, quem Latinus Diodorus tricesimo sexto, Caium Acilium mendosè appellant pro Manio Aquilio: consulemque facit, & Caji Marij quinctum consulis collegam. Verum Aquillius hic utrum eo ipso sui consulatus anno, qui fuit annus Urbis sexcentesimus quinquagesimus tertius, an verò insequenti, fugitivos istos castigaverit, ut dubitem, facit: quod libro sexagesimo nono Liviani breviarii legam Manium Aquillium non in quincto, sed sexto ejusdem Marii consulatu bellum Servile confecisse consulem. Sic enim non consul, sed proconsul illic legendum videretur. Ceterum utrocunque anno finitum sit posterius hoc servorum Siculorum bellum, quod non satis comperi, quibus consulibus sit initum, id apud Diodorum annos prope quatuor durasse scribitur. Prius autem ab Euno & Cleone gestum, quod anno ab Urbe condita sexcentesimo vicesimo primo finem accepisse diximus, hoc cognosces ex Orosii libro quincto non esse ortum ante consulatum Servii Fulvii Flacci, & Quincti Calpurnii Pisonis: qui incidit in annum Urbis sexcentesimum decimum & nonum: & sic neque hoc plus quatuor annos durasse.

Quum septuaginta aut amplius.] Antiqui libri triginta habebant pro sep- XX.
tuaginta: Epitome Liviana, Paterculus, Eutropius, Orosius, septua- 52
ginta quatuor numerant: Plutarchus in Crasso septuaginta octo. Illud enim, ὀγδοήκοντα δυοῖν δέοντος, duodeoctoginta significat.

à Clodio Glabro.] Claudium Pulchrum legatum appellat Liviana epito- 53
me libro nonagesimo quincto: Plutarchus, & Orosius Clodium tantum. Appianus Οὐαρίνιον Γλάβρον, ist est, Varinium Glabrum: sed apud Livium & Plutarchum Varinius sive Varenus, ut aliter scribitur, nomen ejus est, qui post Glabrum à Spartaco cæsus fuit prætor: quem Publium Valerium

Digitized by Google

pro Publio Vareno vocat Appianus in eodem extremo libro primo bellorum civilium.

Vitigineis.] Antiqui libri vitineis.

Deinceps Thoram.] Choram Imberti nostri vetus codex. Campaniæ urbem esse credo, quæ Κόρα apud Strabonem, aliosque Græcos scribitur, ac sine spiritu quoque Cora, & ejus Corani apud Plinium, Solinum, Propertium, Silium, sicut etiam conditor Coras apud Virgilium.

54 *De stipendiario Thrace.*] Thrax dicebatur, qui è Thracia regione erat: & Thrax gladiatorum alter, quum alter Mirmillo appellaretur. Ausonius in Monosyllabicis.

Quis Mirmilloni contenditur æquimanus? Thrax.

Thrax autem utroque modo erat, Spartacus: Crixus, & Oenomaus Galli.

Munerator] Ἀγωνοθέτης sive ἀθλοθέτης, muneris publici exhibitor, munerarius, sicut Suetonium in Domitiano dixisse Budæus annotavit. Controversiarum Senecæ liber quartus incipit. Quod munerarii solent facere ad expectationem populi detinendam. Munerarium autem Augustus Cæsar primus dixit auctore Quinctiliano, libro octavo.

Lentuli exercitum cecidit.] Consulis cum Lucio Gellio, anno Urbis sexcentesimo octogesimo secundo. Cujus prænomen est Cajus apud Livium libro nonagesimo sexto, Cnæus apud Cassiodorum. Antiqui autem libri percecidit scribebant, pro simplici cecidit.

Caii Crassi castra.] Liviana epitome. Orosius, & Plutarchus, hunc proconsulem Cajum Cassium appellant.

57 *Licinius Crassus.*] Prætor apud Livium libro nonagesimo septimo. Hic autem est Marcus Licinius Crassus, quem supra dixit à Parthis occisum

XXI. fuisse. *Sulpicia lege.* Publius Sulpicius tribunus plebis legem tulit, qua

III.35,36, Cajo Mario bellum Mithridaticum decernebatur. Vellejus, & ceteri.

Et Albinovanus.] Ἀλβινοανὸς apud Appianum. Ad quendam Albinovanum est Horatii epistola libro primo: & Ovidii elegia libro quarto de Ponto.

58 *Cornelio Cinna, Cnæo Octavio consulibus.*] anno Urbis sexcentesimo sexagesimo septimo.

59 *Horrificaverant.*] Vetus codex, honorificaverant. Quo verbo qui sit usus, habeo scriptorem nullum Lactantio Firmiano antiquiorem. At horrificare est apud Virgilium libro quarto Aeneidos.

Cinna, Marius.] Hic Cinna est supradictus consul Lucius Cornelius Cinna; Marius, Cajus Marius hujus belli auctor: cujus tertium nomen dicere non potuit Plutarchus. CARBO, Cnæus Papirius Carbo. SERTORIUS, Quinctus Sertorius: qui postea bellum gessit in Hispania.

Antonii consularis.] Vide Valerium libro nono de crudelitate. Erat autem hic, Marcus Antonius orator, Marci Antonii triumviri, contra quem sunt Ciceronis Philippicæ, avus, teste Plutarcho: qui consul fuerat, nisi fallor anno Urbis sexcentesimo quinquagesimo quincto: & cujus caput etiam pro Rostris positum fuisse, Cicero meminit tertio de oratore.

Ce-

Digitized by Google

Cæsar & Fimbria.] Idem Cicero in Tusculana quinta, & in ejusdem tertii de oratore principio, mortem deflet duorum Cæsarum fratrum, Caii Julii, & Lucii Julii: quos occiderit Marianus Cinna, & eorum capita non longè posuerit ab Antonii capite pro Rostris. Appianus utriusque meminit primo bellorum civilium, quum eos in via captos cum aliquot aliis dicit, & interfectos. Meminit etiam Asconius Pedianus in Orationem Ciceronis pro Scauro: ubi scribit Lucium Cæsarem fuisse prætorem, & consulem: Cajum verò oratorem, poëtamque egregium, ædilicium periisse, quum ad consulatum aspiraret. Ut dubitem: quis fuerit Cajus Cæsar consularis & censorius, quem Valerius libro nono tradit à Cajo Mario ad Varii bustum esse trucidatum. Ego per hæc tempora nullum novi Cajum Cæsarem consulem: & fortasse librarius Cajum illic notavit pro Lucio. FIMBRIAS tres hoc civili bello raptos fuisse legimus. Horum duo fratres fuerunt, auctore Appiano, & Marianarum partium: quorum alterum Vellejus Paterculus Cajum Flavium Fimbriam appellat, qui se in Asia sub adventum Syllæ interêmit. Alterum Appianus sine prænomine Flavium Fimbriam vocat: quem Albinovanus in Italia interfecit, quando defecit ad Syllam. De tertio legere meminimus hoc tantum, quod noster Annæus memoriæ prodidit. Augustinus locum hunc transtulit quidem in librum tertium de civitate Dei, sed ita, ut nihil addiderit, unde hic Fimbria domi suæ interfectus, nobis evadat notior. CRASSO patri prænomen est Publio apud Ciceronem: atque ita Publius Licinius Crassus ejus tria nomina. Hujus autem cædis etiam Asconius meminit in commentario orationis pro Scauro. BÆBII sunt hic duo, diversarum partium, quocunque se generis gradu contingerent. Priorem, Syllanum, Appianus Marcum Bæbium vocat: Alterius, qui Marianus fuit, prænomen non novi, ni fortè sit Cajus Bæbius, quem bello sociali, Lucio Cæsari in Asculi obsidione mortuo, successisse, Appianus auctor est. NUMITORIUM hic auctor nominat, & Augustinus, quem Appianus Γάϊον Νεμεστόριον, id est Cajum Nemestorium, nisi fallor. Quinctus Lutatius CATULUS, quem Augustinus, hausto veneno, se manibus inimicorum subtraxisse ait, quis fuerit, & quomodo perierit, lege apud Vellejum, & Appianum. MERULAM Vellejus Lucium Cornelium Merulam vocat: qui, quum ex auctoritate senatus, Cinnæ abrogatus esset consulatus, in ejus locum suffectus fuerat. Ita sacerdos Jovis, & simul consul erat: qui tamen se sub reditum Cinnæ in Urbem, consulatu abdicaverat. ARQUARIUS est Ἀγχάριος apud Appianum, & Plutarchum in vita Marii, id est Ancharius in membraneis codicibus. Cui fuit prænomen Quinctus. 60

Non porrexeras.] Marius. In ipsius enim Marii oculis continuo feriebantur, quibus salutantibus dexteram porrigere noluisset.

Septima illa Marii purpura.] Septimus consulatus: quem gessit anno Urbis sexcentesimo sexagesimo octavo, collega eodem Cinna. De purpura autem, & veste consulari, Plinius, Budæus, Baifius.

 Si

Si annum.] Consulatum iniit Marius primo die Januarii, & septimo decimo obiit mortem, auctore Plutarcho.

61 *Scipione Norbanóque consulibus.*] Anno Urbis sexcentesimo septuagesimo primo. Hi autem sunt Lucius Cornelius Scipio Asiaticus, & Cajus Norbanus apud Appianum, & Cassiodorum, & Julium Obsequentem, & in antiquis marmoribus. In antiquis porro libris erant octo legiones, quæ septem in aliis.

Marius iuvenis, & Carbo consules.] Anno Urbis sexcentesimo septuagesimo secundo. Hic autem est supradictus Cnæus Papirius Carbo. Marius vero, Cajus Marius supradicti Caii Marii septies consulis filius, Livio, Diodoro, Paterculo, Plutarcho, Nepote, hoc Annæo, Eutropio, Augustino, omnibus, puto, auctoribus, præter Appianum, qui libro primo bellorum civilium, eum dicit filium fratris, illius septies consulis Marij: Ita fratris filium hic fortassis adoptaverat. Iuvenem autem Marium, consulem per vim creatum ante vicesimum ætatis annum, legimus in Liviani breviarii libro octogesimo sexto: anno ætatis vicesimo quincto, in viris illustribus Nepotis: vicesimo sexto, apud Vellejum: vicesimo septimo, apud Appianum.

Nanque Quinctus Mucius Scævola pontifex.] Maximus: quem divini humanique juris auctorem celeberrimum dicit Vellejus: Cicero tertio de Oratore, & de natura deorum, temperantiæ prudentiæque specimen, ante simulachrum deæ Vestæ trucidatum: quod suo etiam sanguine re-
62 sperserit, eóque æternum illum ignem (quod addit Augustinus) Virginum curæ commissum, propè extinxerit.

Lamponius.] Marcus Lamponius, & Pontius Telesinus apud Appianum, Vellejum, Livium. Lucanus erat Lamponius, Telesinus Samnis.

Apud Sacriportum.] Vellejus, & Lucanus, & Nepos, & Orosius ita appellant locum hunc. Appianus utraque voce integra ἱερὸν λιμένα, id est Sacrum portum. Hic item Collinas portas, quam Latini Collinam portam, unam ex urbis Romæ portis.

Quatuor millia deditorum.] Tria pro his quatuor apud Orosium quincto: septem millia, apud Augustinum tertio de civitate Dei: octo millia, octogesimo octavo Livianæ epitomes: novem millia, in ejusdem Nepotis illustribus viris: quatuor legiones, apud Valerium nono.

In via publica.] Sic & Livianum habet breviarium: sed villa pro via Augustinus, à quo hæc, ut supra diximus, in librum tertium de civitate Dei translata sunt, & Nepos & Vallerius libro nono de crudelitate. In publica villa, inquit hic, quæ in Martio campo erat. Hujus villæ Cicero, Livius, Victor, & alii meminerunt. In villa tamen illa publica Valerius non millia civium Romanorum, sed legiones obtruncatas dicit.

Fursidio.] Hic est Cajus Fursidius, s pro f, quarta nominis litera, in Orosio meo: Αφίδιος, id est Afidius, in extremo Sylla Plutarchi. FUFIDIUS in antiquis Romanis inscriptionibus idem nomen potest videri.

Alii

Alii autem hoc Syllæ tradiderunt dictum à Cajo quodam Metello: alii à quodam Quincto Catulo.

Ingens illa tabula.] Non potuit non esse magna, quæ duum millium Romanorum nomina contineret. Eundem autem numerum habet Augustinus. Appianus quadraginta senatores, & mille sexcentos equites. Valerius Maximus de crudelitate Syllæ. Quatuor millia & septingentos diræ proscriptionis edicto jugulatos, in tabulas publicas rettulit. Vellejus de eodem. Primus ille, & utinam ultimus, exemplum proscriptionis invenit, & quæ sequuntur.

Fata Carbonis.] Hic est supradictus Cnæus Papirius Carbo: cujus caput Pompejus è Sicilia Romam misit ad Syllam. SORANUS potest esse ille Quinctus Valerius Soranus, quem Lucius Crassus vocat togatorum litteratissimum apud Ciceronem tertio de oratore: quem Plutarchus Quinctum Valerium appellat, philosophum imprimis eruditum: & quem dicit ejusdem Pompeii jussu in eadem insula Silicia fuisse occisum. Valerius Soranus, quem Plinius & Solinus scribunt pœnas luisse, quum alterum Urbis Romæ nomen enunciavisset, quod arcana cæremoniarum publicari vetarent, hic, nescio, quo genere mortis perierit, nisi fortè sit tribunusplebis. quem tradit Servius in librum primum Æneidos, auctore Varrone, in crucem sublatum fuisse ob enunciatum alterum illud Romæ nomen. Sunt autem & Valerii Sorani versus apud Augustinum libro septimo de civitate Dei, quisquis ille sit poëta Soranus. Qui post Soranum nominatur VENULEJUS, is non magis mihi notus, quam Soranus. Paulus Orosius triumvirum vocat, quisquis sit. DE BÆBIO ante monuimus: quem non nominat Augustinus, sed significat, quum ait, Quendam enim sine ferro, laniantium manus diripuerunt, immanius homines hominem vivum, quam bestiæ solent discerpere cadaver objectum: & subjungit. Alius oculis effossis, & particulatim membris amputatis, in tantis cruciatibus diu vivere, vel potius diu mori, coactus est. Ubi significat Augustinus eum, quem Lucius Annæus MARIUM ducis fratrem vocat: Livianum breviarium octogesimo octavo, Marium senatorii ordinis virum: Quinctus Cicero de petitione consulatus, & Plutarchus in Sylla, & Orosius quincto, Marcum Marium, in quo Syllæ satelles, nobilissimus ille sua in patriam conjuratione Lucius Sergius Catilina, tantam exercuerit crudelitatem: Valerius libro nono, Marcum Marium prætorem: Asconius Sedianus Marcum Marium Gratidianum, summæ popularitatis hominem, qui ob id bis prætor fuerit. Habuerit itaque hoc civile bellum Marios tres: Cajum Marium, cujus tertium nomen Plutarchus dare non potuit, ejus civilis belli auctorem, quem in septimo suo consulatu domi morbo decessisse, suprà diximus: Cajum Marium ejusdem Marii septies consulis nepotem ex fratre, & fortasse filium per adoptionem, ut diximus, qui iuvenis, consul fuit cum Cnæo Papirio Carbone, ut ante dictum est, & mortem sibi in cuniculo Præneste conscivit,

Digitized by Google

ficut Livius fcripfit: & Marcum Marium Gratidianum, quem Lucius Catilina interemit. Hunc autem quando Lucius Annæus fratrem ducis dicit, dux ille, non video quis alius hoc loco poffit intelligi, quàm Marius fepties conful: fed fic an frater ejus germanus fuerit, an patruelis, an adoptione frater, id ambigitur. GRATIDIANI, nomen adoptionem certè mihi refipere videtur, ut fit aliquis Gratidii alicujus filius (Gratidium quendam memorat Orofius, Marii legatum, quafi primam belli civilis victimam à Sylla interfectum) ab aliquo Mario adoptatus. Tales enim funt Æmiliani, Fabiani, Octaviani: quos fcimus Æmiliorum, Fabiorum, Octaviorum filios fuiffe naturales, qui in alienas familias inducti fint. Quod porro CATULI fepulchrum dicit Lucius Annæus, fepulchrum Lutatiæ gentis, & Lutatiorum dixit Valerius in illo capite de crudelitate, & Orofius: quo fuæ gentis monumento Catulus ille pofitus fuerat. Quem effe puto Quinctum Lutatium Catulum, qui fe, haufto igne ludibrio hoftium exemiffe, fupra dictus eft: ad cujus fepulchrum videtur Catilina Marium Gratidianum, quem effet occifurus, ideo per ora vulgi pertraxiffe, ut ibi, quafi ipfis cernentibus cineribus, ab eo repofceret pœnas mortis Quincti Catuli, viri tum aliarum virtutum, tum belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Cajo Mario communis fuerat, celeberrimi.

c. 28. *Sub hafta venierunt.*] Auguftinus tertio de civitate Dei. Subhaftatæ funt etiam, tanquam villæ, quædam nobiles civitates. SPOLETIUM in quibufdam exemplaribus trifyllabum eft Spolêtum: apud Appianum, Strabonem, & ceteros Græcos, Σπολήτιον. INTERAMNIUM, Interamnum quatuor tantum fyllabis, & Interamna erat in nonnullis ex noftris codicibus. Interamna eft apud Strabonem & Plinium: Interamnia apud Ptolemæum. Apud quem auctorem invenies etiam Interamnium, fed id Hifpaniæ oppidum, non Italiæ. De crudelitate Syllæ in PRÆNESTINOS Livius octogefimo octavo, Valerius nono, Appianus primo. FLUENTIA in codicibus antiquis erat Florentia, de qua urbe Angelus Politianus in epiftola fecunda libri primi. Similia nomina apud Livium, & Appianum Fidentia, Fanentia: Faventia: ceterum illum Appiani Φανεντίαν, Φαυεντίαν effe debere putant. quam Faventiam, Strabo & Ptolemæus noverunt, & non longè ab Arimino ponunt.

XXII. *Hoftile potius, an civile.*] Civile bellum, quod inter fe gerunt cives,
64 & ejufdem loci incolæ: hoftile, quod hoftes, id eft peregrini, & diverfarum civitatum, regionumque homines. Ita enim HOSTES funt dicti prius, qui poftea peregrini, auctore Cicerone primo officiorum, & Varrone, quarto de Lingua Latina. Quod autem hoftile hoc loco appellatur, idem etiam externum bellum dicetur in fine hujus capitis, & libro quarto in capite de civili bello Pompeii & Cæfaris.

Ubi viro cum viris.] Ut, pro, ubi, quidam libri. alii nec ut, nec ubi.

65 *Domitius & cohortes.*] Ethorius pro, & cohortes, in vetuftis codicibus: fed

Digitized by Google

sed hoc, quid verbi sit? & proluderent, pro præluderent. Frontinus libro primo & secundo strategematum, istarum Herculei cohortium meminit, quæ validissimæ vocabantur. HERCULEIOS autem, quos & Herculeos & Hertuleios variant exemplaria, duos minimum in hoc bello fuisse fratres, ostendimus in librum sextum breviarii Eutropiani.

Apud Segoviam.] Ita hanc hodieque nominant Hispani: quam per a in prima syllaba Sagoviam apud Plinium scriptam leges. Eadem σηγουβία in Græcis Ptolemæi. Est autem & Segobrida apud Strabonem libro tertio: circa quam urbem Quinctus Sertorius, & Quinctus Cæcilius Metellus Pius pugnaverunt.

Apud Lauronem, atque Sucronem.] Λαύρων urbs est apud Appianum primo bellorum civilium, & Plutarchum in Sertorio. σούκρων in Pompejo ejusdem Plutarchi, & Sucro apud Pomponium Melam, aliosque geographos, fluvius Hispaniæ Tarraconensis: apud quem, quum Pompejus absente Metello, congressus fuisset cum Sertorio, vulnus accepit in manu. Est apud Appianum σούρων, id est Suro, urbs à fluvio Sucrone unica litterula differens: apud quam urbem, Metellum & Pompejum Magnum cum Sertorio & Perperna pugnasse scribit, & in eo prælio Pompejum rursus vulneratum fuisse, sed in femore, hasta. TERME, quæ & Therme in nonnullis exemplaribus, hæc in antiquis codicibus & Plinio & Ptolemæo Termes est. TUTIA in veteribus libris Tudia, d pro t in secunda syllaba: in Plutarchi Sertorio Τυττία, id est Tuttia. AUXIMA, Auxuma, u pro i, in antiquis libris: Uxama & Uxuma apud Orosium: Οὔξαμα id est Uxama apud Ptolemæum, ejusdem Hispaniæ Tarraconensis urbs.

Et infame.] Hoc infame, duo sunt verba in nonnullis exemplaribus, in fame. Libro quarto de Perusino bello. turpi & nihil non experta fame. At Paulus Orosius quincto. Caligurum Afranius jugi obsidione confectum, ad infames escas miseranda inopia coactam, ultimo, cæde, incendioque delevit. Hi sunt Vascones. & Cantabri, quos Iuvenalis in satyra tertia libri quincti memorat carnibus humanis in dira longæ obsidionis egestate se aluisse. Quæ autem CALAGURIS in impressis codicibus, in aliis calagurus erat: unde obliquus ille in Orosio, i pro a, in secunda syllaba, sicut scribuntur Caliguritani apud Valerium Maximum libro septimo, de necessitate. Calagurii in libro nonagesimo secundo Liviani breviarii, à recto Calagurium esse potest. Καλίγυρις apud Strabonem tertio, Καλαγορίνα apud Ptolemæum secundo, Calagorris apud Ausonium in epistola ad Paulinum, nunc calahorra.

Marco Lepido, Quincto Catulo consulibus.] Anno Urbis sexcentesimo septuagesimo sexto. Cajum autem pro Quincto, Catulum hunc appellant Appiani Græca: sed vetera marmora Quinctum, & non Cajum. XXIII. 66.

Quod non tenuere aliis in civitatibus.] Antiqui libri temere pro tenuere, & alias pro aliis. Ita alias erit adverbium. TEMERE verò, sicut libro secundo de Numantino bello, & libro primo de Tarentino, idem erit, 67.

quod

quod apud Quinctilianum libro primo Institutionum oratoriarum, quum dicit: Illud ingeniorum, velut præcox genus, non temere unquam pervenit ad frugem. Facilè ut arbitror, exponeret Flavius Carisius.

In librum quartum.

I. *Cethegi, Antonii.*] Cethegi Græcis Κέθηγοι scribuntur, secunda syllaba
1. aspirata, eáque natura longa, quomodo ipsam producunt Iuvenalis, Cornelius Severus, & ceteri poetæ Latini. Antonii autem hi, Antronii sunt in nonnullis exemplaribus. Habuit hæc conjuratio Antonios & Antronios: in quibus Cajum Antonium, & Publium Antronium nominant Sallustius, Plutarchus, Dio. Antronios tamen istos fortassis Autronios u pro n in prima syllaba rectius appellaverimus, quomodo scribitur in antiquis marmoribus Romanis. quidam Lucius AUTRONIUS Crassus, qui de Afris triumphavit, anno ab Urbe condita septingentesimo vicesimo quarto.

2. *In Ciceronem, & Antonium.*] Marcum Tullium Ciceronem & Cajum Antonium, consules anno Urbis sexcentesimo nonagesimo primo.

Vulturij.] In codicibus menbraneis, Volturcii o pro u secunda littera, & c inter r & i. Vulturtius hic appellatur apud Sallustium, prænomine Titus: Βυρτούκιος, id est Burtucius apud Appianum secundo civilium, quem Publius Cornelius Lentulus Sura prætor mittebat ad Catilinam cum litteris, & mandatis.

3. *Quem quisque.*] Simplex quis tantum in vetustis exemplaribus.

II. *Inde Deiotarus, Ariobarzanes.*] Deiotarus rex erat Troginorum, supra memoratæ gentis Galaticæ, & partis Armeniæ: Ariobarzanes, Cappadociæ: sed de his regibus Cicero in Deiotariana, libro secundo de divinatione, in prioribus epistolis libri quinctidecimi, & alibi: Cæsar, Strabo, Lucanus, Plutarchus, Appianus, Dio, Eutropius, ac alii.

Tarchon, Dimotus, Corinthius.] Corinthus pro Corinthius in antiquis libris. sed legendum Tarcondimotus, Cothus. Lucanus libro nono Pharsaliæ.

Cum Tarchon motus linquendi signa Catonis
Sustulit.

Hic ubi primum ab indocto divisus fuit Tarcondimotus in Tarchon & dimotus, sciolus quispiam audaculus ex dimotus, quod putavit participium à dimoveor, primam syllabam metri scilicet gratia, erasit: atque sic facta Tarchon & motus pro Tarchondimotus, seu Tarcondimotus, sine h, sicut scriptum apud Dionem invenio quadragesimo primo, & quadragesimo septimo, & quinquagesimo quarto. Hic autem si fortè non sit, qui Tarcondarius legitur in Cæsaris commentariis, est saltem

tem

Digitized by Google

tem Ταρκονδίμοτος, id est, Tarcondementus in quartodecimo geographiæ Strabonis, Ταρκόνδημος, hoc est, Tarcondemus in Antonio Plutarchi, superioris Ciliciæ regulus: quem Cicero fidelissimum socium, amicissimumque populi Romani appellat in litteris ad senatum populumque Romanum scriptis: quæ sunt primæ libri quinctidecimi. COTHUS autem rex erat Thraciæ, qui non venerat ipse ad id bellum, sed filium cum copiis miserat. Cui filio SASALES nomen apud Cæsarem, σαδάλης id est Sadales apud Dionem quadragesimo primo, & Lucanum quincto, duabus prioribus syllabis brevibus Græcis sine spiritu scribitur Κότυς id. est Cotys sive Cotus, postquam vocalis illa Græca est u vocalis Latina: corripitque priorem syllabam apud eundem etiam Lucanum, & alios latinos poëtas: quare minus rectè Κόττυς geminare mutam in quibusdam Græcis exemplaribus, videatur. Ejus nominis obliquos casus invenies Cotyos, Cotyj, Cotym, apud Livium, Cornelium Tacitum, Eutropium, & alios Latinos: vocativumque Coti in elegia nona secundi de Ponto, sed pro Coty, ut arbitror. Multorum Thraciæ regum nomen hoc fuit, quemadmodum & in racemationibus meminit Baptista Egnatius: sed est Armeniæ quoque rex Κότυς apud Josephum undevicesimo originum Judaicarum, & apud Dionem quinquagesimo octavo.

Quincto Metello, Lucio Afranio consulibus.] Anno Urbis sexcentesimo nonagesimo quarto. 6.

Auctiores, opes.] Legitur & altiores opes.

Lentulo, Marcelloque consulibus.] Anno Urbis septingentesimo quincto. 8.

Decem tribus.] Decem tribuniplebis. Epistolæ Ciceronis ad Atticum tertiæ libri septimi & octavi.

Non se dimissurum.] Altera lectio, non se remittere exercitum. 11.

Apud Sicorim.] Cujus nominis duas priores syllabas Lucanus & Ausonius corripiunt. Apud Appianum & alios Græco σίκορις.

Dolabella, & Antonius.] Publius Cornelius Dolabella, & Cajus Antonius. Tres Antonii fuere fratres, Lucius, Cajus, Marcus. Plutarchus in Antonio, & Dio quadragesimo quincto. In antiquis autem libris erat curictio pro Corcyræo. 12.

Octavius Libo.] Sunt in tertio commentariorum Iulii Cæsaris de bello civili, & apud Dionem quadragesimo primo, & Orosium sexto, Marcus Octavius, & Lucius Scribonius Libo.

à Basillo.] Basilli, quotquot legere memini tam in Græcis quam Latinis exemplaribus, omnes liquidam geminant, quum tamen secundam syllabam corripiat hoc nomen apud Lucanum libro quarto: Et Basilum videre ducem --- ut & alius Basilus apud Iuvenalem quarto.

Fugatoque Varrone.] Non Varrone, sed Varo legendum hic: & Varum pro Varronem apud Livium centesimo & decimo. Quem enim sic ante Uticam pepulit fugavitque Cajus Curio, is est Publius Actius Varus apud Cæsarem, in secundo commentario belli civilis: Πύβλιος Ἄττιος Οὔαρος, apud 13.

apud Dionem quadragesimo primo, id est Publius Attius Varus: Ἀτίδιος pro Ἄτλιος, in bellis civilibus Appiani.

Ad Oricum.] Epiri oppidum: Cujus nominis duos in Græcis scriptoribus rectos invenio. Ὠρικὸν & Ὠρικὸς, qui apud Latinos Oricum & Oricus esse debeant. Quorum prior, dubitabit nemo, quin generis sit neutrius. alterum, masculini esse probat Stephanus: sed hic etiam fœminini fuerit, si sic legatur apud Lucanum tertio.

Tunc qui Dardaniam tenet Oricon, & vagus altis,

Ut antiqui codices nostri habent, & censuit legendum Micyllus.

14. *Scævæ centurionis.*] Et apud Lucanum sexto Scæva duarum solum est syllabarum, Scæva viro nomen ---: quem quædam exemplaria Scævolam male appellant. Σκευᾶς est apud Appianum secundo bellorum civilium, id est, Scæva, non ut vulgo imprimitur Scæva prima diphthongo. Sunt autem apud eundem quoque Appianum centum atque viginti tela, centum & viginti ictus in Cæsare Suetonii: at ducenta & triginta foramina in commentariis Cæsaris.

15. *Cum pullo amiculo.*] Antiqui codices non habebant amiculo.

Fugeret pulsus Larissa: in deserto.] Antiqui libri, equo fugeret. ut una navicula Lesbon applicaretur pulsus hedris in deserto. Hic nihil planè video. Illud HEDRIS etiam corruptum est: atque pro eo legendum Synedris, sicut apud Lucanum libro octavo: nisi & ille quoque Lucani locus est depravatus: ubi sunt, qui legere malint,

Ad profugum collecta ducem, parvisque Celedris.

17. *Septimii desertoris.*] Hic est Lucius Septimius apud Cæsarem, & Dio-
10. nem quadragesimo secundo. Porro libri membranei Pelusio habebant, pro Pelusiaco: atquin, pro, atqui: pænè insulam, pro, pæninsulam: de bellata perfida gente, pro, de imbelli ac perfida gente.

19. *Photinus, atque Ganymedes.*] Photinus hic, qui Pothinus, & Potinus erat in libris antiquissimis, Pothinus esse debet, secunda syllaba aspirata, non prima, tam hîc quàm apud Cæsarem, Livium, Lucanum, & ceteros scriptores Latinos. Sic enim Appiano, sic Plutarcho in Cæsare, & Pompejo, sic Dioni appellatur, id est Ποθεινός, prima etiam brevi, quomodo eam istius eunuchi syllabam apud Lucanum & Martialem correptam invenies: quæ in Photino hæretico, & siquos alios novi Φωτεινὸς, longa est apud Socratem, Sophronium, & alios. Ganymedes autem iste Alexandrinus, eundem habet tonum apud Lucanum, quem antiquissimus ille ab Iove raptus Phryx Ganymedes, apud Homerum, & Virgilium: eodemque modo scribitur. Iidem porro nostri codices scribebant diversa pro diversi.

In aureæ lorica honore.] Iulius Capitolinus de Maximino juniore. Usus est autem idem adolescens & aurea lorica, exemplo Ptolemæorum.

24. *Varus Didiusque.*] Hic Cæsarianus erat, Varus Pompejanus. Dio, Hirtius, & alii.

27. *Intestinum & externum.*] Mediterraneam & oceanum.

Munda

Digitized by Google

Munda recepissent.] Munda, antiqui libri: & antè, cogitasse pro agitasse.

Cenonius.] In membraneis codicibus, & apud Orosium Cesonius, s pro n tertia nominis littera: Κεσέννιος Λέντων, id est Cesennius Lento apud Dionem quadragesimo tertio.

Triumphabat.] Quæ sequuntur sex verba, hæc: Hic aliquando finis armis 28.
fuit. Reliqua in membraneis codicibus non fuerunt.

Satis ignoverat semel.] In Hispania. Cæsar in extremo commentario primo belli civilis; Livius centesimo & decimo, Paterculus, & alii.

Didicerat generum timere.] Cnæi Pompeji Magni gener per filiam Pompejam erat Lucius Cornelius Faustus Sylla, Lucii Cornelii Syllæ Felicis filius.

Filiamque Pompeii cum patruelibus.] Ita & Orosius sexto: sed contra, ci Cnæi Pompeji filii & Fausti Syllæ uxori, cum suis ex eodem Fausto liberis incolumitatem, suaque omnia à Cæsare concessa fuisse tradit Hirtius, sive quisquis ille sit veterum scriptorum. & Appianus secundo bellorum civilium scribit à Cæsare, Pompeji filiam cum duobus liberis in urbe Africæ Utica inventam, ad Pompejum esse missam incolumem: sed quæ hæc Pompeii filia, & qui Pompeji? Liberi autem Fausti Syllæ quomodo Caji Julii Cæsaris patrueles hoc loco appellentur, non video, nisi fortè patrueles mariti dicantur, qui uxoris patrueles sint. Pompeja namque Quincti Pompeji filia, uxorum Cæsaris secunda, cum qua divortium fecit, adulteratam à Publio Clodio in sacris Bonæ deæ opinatus, hæc Syllæ dictatoris neptis fuit ex filia, Suetonio Tranquillo auctore. Sed ita Fausti Syllæ liberi, avunculo, non patruo Pompejæ uxoris Cæsaris geniti, pro consobrinis patrueles hic essent appellati: siquidem perpetuo verum sit, quod de patruelium & consobrinorum appellatione Paulus ff. lib. 38
jurisconsultus, & alii mihi definivisse videntur. tit. III. 16

Marco Antonio, Publio Dolabella consulibus.] Anno Urbis septingentesimo
& decimo. Cajus Julius Cæsar quinctum consul hoc anno à se ipse factus, 30.
Publium Cornelium Dolabellam sibi suffecerat, Idibus Martiis occidendus.

Cujus secundus hæres Antonius.] Quod hic de hærede Marco Antonio IV.
dictum, legisse se alibi negat Camers, id nos legere meminimus apud 31.
Dionem quadragesimo quarto. Dicitur autem secundus hæres, qui hæredi instituto substituitur: ut definit Severinus in secundo commentariorum, quæ scripsit ad topica Ciceronis.

Quippe quum intra decem & octo annos tenerum, obnoxium, & opportunum injuriæ iuvenem videret, ipse plane & convitiis Cæsaris dignitatem, & furtis hæreditatem laceraret, ipsum insectari probris & cunctis artibus cooptationem Iuliæ gentis quum inhibere non desineret: denique ad deprimendum juvenem palam arma moliri, & parato exercitu.] Sic reperimus in Camertis exemplaribus: at in vetustioribus, videret se plenè ex commilitio Cæsaris

ris dignitatis. lacerare furiis hæreditatem. ipsum insectari probris. & cunctis artibus quum adoptionem Juliæ gentis inhibere non desineret. denique ad opprimendum juvenem arma palam moliri, & jam parato exercitu. Utrisque ita mendosis, mendosiora quoque fuerunt Beroaldina. Ubi ista planè & plenè adverbia, nomen erat plenæ, quasi hoc sensu, quum se quoque videret Antonius plenæ dignitatis esse, & totum in se imperium devolutum morte Cæsaris, cujus dictatoris magister equitum ante fuerat, & eo anno consulis collega, hæreditatem Octaviani cœpit lacerare furtis. si sic fortè malis legere, quam furiis. Nam furiosus quidem homo fuit Antonius, temulentus, & temerarius, vel Cicerone teste: sed idem, quod furis esse videtur, hæreditatem etiam istam expilavit: ut Dio quadragesimo quincto, & Appianus tertio civilium, & alii memoriæ prodiderunt. inter quos Vellejus Paterculus scribit sestertium septies millies depositum à Cæsare ad ædem opis, ab Antonio fuisse occupatum.

Decimum Brutum obsidebat.] Hunc, quomodo alibi monuimus, Zonaras, Appianus, & alii, Decimum appellant pro Decio, Decimum Brutum Albinum.

Nullo more.] Nullus ante hunc visus Romæ triumviratus reipublicæ constituendæ. Nullo more, ergo, id est, sine exemplo. ut apud Virgilium quincto Æneidos,

VI. *Tempestas sine more furit.*

33. Nec placet, quod hic quædam exemplaria addunt bono: nullo bono more.

34. *Quum Antonius Lucium Cæsarem avunculum suum.*] Hæc antiqua lectio. altera, quum Antonius concedente Cæsare avunculum suum. Racemator Venetus etiam aliter corruptum invenerat locum: nec restituit Paterculus. Antonius Lucium Cæsarem avunculum, Lepidus Paullum fratrem proscripserant. Orosius sexto. Ibi Antonius Tullium Ciceronem inimicum suum: ibi Lucium Cæsarum avunculum suum, & quod exaggerando sceleri accessit, viva matre, proscripserat. ibi Lepidus Lucium Paullum fratrem suum. Ita & Appianus quarto civilium bellorum, & Dio quadragesimo septimo, scribunt, Lucium Cæsarem ab Antonio fuisse proscriptum, non ab Octaviano Cæsare, ut Plutarchus in vita Antonii. Erat Marci Antonii mater ex Cæsarum familia, Juliaque dicebatur: cujus frater fuit hic Lucius Julius Cæsar, quem servavit soror, ne interficeret Antonius.

VII. *Pientissimarum.*] Antiquus codex piissimarum: quo verbo quum usus
8. esset Marcus Antonius, Cicero irrisit. Pientissimus autem nescio quanto melius sit, quam piissimus: sed quibus à pius, egregius, & idoneus, piissimus, egregiissimus, idoneissimus minus placuerunt, ij pientissimus, pro piissimus, non, ut quidam tradit, à verbo piare (sic enim piantissimus, per primam vocalem, quomodo ab amare amantissimus, dixissent) sed ab ipso illo pius usurpaverunt, qua forma ab honorificus, & magnificus, honorificentissimus & magnificentissimus, facta sunt, pro honorificissimus.

cissimus & magnificissimus. Utrumque in veterum monumentis legimus, ceterum pientissimus frequentius; ut PIISSIMUS in ponticulo de ruinis urbis, quam Lusitani Condessam vetustiorem appellant, facto, via Olisiponensi, haud procul Conimbrica (quae & Conimbriga g pro c in antiquis marmoribus) ubi nos ab optimo maximo rege Johanne ex Aquitania nostra acciti, litteras docebamus anno post natum Christum millesimo quingentesimo quadragesimo septimo.

D M
MATERNAE
CAENONIS F.
ANN. XL
MAELIA
MARTIALIS
MATRI
PIISSIMAE
POSUIT.

Et Burdigalae in aedibus Josephi Chassaniani, Regii consiliarii, saxo ex vetustiorum moenium fudamentis nuper effosso.

D. M. S
AEMILAE
CORNEO
LAEEROS
CONIVGI
PISSIMAE

At PIENTISSIMUS in eodem quoque ponte: ubi CARISSIMI syllaba prima scriptum non habuit: & in OPSEQVENtissimo fuit P pro B, sicut praeceperunt nonnulli opstitit pro obstitit scribendum, auctore Terentio Scauro grammatico antiquissimo: & APSTULERIT pro ABSTULERIT in antiquis inscriptionibus animadvertit Pierius Valerius.

D M
VALERIO AVITO
VALERI MARINI
FIL. ANN. XXX.
VALERIA FUSCILLA
MATER FIL.
CARISSIMO ET
PIENTISSIMO
ET OPSEQVEN-
TISSIMO.

P. Et

Digitized by Google

Et in ipſo jacente oppido, cujus antiquum nomen nobis incognitum.

ATONIA
JUNIA
MATRI
PIENTISSIMAE
F. C S T T L.

Et Santareni ad fluvium Tagum, quodcunque apud veteres illi oppido nomen fuit.

D. M.
ANTONIAE
MODESTAE
AN. XXXX
JUL. RUFINA
MATER FILIAE
PIENTISSIMAE
POSUIT.
H. S. E.

39. *Prætorio lumine.*] Legitur &, prætoriæ navis lumine. Prætor etiam, qui exercitui præerat, appellabatur. Prætoria inde navis, qua vehebatur prætor. Juſſit itaque Sextus Pompejus prætor, & dux, lumen ſuæ navis extingui, ut ne noctu, quo fugeret, id indicaret. Dio libro quadrageſimo octavo. In Prætoria Scipionis nave, inſigne nocturnum trium luminum eſt apud Livium viceſimo nono.

40. *Caſca legatus.*] In antiquis libris Xaxa appellabatur hic Caſca: Didius
IX. Saxa, centeſimo viceſimo ſeptimo epitomes Livianæ: Σίξας, id eſt, Sexa, apud Dionem libro quadrageſimo octavo. Memoratur & Lucius Decidius Saxo, primo bellorum civilium Cæſaris. Vitiata hæc nomina.

42. *Quadam ſorte quaſi docti.*] Membranei codices alii, forte, alii fortè:
X. ſed docti, omnes.

43. *Accepta clades.*] Neque participium, neque verbum ullum in antiquis libris.

Cum quibuſdam ſalmacidis.] Scribit Vitruvius libro ſecundo, Strabo, & alii, Salmacidis aquam (fons eſt Cariæ σαλμακὶς) pellucidam eſſe, saporiſque egregii: ſed quæ ſalmacidæ hîc appellantur, hæ ſive à ſale, ſive aliundè ſic ſint cognominatæ, ſalſæ erant aquæ, & amaræ. Argumento eſt, quod ſalmacidis dulces opponit Seneca, & quod, quem fluvium Antonii exercitui ſalmacidis infeſtum fuiſſe dicit, ſcribit Plutarchus in Antonio, ac in Parthico Appianus, ſed ex eodem Plutarcho, fluvium fuiſſe frigidum, & pellucidum: cujus eſſet aqua ſalſa, & medicata (ὕδωρ ἁλμυρὸν, καὶ φαρμακῶδες) & quæ epota exulceraret alvum, ſitìmque incenderet. Soli autem

autem sunt Cajus Plinius, & hic Seneca, apud quos salmacidarum vocabulum legere meminerim. Nitrosas, inquit ille tricesimo primo Natu- Cap. 3.
ralis historiæ de aquarum qualitate, atque salmacidas, & fæculentas, in desertis rubrum mare petentes, addita polenta, utiles intra duas horas faciunt.

Novissiméque quum jam ab invalidis & avide hauriebatur, noxiæ etiam dulces fuere.] Altera lectio, & vetus. novissiméque jam ab invalidis & avidè hauriebatur. quum noxiæ etiam dulcis fieret. quam magis probarem, si noxia pro noxiæ scriberetur: aut foret pro fieret cum dativo noxiæ, pro noxæ, & damno.

Argentum passim.] Vetusti codices, argentum ejus passim. quanquam hoc non solum de argento Antonii factum, sed quicquid auri, argenti, pretiosi fuit in toto ejus exercitu, id omne ab ipsis ejus militibus, direptum est, & concisum; ipsique interfecti plerique qui haberent: ut Plutarchus & Appianus narrant.

Ad latus & in acie.] Antiqua lectio, ad latus acinace. Persarum, Parthorum, Medorum, Schytharum gladius fuit: cujus rectus casus est aci- XI.
naces apud Horatium in carmine vicesimo septimo libri primi: ἀκινάκης 44.
apud Herodotum, & Josephum, & alios.

Montemque Leucadem.] Hic d in t mutabat vetus codex. Est leucas, no- 45.
men declinatum ut Pallas, insula Epiri. Est ejusdem insulæ urbs Leucas, & Leucas quoque ejusdem loci promuntorium: si nihil mendi sit apud Ptolemæum geographum. Leucata verò & Leucates idem illud Leucadis insulæ promuntorium, mons, & petra. cujus genitivus casus est tertio Æneidos,

Mox & Leucatæ, nimbosa cacumina montis. Vers.
ac accusativus octavo. 374.

Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus. at ablativus apud Titum Vers.
Livium vicesimo sexto, superato Leucate promuntorio. & in Ausonii 677.
Cupidine cruci affixo,

Et de nimboso saltum Leucate minatur.

Cujus obliqui ultimam vocalem quia corripit poëta, videntur antiqui Leucates declinasse non solum ut Anchises, verum etiam ut vates. Hinc factum, ut hæsitaverim, Leucaten ne, an Leucetem hoc loco reponerem: quem casum accusandi, librarius antiquus compendio ultimæ litteræ sic contraxerat, Leucatem.

Brennos Senones.] Bremos leges etiam apud Horatium in carmine quar- 47.
todecimo libri quarti: sed hi sunt Breuci, nisi fallor, apud Suetonium, XII.
& Dionem libro quinquagesimo quincto. in vetustis codicibus tam Brennones, quam Breuni: ac Senones, Sceni, & Scenni. Jornandes addit Teutones inter Brennos & Senones.

Pontem imperavit.] Vetusti codices habebant, Pontes. Quatuor enim 48.
fieri imperaverat. sed qùum ab hostibus jam illorum tres fuissent succisi, ipse cum quarto corruit Augustus. Appianus in illyrico.

Dra-

Dravo Savoque.] Dissyllaba sunt hæc flumina, quæ sic utraque u habebant in cunctis exemplaribus nostris. quomodo scribebantur in Solini Polyhistore, & Plinii Naturali historia prius, quam tam multi castigare essent aggressi. Δράος quidem & Σάος, hoc est Draus, & Saus, sunt hæc in Suidæ, Arriani, Ptolemæi, Strabonis Græcis. sed quid necesse fuit barbaricos fluvios eodem prorsus modo efferri à Græcis Latinisque hominibus? Apud Jornandem haudquaquam reperimus eam litteram, sed in Savo erat. Est autem HISTER idem, qui & Danubius: in quem alteri illi duo amnes confluunt.

Vibium misit.] Hunc membranei codices Vinnium appellant: alia quædam exemplaria Urbium. Jornandes Duennium. Ita variè corruptum Romani ducis nomen.

49. *Hos jam quidem Marius.*] Marius hic in nostris exemplaribus erat Martius, & Marcius & Cajus Marcius Figulus adversum Dalmatas bellum gessit consul anno Urbis quingentesimo nonagesimo secundo. Livius quadragesimo septimo, & Appianus in Illyrico.

Agris multaverat.] Quæ sequuntur tria verba, valde dubito, an ipsius auctoris sint, hæc, hic secundus orator. Quantus tamen orator fuerit post Marcum Tullium Ciceronem CAJUS ASINIUS POLLIO (hæc tria sunt ejus hominis nomina in tribus ad eundem Ciceronem scriptis epistolis libro decimo, & in antiquis marmoribus) & quantum Ciceronis gloriæ inviderit, ex Senecæ declamationibus & Quinctiliani institutionibus oratoriis cognosce. De ejus rebus gestis quædam etiam Servius in commentario quarti bucolici Virgilii. In Eusebii Latinis chronicis eum leges octogenarium in villa Tusculana mortem obivisse, anno Christi sexto. Valerius Maximus libro octavo de senectute, ejus annos non numerat: tantum dicit, ipsum numerosæ vivacitatis non parvum esse exemplum. Est autem Pollio pes dactylus apud Horatium in carmine primo libri secundi, Virgilium, & alios: scribiturque in Dionis, Suidæ, aliorumque Græcis Πωλίων id est Polio, prima syllaba natura non positione longa: quum id nomen in Latinis exemplaribus, monumentisque veteribus, liquidam geminare semper observaverim. Ut in tabulis illis triumphorum, C. ASINIUS. CN. F. POLLIO. PRO. COS. At in eversa illa Lusitaniæ urbe, cujus supra meminimus, antiqui epitaphii pars adhuc remansit integra quæ sic habet:

D M
POLLIAE POLLIO
NIS F. ET VLLEAE

Mysi quam feri.] Sic hi, Μυσοὶ id est, Musi, apud Dionem quinquagesimo primo, & alibi: qui sunt Mœsi in Liviano Breviario centesimo tricesimo quarto: atque in Mysia in Græcis auctoribus, quæ in Latinis ferè Mœsia est. Fuerunt autem duæ Mysiæ, hæc, Europea: & altera Asiana.

Digitized by Google

Chonidius.] Nostri codices Donidius, & Domidius: quicquid hoc sit nominis: ad foculum rectius, quam focum. 51

a Pisone.] Hunc Lucium Pisonem laudat multum Vellejus Paterculus.

Cotisonis regis.] Et Daciæ regem facit hunc Cotisonem Horatius in carmine octavo libri tertii: sed siquis cognoverit, quæ de Dacis, Getis, Mysis scripserunt Strabo, Plinius, Dio libro extremo quinquagesimo secundo, non dubitabit, ut arbitror, quin hic Cotiso Dacorum, Cotiso sit Getarum rex, cui Octavianum Augustum filiam suam Iuliam despondisse primum, & ejus filiam sibi quoque invicem in matrimonium petiisse, dicit Marcus Antonius apud Suetonium.

Domuit Usipetes.] Hi sunt Οὐσιπέται id est, Vsipetæ, apud Dionem quinquagesimo quarto: & CATTI Χάττι, id est, Chatti: apud alios etiam Κάττοι, id est, Chattæ. MARCOMANI scribuntur & unico n Marcomani: corripitque penultimam hoc nomen apud Statium. CHERUSCI, 52
Καρύσκοι apud Strabonem septimo. SVEVOS, vetus codex scribebat Suebos, b pro u: qui sunt σοῦβοι apud eundem Dionem quinquagesimo primo, ac alibi: & SICAMBRI, σύγαμβροι, id est Sugambri, quinquagesimo quarto, ac alibi. Eadem nomina σοῦβοι & σύγγαμβροι, apud Ptolemæum σοῦνοι & σύγαμβροι, apud Strabonem. Quæ quomodocumque scribis, eorum primas syllabas corripiunt Sidonius, Ausonius, Lucanus, Ovidius. Nam quum cecinit Ovidius in consolatione ad Liviam Augustam,

Illa genus Suevos, acre, indomitosque Sycambros.

Potest ibi figura videri, per quam Suetus disyllabum, consuetudo tetrasyllabum, & assuescere, alvaria, & alia hujusmodi apud poëas. Quæ gentes autem hæ Germaniæ fuerint, disputat Beatus Rhenanus in Germanicis.

Per Mosam.] Rhenus fluvius Galliam à Germania dividit. Galliæ pars, quæ est inter Rhenum, & Sequanam fluvium, Belgica Gallia appellatur. Cujus Belgicæ partem, Germaniæ confinem, veteres Germaniam quoque dixerunt: fecerùntque in Belgica Gallia duplicem Germaniam, inferiorem, quæ infra Mosellam esset in Rhenum influentem: & superiorem Germaniam, super eundem fluvium Mosellam, versus Rheni ortum. Mosa igitur Germaniæ inferioris fluvius est in Gallia Belgica: in quem se spargit Rhenus altera parte prius, quam in oceanum exeat. ALBIS & VISURGIS germanæ Germaniæ flumina sunt: huncque Visurgim apud Græcos Latinosque scriptores varie corruptum reperies.

Bonnam & Gesoniam cum pontibus junxi.] Bonam, & Genosiam Marnesii Parisiensis editio, ex Philippi Beroaldi emendatione: sed hæc seu Bona, seu Bonna, quænam fuerit? Bonnam priore syllaba per naturam & positionem longa, Cornelius Tacitus, & Claudius Ptolemæus memorarunt: quæ adhuc nomen retinuit in Gallica Rheni ripa, paulum supra

Digitized by Google

Coloniam. Aliam ego Bonnam non novi. Idem quidem vocabulum legebamus apud Ammianum Marcellinum in principio libri vicesimi. Dux ante dictus Bonnam venit. quæsitisque navigiis, & omni imposito milite, observato flatu secundo ventorum, ad Rutupias sitas ex adverso defertur: petitque Londinium. sed Beatus Rhenanus tertio Germanicorum, Bononiam legendum censuit, pro isto Bonnam. Clarissima est Italiæ Bononia, Felsina vocitata, cum princeps Etruriæ esset, auctore Plinio. Bononiam memorant aliam in superiore Pannonia, Ptolemæus libro secundo, & Ammianus tricesimo primo. Tertia est Bononia urbs Galliæ Belgicæ maritima, contra insulæ Britanniæ Rutupias sita: quam Bononiam celebrant Annales de Carolo magno ad annum Christi octingentesimum & undecimum: ac ante hos Eutropius, & idem Ammianus, quum de rebus in Gallia gestis sub Diocletiano, Constantio, & Juliano scribunt. quorum primus imperare cœpit anno Christi ducentesimo octogesimo octavo. His antiquiores proferre non possum, qui Gallicæ Bononiæ meminerint: nisi forte id fecerit Titus Livius: unde hæc sumpsit Seneca. Mihi namque non est dubium, quum Rhenanus de Gesoriaco quæreret, & quum legerat Bonnam apud Ammianum, in Bononiam mutaret, quin idem hîc etiam fecisset, si loci tunc meminisset: scripsissetque Bononiam, & Gesoriacum, pro Bonnam, & Gesoniam cum. Nescio equidem, quantum vetus sit hæc Bononia, quæ urbs Gallis hodieque eodem prorsus modo cum Etrusca illa, *Bologna* nominatur, tamen si Etrusca Bononia inter eas urbes fuit, ut multi tradiderunt, quas Galli superatis Alpibus in Italia aliquando tenuerunt: quando illi à nominibus & civitatibus suis transalpinis Insubres, Mediolanum, & alia loca nuncupaverunt, cur non etiam à Gallica Bononia, Etruscam appellasse possunt? ut hac illam sic antiquiorem suspiceris. At verò miror, quod tam constanter omnia, quotquot vidimus vetera, novaque exemplaria, Bonam & Bonnam hîc scribant: & Cuspinianus Cassiodori interpres cur apud Eutropium Bononiam in Bonnam mutarit. De Gesoriaci autem vocabulo monuimus in librum primum, quod legere memineramus: sed quid hîc jam, Bonnam & Gesoriacum pontibus jungere? Dixit Seneca libro primo de Anco Marcio, Interfluentem Urbi Tiberinum ponte commisit, quod Titus Livius dixerat, Janiculum ponte sublicio in Tiberi facto, conjunxit Urbi. Dixit Cicero Tusculana quincta, Dionysium tyrannum fossam latam cubiculari lecto circumdedisse, ejusque fossæ transitum ponticulo ligneo conjunxisse. & in Verrem, de portubus Syracusarum. Eorum conjunctione, pars oppidi, quæ appellatur Insula, mari disiuncta angusto, ponte rursum adjungitur. At Curtius libro quincto de ponte facto in Eufratre mediam Babylonem interuente, Pons lapideus flumini impositus jungit urbem. Hoc igitur loco, quid est Cæsarem Bononiam & Gesoriacum pontibus junxisse? an inter hæc duo loca fluminibus, æstuariisque disiuncta, pontes aliquot faciendos curasse? quibus facili breviorque via, ab uno ad alterum iri posset.

Ita

Digitized by Google

Ita hîc, ficut etiam multis aliis in locis fentimus, quanta fit jactura, quam 53
in Titi Livii libris fecimus.

Invium.] Invifum, vetufti codices.

Arminio.] Armenio, iidem libri. Dio Harmenium etiam afpirat, libro quinquagefimo fexto. Ita variant Strabo, Tacitus, Paterculus. Idem nomen Herminius undecimo Æneidos, ingens animis, ingens corpore, & armis:

> *—— nudo cui vertice fulva*
> *Cæfaries, nudique humeri, nec vulnera terrent.*
> *Tantus in arma patet.——*

Hoc autem Auguftæ Vindelicorum geftum effe fcribit Otho Frifingenfis.

Unum ducum conitr.] Altera lectio, unum principem, ducum con- 54
juratione.

Confulis corpus.] Publius Quinctilius Varus conful erat anno Urbis fep- 55
tingentefimo quadragefimo primo.

Mufulanios.] Totidem fyllabis hos appellat epitome Victoris: fed m pro n habet. Quatuor verò tantum fyllabarum eft nomen hoc apud Plinium, Tacitum, Ptolemæum, Orofium, & in noftris membraneis codicibus Mifulani, & Mufulani. Apud Ptolemæum funt Μισυλάμοι, id eft Mifulami: unde Mifulanii perquam facile fieri potuerit, ficut contra facile librario fuit Mufulamos ex Mufulaniis facere.

Coffo duce.] Cornelium Coffum appellat Dio libro quinquagefimo quincto.

Turmio fubigendos.] Hunc Jornandes Quirinum vocat: & pro Turmio habebant codices membranei Curinio. Quod nomen, quoniam vocalium y & u idem eft fonus. proximè accedit ad illius nomen Cyrenii, quem Lucas in euangelio, & Jofephus libro duodevicefimo archæologiæ, præfuiffe Syriæ tradunt, Augufto Cæfare regnante, quo tempore Jefus Chriftus natus eft; Quirinumque appellant Latina Eufebii Chronica, ut quo nomine Romani Romulum fuum aliquando dixerunt. Poteft ergo Publius Sulpicius Quirinius videri, quem Cornelius Tacitus libro tertio, confulatum fub Augufto fuiffe adeptum fcribit (fuum quoque Κυρήνιον Jofephus confulem fuiffe commeminit) & quem invenies inter confules apud annum Urbis feptingentefimum quadragefimum fecundum.

Ambo fato breves.] Cajus, auctore Dione libro quinquagefimo quarto, natus fuerat Marco Appulejo, Publio Silio Nerva confulibus, anno ab Urbe condita feptingentefimo tricefimo quarto: Lucius poft tres annos, Cajo Furnio, Cajo Junio Silano confulibus. Cajus confulatum geffit anno ætatis vicefimo, Lucio Æmilio Paullo collega: miffufque in Afiam contra Parthos, in Lycia obiit, annos natus non plus viginti duos, fi quid recte fum ratiocinatus ex Velleii Caterculi verbis, quando Dio libro quinquagefimo quincto, horum temporum confulatus non fatis

 diftinxit.

distinxit. Lucius vero frater, jam antè annum ferme (inquit idem Vellejus) & sic annis decem & octo minimè major, Hispanias petens, Massiliæ decesserat.

In Lycia Cajus.] In Syria, antiqui libri & Sextus Rufus: sed in Lycia etiam Zonaras, & Suetonius in Augusto, & qui tribunus militum sub
56 Cajo ipso Cæsare tunc militabat, Vellejus Paterculus.

Quippe Domnes.] Hic & Dones, & Donnes alibi appellatur. apud Paterculum Adduus, apud Zonaram Ἄδδων, id est Addon.

Artaxatis.] Ita Artaxatis hic antiqui codices: alii Ariaratis, Artaxates, Arsaces. Artaxata tamen hæc neutrum nomen & plurale, oppidum Armeniæ, quod libro tertio caput ejus gentis dictum est τὰ Ἀρτάγηρα, id est Artagera apud Zonaram & Vellejum esse videntur.

Stricto ferro cruentus ex vulnere in tempus.] Libri membranei, strictus ferre creatus ex vulnere in tempore: ubi illud, ferre creatus, non dubito quin factum sit ex set recreatus, ut set pro sed frequens occurrit in antiquis exemplaribus, & veteres scripsisse Marius Victorinus meminit. Ferrum autem stringere, aut gladium, quanuis Latini dicunt, quum quis ense vagina erepto nudoque petitur, tamen quod idem stringendi verbum, percutere etiam interdum, & vulnerare significet, hoc Nonius Marcellus, Virgilii, & aliorum auctoritate probavit.

57 *Etiamnum Cæsari.*] Ipsi Cajo Augusti nepoti. Illud autem etiam non, quod fuit in antiquis exemplaribus, id magistri nostri ETIAMNUM dicere præcipiebant.

Curgenios & Aurigonas.] Gurgonios G pro C, antiqui libri, & Orosius, Aurigonas puto esse Autrigonas Plinio & Ptolemæo a recto Αὐτρίγων.

Sagesama.] Legitur & Segisamam, e pro a, in prima syllaba, & i pro e in secunda: quemadmodum varie hoc urbis nomen scriptum invenies apud Strabonem, Plinium, Ptolemæum. Est autem hic fortasse legendum, Ipse venit. apud Sagesamam castra posuit: sicut apud Orosium scribitur libro sexto, qui multa ejusmodi ex hoc auctore sumpsisse videtur.

Sub mœnibus Belgicæ.] Ita hæc appellatur apud Orosium: quæ videri potest mediterranea Cantabrorum urbs apud Ptolemæum Οὐέλλικα id est Vellica & Bellica. Βελγήδη, id est Belgede sive Belgeda ejusdem gentis urbs, quam memorat Appianus in rebus Hispanicis, hæc quæ sit, æque mihi incompertum.

Vinnium montem.] Est apud Ptolemæum Οὐίνδιον ὄρος, hoc est Vindius mons, in hoc Hispaniæ tractu.

Tertio Arracillum.] Aracillum unico r, & secunda aspirata Arachillum,
58 in antiquis libris invenio tamen hic, quàm apud Orosium, & Gerundensem episcopum. qui quum abhinc annos centum paralypomena illa scriberet, hæc Hispaniæ suæ vocabula etiam fœdè corrupta invenit: nec restituit.

Medulli montis.] Medullius hic mons apud Orosium, pro Medullo: ac idem fortasse Ἐδύλιος, id est Edulius, apud Ptolemæum.

Præcepêre.] Præripere, in codicibus antiquis: & taxeis. pro taxis.

Digitized by Google

Per Antistium.] Hic est Cajus Antistius apud Dionem quinquagesimo tertio: quem Antestium e pro i in secunda syllaba scribebant vetusti codices. FIRMIUM autem quædam exemplaria Firmum duabus tantum syllabis appellabant: alia Furmium etiam tribus, ac u pro i in prima. Is est Κάϊος Φύρνιος, id est, Cajus Furnius apud Dionem quinquagesimo quarto. AGRIPPA, est Marcus Vipsanius Agrippa, gener ipsius Augusti.

Nec temere subtus.] Nec timere sumptus ut barbaris impares, antiquissimus codex, qui & cum aliis calamo exaratis, ASTURAM, Scuram, appellabat. Marnesii Parisiensis exemplaria Sturam, Orosius Asturem, puto, pro Asturam, habet. 59

Nisi Trigesini.] D pro T in nostris codicibus, Drigesini. Hi sunt Βριγαικινοὶ, ut reor, id est Brigecini, apud Ptolemæum: quorum oppidum Brigæcium.

Præmonitus Carisius.] Τίτος Καρίσιος apud Dionem quinquagesimo tertio: 60
qui ΛΑΓΚΙΑΝ, id est, Lanciam, illam maximam Asturum urbem cepit. 61

Chrysocolla.] Idem in membraneis codicibus chrusocolla, postquam y est u vocalis Latina.


Septingentesimo ab urbe condita anno.] Ita hic repetitur in historiæ principio propositus annorum numerus à Romulo in Cæsarem Augustum. Hic autem homo non solum tempora, & rerum gestarum ordinem crebro perturbat, verum etiam sicubi annos numerat, eorum subtilem computationem nunquam facit, quemadmodum initio monuimus. Qui subtilius ergo computant, annum Urbis septingentesimum numerant, quum erant consules Domitius Ahenobarbus, & Appius Claudius, vivente adhuc Cajo Julio Cæsare, anno nono ætatis Cæsaris Octaviani Augusti: siquidem verum, quod Vellejus, Suetonius, & alii auctores sunt, natum eum fuisse Marco Cicerone, & Cajo Antonio consulibus. JANUS vero clausus fuit ab Augusto post annos plus viginti tres. Scribit enim Titus Livius libro primo, vidisse se Ianum ab Augusto claudi post bellum Actiacum. Antonium autem ab Augusto victum fuisse apud Actium, Cæsare ipso, & Marco Messalla consulibus, Vellejus, Dio, Cassiodorus, & alii tradunt; quibus consulibus annum Urbis septingentesimum & vicesimum tertium actum putamus.

Ante se clausum.] Ante reclusum, libri antiqui: sed sic RECLUDERE esset ipsum claudere, & non aperire.

Victa primum Carthagine.] Post Punicum primum perfectum bellum. ut libro secundo dictum fuit.

Pater patriæ dictus.] Nullum fuit participium in membraneis, neque in Marnesianis exemplaribus.

Digitized by Google



INDEX
COMMENTARIORUM
ELIAE VINETI.

In quo

Latinæ notæ, aliæ numeros marginibus singulorum librorum descriptos significant.

A.

Apstu-

Ce-

G.

Digitized by Google

Digitized by Google

Qua-

Digitized by Google

VOCABULA QUÆDAM apud Lucium Annæum obſervata, partim omnino nova, partim uſus aut ſignificationis apud antiquiores rationis.

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS CAMERTIS
ANNOTATIONES
IN
L. FLORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNOTATIONVM IOANNIS CAMERTIS IN LVCIVM FLORVM

LIB. I

PROLOGVS

INstituerat Florus Romanorum laudare Imperium. Idcirco ipsum in exordio homini comparat. Ut enim homo qui animantium solus rationis ac cogitationis particeps est, cæteris omnibus præfertur animalibus, ita Ro. Imperium cæterarum gentium imperia atque resp. excelluit dignitate. Id docent passim omnes. Livius, Plinius, Cicero, Solinus, Dionysius primo Antiquitatum Romanarum, Appianus in procemio operis sui. Strabo in 5. Trogus libro 43. Augustinus cap. 12. 5. Civitatis. Hinc est illud Martialis libro 12.

Terrarum dea gentiumque Roma, Cui par est nihil, & nihil secundum. Plura ad idem Claudianus tertio de laudib. Stiliconis, ibi: *Proxime diis consul &c.* Ovidius secundo Fastorum: *Gentibus est aliis tellus data limite certo, Romanæ spacium est urbis & orbis idem.* Maro primo Aeneidos. *His ego nec metas,* &c. Propertius 22. tertii. *Omnia Romanæ cedent.* &c. *A Romulo in Cæsarem Augustum septingentos per annos &c.*] Concordant fere omnes Julium Cæsarem interfectum anno urbis conditæ 709. vel 710. Lege Eutropium c. 17. & Orosium c. 16. sexti. Eundem annorum numerum reddit fere computatio Eusebii & Dionysii li. 1. Ego, inquit, in Italiam trajiciens, quum dissolutum est sub Cæsare Augusto bellum civile, centesima octogesima septima Olympiade. Hæc ille. Is autem annus videtur fuisse vigesimus sextus Imperii Augusti. Lege Orosium ca. 18. sexti. Eusebius libro temporum dicit Augustum Re. potitum imperio Olymp. 184.

 Nam

Nam tot laboribus, &c.] Virgil primo Aeneid. Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Hos labores & pericula in processu Florus explicat.

Si quis ergo P. R. quasi hominem &c.] Seneca aliter Romanæ urbis tempora distribuit per ætates. Lege apud Lactantium cap. 15. septimi Divinarum institutionum.

Prima ætas sub regibus fuit &c.] De annorum numero, quibus Romæ regnatum est, variæ sunt Scriptorum sententiæ. Quidam regnatum ibi asserunt annis 240. quidam 241. nonnulli 243. alii 244. Lege Eusebium li. temporum. Eutropium 1. 11. 7. Orosium. ca. 3. secundi. Ruffin. de vita regia. Solinum c. 2. Aug. c. 15. 2. Civitatis dei. Quæ discordia fortassis ortum habet vel propter interregna, vel propter menses, quibus supra annos quidam ex septem regibus regnaverunt.

Prima ætas sub reg. &c.] De gradibus ac numero ætatis humanæ non omnes idem sentiunt. Varro in quinque gradus æqualiter putat esse divisos, unumquemque scilicet præter extremum in annos quindecim. Hippocrates medicus in septem gradus ætatum distribuit finem vitæ unius cujusque. Solon autem Philosophus partes fecit decem. Staseas Peripateticus duas ad hos Solonis addidit. Et ne cuncta recenseam, lege hæc copiose apud Censorinum c. 22. de die natali. Aug. c. 23. de Gen. &c. ultimo 22. Civitat. dei. Faciunt huc quæ scribit Plin. cap. 49. 7.

In Appium Claudium, &c.] Intelligit non Appium Claudium Cæcum de quo cap. 18. hujus primi sed Appium Claudium, cui cognomen Caudex, de quo infra cap. 2. lib. 2.

Ducentos annos patet] Dura, imo forte nulla in his verbis constructio. Idcirco legendum videtur, CC. annis patet, vel per CC. annos patet. Aut ut quædam habent exemplaria, CC. annos habet, ut infra cap. 6. 2. in principio.

Non multo minus CC. anni &c.] Secundum computationem Eusebii, ab initio imperii Augusti usque ad finem imperii Trajani, sunt fere anni 178. & menses. 6. Bene igitur additur non multo minus. Quid si legas, movit lacertos. Orof. ca. 7. 7. Gesta Trajani lege in Panegyrico Plinii & Eutrop. cap. 2. 8. Orof. ca. 7. 7. Sex. Aurel. Plura Martia. epigram. 6. 7. 28. 10.

De Romulo primo Rom. Rege.

Caput I.

Prim. il. &c.] Ultra ea quæ de Romul. scribunt Livius in primo, Justinus li. 43. Soli. in prin. Plinius minor c. 2. de viris illustribus. Sex. Ruffus de vita regia. Eutrop. c. 4. 1. Orof. 5. 2. Plutar. in vita Romuli. Dionys. Halicarn. lib. 1. & 2. lege Val. Ma. c. 2. 3. &c. 3. 5. Plin. cap. 17. 8. c. 12. 14. c. 45. 16. c. 2. 18. c. 6. 34. Aug. ca. 17. 2. Civi. c. 6. 13. 15. 3. Civi. Lactan. c. 20. & 12. primi. & c. 7. 2. Virg. circa finem

nem octavi Aenei. Plura Ovid. 3. & 4. Fastorum, & 14. Metamor. Horatius 3. 3. Carmi. Propert. lib. 4.

A Marte genitus, & Rhea Sylvia, &c.] Parentes Romuli & Remi, & seriem eorum quæ hic dicuntur, ponit Naso in principio 3. Fasto. & 5. Elegia 3. Amorum. eosdem nutritos a vera lupa scribunt Plin. cap. 17. 8. & 18. 15. Justinus lib. 43. Plutar. cap. 65. Paralle. & Problem. 20. Virgil. 8. Aenei. ibid. Fecerat & viridi. Picum etiam avem eosdem nutrisse scribit Naso Fastor. 3. Lacte quis infantes nescit crevisse ferino, Et picum expositis sæpe tulisse cibos. Idem scribit Plutarch. Problem. 26. Propertius 6. 2. Alii fabulosum putant. Lege Lactan. ca. 20. 1. & Livium primo ab urbe condita. Ubi autem & quomodo expositi fuerint scribit Naso. 2. Fast. ibi. Forsitan & quæras, &c. An Roma fuerit primo a Romulo condita, scripsi plura in annot. Solini.

Ab his Amulius septima sobole regnabat, &c.] Dionysius libro primo. Eutrop. cap. 3. 1. Euseb. lib. temporum. Ovid. 14. Metamor. ibid. Inde sub Ascanii. Idem 4. Fast. ibi, proximus Anchises. Et breviter quicumque de regibus Albanis scribunt, enumerant a Sylvio Posthumo Aeneæ filio usque ad Amulium Romuli patruum, reges quatuordecim. Videtur ergo non septima, sed bis septima sobole legendum esse. Hunc locum ante nos advertit nemo.

Sex vultures, &c.] De auspicio isto præter cæteros Ovid. 4. Fast. ibi, Nil opus est. Plut. Prob. 91. Stat. 3. Thebaidos, ibi, Hic honor. docet causas, cur alitibus prædicendi futura sit tributum. De hoc auspicio recitantur plura carmina Ennii, versus finem primi de divinatione M. Tullii, ibi, Curantes magna cum cura. Docet idem Cicero eodem libro Romulum optimum augurem fuisse. Item Romanos nihil sine auspicio fecisse. Idem dicit Valerius cap. 1. secundi.

Remus increpat saltu, &c.] De morte Remi variant scriptores. Lege præter citatos Ovidium quarto Fast. ibi, Neve quis. *Prima victima.*] Lucanus in 1. ibi, Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Hora. 7. Epodon. De asylo Virg. & Servius. 8. Aeneid. ibi, *Hinc lucum ingentem.*

Itaque matrimonia, &c.] De raptu Sabinarum & aliarum a Romulo lege Ovid. 3. Fast. ibi, Jamque loco. Quo mense. Seru. 8. Aeneid. Nec procul. Earum numerus Dionysi. lib. 2. Antiquitatum. Qua face raptæ. Plin. cap. 9. 16. naturalis historiæ. Plura præter supradictos divus Au. c. 17. 2. & c. 13. 3. Civitatis dei. Et Plut. Probl. 84. plura in Romulo. De opimis spoliis dicam infra cap. 4. 2.

Feretrio Jovi, &c.] De Jove Feretrio lege præter alios Valerium 2. 3. Plura Propertius Elegia 12. 4. Ubi plura disputat unde nomen sumptum sit. Item Plutar. & Festum Pomp. vide si vis.

Sed puella precium rei, &c.] De Tarpeja virgine, quæ Sabinis Capitolii portas aperuit, copiose Propertius 4. 4. Ovidius 1. Fast. ibi, Urgue levis. Et 14. Metamor. ibi, Proximus Ausonias. Val. Ma. ca. 6. 9. Plutar.

tar. cap. 17. Parallel. Fuit autem hæc Sp. Tarpei filia, ac Vestalis virgo. Idem fecit Brennus rex Gallorum apud Ephesum urbem. Plut. ca. 26. Parallelorum.

Hic templum est Stator Jupiter, &c.] Præter ea quæ supradicti scribunt de Jove Statore, lege August. 13. 3. Civitatis. Item Ovidium in fine 6. Fasto. Seneca autem c. 7. 4. de beneficiis sic inquit: Stator non ut historici tradiderunt, ex eo quod post votum susceptum acies Romanor. fugientium stetit, sed quod stant beneficio ejus omnia, stator stabilitorque est. Hæc ille. Videtur autem legendum, hic templum esto: ut sit voventis Romuli verbum.

Discerptum aliqui a Senatu putant, &c.] Romuli interitus varie scribitur. Lege Val. Max. ca. 3. *quinti.* Cic. 1. de Legibus. August. cap. 15. tertii Civitatis. Ovid. 2. Fasto. ibi, Est locus antiqui. Item cæteri. Modum novum ex Aristobuli sententia ponit Plutarchus, ca. 67. Parallel. Translationem Romuli in Deum narrat Ovidius in fine 14. Metamorph. Cicero in principio 1. Legum.

De Numa Pompilio.

Caput II.

S*Uccessit Romulo Numa Pompilius.*] Numæ gesta scribunt Livius in 1. Plin. cap. 3. de viris illustribus. Solinus cap. 2. Ruffus de vita regia. Eutrop. in 1. Orosius in 3. Gellius cap. 3. quarti. Val. Max. cap. de servata & simulata religione. Lactantius cap. 22. 1. Plin. cap. 13. 13. ca. 12. 14. c. 1. & 29. 18. Augustinus ca. 16. 2. c. 9. 11. c. 15. 3. Civit. Item c. 35. 7. c. 24. 18. Civitatis. Plura Ovidius 15. Metamor. Virg. 6. Aeneid. ibi, Quis procul. Plura Plutarchus in vita Numæ, & Dionysius secundo antiquitatum Rom. Dictus autem Numa est ἀπὸ τῶν νόμων, hoc est, a legibus quas Romulus instituit, autor Ser. 6. Aeneid.

Ille Sacra, &c.] Numa assumpta omni divini cultus institutione, atque conscripta, in octo divisit partes, &c. Lege Dionysium ubi supra. Fasti & nefasti dies, qui, & cur sic dicti, 1. Fastorum Ovidius, ibi, ille nefastus erit. Gellius ca. 9. 4. De ancylibus præter alios Ovid. 3. Fast. ibi, Quis mihi. Virgil. 8. Aeneid. Hinc exultantes, &c. ubi Ser. plura. Lege quæ notavimus apud Fenestellam. Idem de Palladio 6. Fast. ibi, Mœnia Dardanides. Et prima 3. Tristium, Hic locus, &c.

Annum quoque in duodecim menses, &c.] De anno duodecim mensium a Numa instituto, scribunt Solinus c. 3. Macrobius 1. Satur. Ovid. Fastor 1. De annorum autem diversitate plura in annotationibus Solini explicavimus. Strabo autem 17. Cosmographiæ dicit annum dierum 365. cum quadrante ab Aegyptiis inventum fuisse. Idem scribit Lucanus in 10. Nec meus Eudoxi.

Janum

Digitized by Google

Janum geminum, &c.] Causas hujus consuetudinis docui ex sententia Macrobii, Servilii, Syllii, Nasonis, in annotationibus nostris in Claudianum 2. de laudibus Stiliconis. ibi: Et Janus pax alta ligat. Virgi. 7. Aeneid. ibi, Sunt ge. Idem scribit Florus infra c. 3. 2. & c. 12. 4. in fine, quoties scilicet Jani janua fuerit clausa. Aug. ca. 9. 3. Civita. *Focum Vestæ.*] Præter scripta de hac re a Livio, Diony. Plu. cæteris, lege 6. Fast. Ovi. ibi, Vesta fave.

Monitu Aegeriæ, &c.] De Aegeria præter alios Ovi. 3. Fast. ibi, Nympha mone, &c. Idem 15. Metamor. ibi, Conjuge qui felix. August. c. ultimo septimi Civitat. Lactan. c. 22. 1. Cicero 1. de legibus, Acron 2. Epistolarum Horatii.

De Tullo Hostilio.

Caput III.

EXcipit Pompilium Numam Tullus Hostilius, &c.] Vitam Tulli Hostilii regis scribunt Livius in 1. Diony. in 3. Eutrop. in 1. orosius in 2. Plin. minor c. 4. de viris illustribus. Val. Max. c. 4. 7. c. 3. 4. c. 12. 9. Plin. c. 55. 2. c. 2. 28. August. ca. 15. 3. Civ. Ruffus ubi sup. Virg. 6. Aen. ibi, Ocia qui, &c.

Albanos gravem & diu principem populum, &c.] Longa Alba ab Ascanio condita CCC. annis caput regni fuit. Just. lib. 43. Secundum autem computationem Eusebii & Eutropii longe aliter.

Misso in compendium bello, &c.] Historiam Horatiorum atque Curiatiorum tergeminorum scribunt, præter supradictos Plin. c. 3. 7. Val. ca. 6. 3. & c. 1. 8. Plut. cap. 29. Paral. Augu. c. 14. 3. Civi. Idem fecerunt aliquando Tegeatæ ac Pheneatæ, lege Plutar. cap. 28. Paral.

Inter duos currus, &c.] De Metii Suffetii interitu præter nominatos lege Gel. c. 1. 20. Val. Max. c. 4. 7. Plu. cap. 14. Paral. Claudianum in Gildo. ibi, Et si non. Virg. 8. Aeneid.

Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ
Distulerant, ac tu dictis Albane maneres.
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per sylvam, & sparsi rorabant sanguine vepres. Id pœnæ genus ab Hercule repertum ferunt, qui florenti adhuc ætate regem, Eubœæ Pyrechmen, bellum Bœotiis inferentem vicit, victumque pullis equinis ita alligavit, ut in duas dispartiretur partes, insepultusque jaceret. Locus adhuc Pyrrechmus pulli vocatur. Autor Plutarchus.

De Anco Martio.

Caput IV.

ANcus deinde Martius, &c.] Quæ compendiose hic narrantur lege apud Livium li. 1. Diony. li. 3. Eutrop. c. 7. 1. Oros. li. 2. Pli. c. 5. de viris illustribus. Ruffum, Solin. c. 2. Augu. c. 15. 3. Civi. Euse. lib. temporum. Plin. ca. 3. 31. Claudia. in Gildonem. Virg. 6. Aeneid. Agmina quem, &c. Dictus autem Ancus ἀπὸ τ͂ ἀγκῶνος, id est, a cubito, quem incurvum habuit. Servius est autor Aeneidos 6.

Mœnia muro amplexus est, &c.] Videtur Urbem Romam usque ad hunc regem, sine muris fuisse, nam ad tutelam novæ urbis sufficere vallum videbatur. ut capite 1 supra dicit Florus, Ancus præterea Aventinum montem & Janiculum urbi addidit. Autor Euseb. lib. temporum.

De Tarquinio Prisco.

Caput V.

TArquinius postea Priscus, &c.] Historiam regis hujus scribunt Livius in 1. Diony. in 3. Eutropius in 1. Orosius in 2. Pli. c. 6. de viris illustribus. Val. Max. li. 1. c. de auspiciis, & c. 4. 3. Plin. c. 1. & 3. 33. & c. 12. 35. Lacta. cap. 8. 2. August. c. 15. 3. Civit. Lege Ruffum, Solinum, Eusebium. *Attius Navius*, &c.] Hanc historiam præter supra dictos scribunt Val. lib. 1. cap. de auspiciis. Lact. ca. 8. 2. Ob id factum statuam sibi poni meruit. Plin. cap. 5. 34.

Duodecim namque, &c.] De his duodecim Ethruriæ populis infra c. 16. hujus primi. Dionys. li. 6. Servius 11. Aeneid. super illud: Telaque trunca. Vestium species, inventionem, usum, apud Romanos ponit Plin. cap. 48. 8. naturalis historiæ. Extat præterea titulus apud Nonium Marcellum. Lege A. Gelli. ca. 12. 7. De Annulis multa idem Plin. ca. 1. 33.

De Servio Tullio.

Caput VI

SErvius Tullius deinceps, &c.] De rege isto sexto scribunt Livius in 1. Dionysius in 4. Vale. Max. lib. 1. ca. de prodigiis, & ibidem capite de miraculis. cap. 4. 3. c. 11. 9. Augustinus cap. 15. 3. Civitatis. Item Eutropius, Orosius, Solinus. ca. 2. Plinius minor, Eusebius, Ruffus Sex. Plutarchus Prob. 72. 105. plura Ovid. 6. Fastor. ibi. Lux eadem fortuna tua est.

Digitized by Google

Advertendum hanc reginam alio nomine vocatam Cajam Ceciliam ut quibusdam placet. Advertendum quod quum Romani incertum haberent, quo mense Servius Tullius natus esset, nonis tamen natum esse constaret, omnes nonas celebri notitia frequentabant. Autor Macrobius primo Saturnalium.

Circa caput flamma, &c.] Historiam hanc scribunt Plin. 110. 3. &c. ultimo 36. Cicero 1. de divinatione. Valer. ac alii ubi supra. Faciunt huc quæ scribit Maro 2. Æn. ibi: Ecce levis. Et Claudianus de 4. consulatu Hono. ibi: Apparet quid signa. in quo loco plura dictavimus.

Relatus in censum, &c.] Sane in eo censu qui primus Romæ fuit, inventa sunt hominum M. 84. Auctor Eutropius capite 9. primi.

De Tarquinio Superbo.

Caput VII.

P*Ostremus omnium fuit regum Tarquinius Superbus, &c.*] Gesta Tarquinii Superbi scribunt Livius li. 1. & 2. ab urbe condita. Dionysius li. 4. & inde Val. ca. 3. & 4. 7. Plinius. cap. 3. & 8. 19. cap. 1. 33. Plura Seru. 6. Æneid. August. c. 15. 3. Civitatis. Ruffus. Eutrop. in primo. Orosius in 2. Plin. minor ca. 8. de viris illustribus. Sol. c. 2. Euseb. lib. temporum. Virgil. 6. Aeneid. ibi, Vis & Tarquinios. Plura Ovi. 2. Fastor. ibi: Non mihi dicenda.

Tullia super cruentum patrem.] Hanc historiam præter supradictos lege apud Valerium Max. cap. 11. noni, & apud Ovidium 6. Fastor. ibi, Tullia conjugio.

In omnes superbia, quam crudelitate gravior est bonos, &c.] Videtur legendum, in Senatum cædibus, in omnes superbia, in bonos gravior, crudelitate grassatus est.

Neque enim filium, &c.] Hanc historiam præter citatos supra, lege in 2. Fast. Ovid. ibi, Cœperat hic alias.

Papaverum capita, &c.] Conveniunt omnes præter Ovid. qui dicit non papaverum, sed liliorum capita excussisse, ibi, Hortus odoratus. Lege Frontinum cap. 1. 1. sed res nota nimis.

Inventas & Terminus, &c.] Legendum est juventa: nam juventas est ætas ipsa. Juventa ipsum numen. juventus adolescentia. Acron ode 30. 1. Divus August. cap. 23. 4. Civitatis. Martem quoque tertium enumerat contumacem. Plura ad hoc scripsi 2. Civi. August. cap. ultimo ex sententia Serv. in 9. Lactan. cap. 20. 3. Ovid. 2. Pastorum: Quid nova.

Lucretia stuprum, &c.] Hanc historiam scribunt omnes. Lege Val. c. 1. 6. Copiosius Augustinus cap. 19. 1. Civi. Plutarchus cap. 14. de virtutibus mulierum. Lucretiæ stuprum copiose, & more suo elegantissime canit Ovid. 2. Fastor. versus finem, ibi, Cingitur intenea, &c.

Imperium abrogatum regibus, &c.] Diem, quo reges Roma pulsi sunt, qui regifugium dicebatur, bis quotannis Romani celebrabant, septimo scilicet

licet Cal. Martias, & XI. Cal. Iulias. Autor Ovid. 2. & 5. Fastorum. Pulsus autem fuit regno Tarquinius 7. Cal. Martias, hoc est, vigesimo tertio Februarij die, ex 2. Fastorum, Nunc mihi. Advertendum autem serpentem latrasse, quum pulsus est regno Tarquinius. Autor Plinius c. 41. 8. naturalis historiæ.

Anacephalaeosis de septem Regibus.

Caput VIII.

HÆc est prima ætas populi Ro. &c.] Anacephalæosis Græce, latine dici potest repetitio seu instauratio velut Aug. interpretatur, recapitulatio, ἀνακεφαλαιόω enim instauro significat. Quæ faciunt pro notitia hujus capitis dicta sunt in antehabitis capitibus.

Deorum metu mitigaretur, &c.] Diagoras, Theodorus, Leucippus, Democritus, Epicu. & ex Rom. Lucretius, putant terroris ac metus gratia religionem a sapientibus institutam, quo se homines imperiti a peccatis abstinerent. Lactant. cap. 10. de ira Dei. De Numæ religione scriptum c. ultimo 7. Civi. Ex quibus constet vera religio, docet Aug. 10. Civita. & Lactant. cap. 28. 4. sed de hoc alibi.

De Mutatione Reipub.

Caput. IX.

IGitur Bruto Collatinoque ducibus, &c.] De his primis consulibus Livius lib. 1. & 2. Dionys. libr. 4. & 5. Augu. cap. 16. 3. Civitatis. Plinius minor cap. 9. 10. & 15. de viris illustribus. Eutrop. in 1. Orosius in 2. Advertendum annum illum primum habuisse quinque consules, autor August. ubi supra Macrob. 1. Satur. dicit primos consules factos Cal. Iulij, quem diem, ut antea annotatum est, Romani celebrabant. Plutar. vero asserit eos creatos Cal. Ianuarij. Hinc servatum ut deinceps semper Cal. Ianuarij consules crearentur. Lege ipsum Proble. 18. Ornamenta consulum atque insignia lege 1. Fastorum, ibi: vestibus intactis. Fenestella cap. 22. Plura Flavius 3. de Ro. triumph. Brutus autem dictus quoniam stultitiam simulaverit. Plin. cap. 10. de viris illustribus. Ovid. 2. Fast. ibi, Brutus erat. De Martio campo ultra quæ scribit Livius, lege Strab. libro 5.

Consulesque appellavit pro regibus, ut consulere, &c.] Magnam consulis officij & dignitatis partem paucis verbis Cicero tertio legum parum post principium complexus est: Regio imperio, inquit, duo sunto; iisque præeundo, judicando, consulendo, prætores, judices, consules appellanto. Militiæ summum jus habento: nemini parento. Salus populi suprema lex esto.

Eun-

Digitized by Google

esto. Eundem magistratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito. Civitatem annali lege servanto. Duella justa juste gerunto. Sociis parcento. Servos continento, populique sui gloriam augento. Domum cum laude redeunto. Hæc ille. Lege quæ notavimus titulo 22. Fenestellæ. Cur autem duodecim lictores Fasces virgarum securibus alligatos gestabant, docet Plutar. Problem. 81. Docet Plin. lib. 7. Magistratuum virgas illas terribiles peculiariter ex Betulla arbore, quæ est eximio candore ac tenuitate prædita, fieri.

Alterum ex consulibus, &c.] Intelligit Collatinum Tarquinium Lucretiæ maritum, de quo præter cæteros scribit Cicero 3. Officiorum, & Plin. c. 9. de viris illust. Aug. cap. 17. 2. Civitatis Dei.

Itaque substitutus Valerius Publicola, &c.] De hoc Valerio Publ. præter supradictos lege Val. cap. 1. & 4. Plin. cap. 15. de viris illust. Plut. in vita ejus omnia conplexus est.

Quum studere de revocandis in urbem regibus liberos suos comperisset, &c.] De conjuratione filiorum Bruti contra Rempub. præter Livium & Dionys. lege Valer. Max. cap. 8. 5. Item Aug. cap. 16. 3. Civit. Pluta. cap. 20. 21. 22. Parall. Claud. primo in Eutropium: jam, inquit, Chrysogonis tua Brute potestas: Narcysisque datur, natis hoc dedere pœnæ profuit? & misero civem præponere patri? Sic enim hunc locum ut plerosque alios ejusdem poëtæ castigavimus, quum antea non patri, sed fratri passim legeretur. Virg. 6. Aen. Vis & Tarquinios reges, animamque superbam Vltoris Bruti, fascesque videre receptos? Consulis Imperium hic primus sævasque secures Accipiet, natosque pater nova bella moventes Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit, Infelix, utcunque ferent ea fata minores. Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido. Cur bellandum sit docet Cicero primo Officiorum tit. 12. & 13. ubi docet bellum sine causa nullum esse debere.

Inter Latium & Ethruscos, &c.] Roma a principio (ut 11. Aeneid. docet Servius, ibi, Ethruscique duces) tantum unam Tyberis ripam tenebat. Iuvenalis Satyra 8. Et quæ imperij finem Tyberinum virgo natavit. Propertius prima 4. Et Tyberis nostris advena bubus erat.

Bellum Ethruscum cum Rege Porsenna.

CAPUT X.

P*ulsis ex Vrbe regibus, &c.*] Quæ hoc decimo capite scribuntur, habentur a Livio libro 2. Dionysio lib. 6. Plin. cap. 11. & 12. de viris illustribus. Eutrop. cap. 11. 1. Plutarch. cap. Paral. August. cap. 18. 2. Civitatis. Syllio lib. 10. ibi, auribus. Virg. 8. Aeneid. ibi, Nec non.

Amicitiæ fœdera feriret, &c.] In fœdere quod expulsis regibus pop. Romano dedit Porsenna, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro nisi in agricultura uterentur. Autor. Plin. c. 14. 34. Ho-

Horatius Cocles, &c.] Præter supra dictos hanc historiam scribunt Val. Max. cap. 2. 3. Plutar. cap. 16. Paral. Frontinus cap. 13. 2. Virgil. circa finem 8. Aeneid. ibi, Aspiceres. Huic Horatio ob insignem ejus virtutem statuam in comitio Romani posuerunt, quæ postea de cœlo tacta est. Autor Plin. cap. 5. & 6. 34. Et Gellius cap. 5. 4. in quo ponte pugnaverit præter cæteros docet Plinius cap. 15. 16. Cocles autem dicitur, qui altero lumine cæcus nascitur. Autor Plinius.

Mutius Scævola, &c.] Hanc historiam præter citatos lege apud Val. cap. 3. 3. Plutarch. cap. 2. Parallel. August. cap. 20. 4. Civitatis. Lactantium cap. 1. 1. divinarum institutionum. Extat nobile epigramma Martialis lib. 1. Dum peteret regem, &c. Syllius in 6. ibi, Scævola cui, &c.

Clælia per patrium flumen, &c.] Habes historiam hanc a Valerio cap. 2. 3. Plin. c. 13. de viris illustribus. Plutar. cap. 14. de laudibus mulierum Virg. 8. Aeneid. ibi, & fluvium. Copiosius Syllius versus finem 10. Nescia proh. sup. Plura dictavimus in annotat. Claudiani de laudibus Serenæ uxoris Stiliconis.

Una ex obsidibus regi data elapsa custodiam, &c.] Quot & quales fuerint obsides Porsennæ dati, & quæ fuerint conditiones pacis, docet Plutarchus ubi supra: legendum autem est, elusa custodia.

Donet Aruntem, &c.] De Aruntis Tarquinij Superbi filij, & Iunij Bruti morte, præter supradictos lege Valerium Max. cap. 6. 5. Id autem accidit, autore Plutarcho, in Publicola pridie Calend. Martias.

Bellum Latinum.

Caput XI.

Latini quoque Tarquinios asserebant, &c.] Historiæ hujus autores sunt Liv. 2. ab urbe condita. Dionys. lib. 6. Plutarchus in vita Coriolani. Val. Max. lib. 1. ca. de mira. Fenest. tit. 13. Plin. cap. 16. de viris illust. Lactantius ca. 9. secundi. Eutropius cap. 11. primi. Orosius cap. 13. secundi.

Duos in candidis equis, &c.] Hanc historiam scribunt fere omnes qui modo citati sunt. Frontinus autem cap. 11. primi, dicit hoc excogitatum a Posthumio, ut exercitum suum animaret ad bellum: idem sentit Cicero ubi supra. Simile visum est in ea navali victoria, qua duce Lysandro Athenienses conciderunt. Cic. eodem loco. De Castore & Polluce fratribus plena sunt omnia. Lege quæ scribit Naso 5. Fast. At mihi pande precor. Ubi Antonius Fanensis, præceptor quondam meus, plura congessit. Hyginius cap. 23. secundi narrat fabulam. Plinius cap. 37. secundi. Servius 2. Aneid. ibi, Tyndarida. Item 6. Aeneid, Si fratrem Pollux. De his Latii oppidis Plin. cap. 5. 3. & Strabo lib. 5. Syllius in 8. ibi, Faunigenæ socio. Plura Virg. 7. & 10. Aen. Solin. ca. 8. Pactusque, legendum est, mactusque. De Algido, ad hoc propositum 6. Fast. ibi, Scilicet hic olim

Per-

Pervicacissimi tamen Latinorum &c.] Autores historiæ hujus Livius lib. 3. & 4. Dionysius li. 6. Val. cap. 4. 4. August. cap. 18. 5. Civitatis. Plinius ca. 17. de viris illust. Eutrop. cap. 11. primi. Oros. cap. 13. secundi. Plinius cap. 3. 18. naturalis historiæ. De L. Quintio lege quæ notavi de 4. consula. Hono. ibi, Lustratæ lictore casæ fascesque saligni. Sic enim legendum est; non faces, ut passim legitur. De dictatoris dignitate, origine, atque officio lege quæ notavimus tit. 23. Fenestel. ubi male citatur Eutropius cap. 1. primi, pro capite 11.

Bellum cum Ethruscis, Faliscis & Fidenatibus.

Caput XII.

Assidui vero & anniversarii hostes ab Ethruria fuere Veientes, &c.] Historiam sex & trecentorum Fabiorum scribunt Livius li. 2. Dionys. lib. 9. Eutrop. 11. 1. Oros. cap. 6. 2. Plin. ca. 14. de viris illustribus. Gel. cap. 21. 17. Euseb. libro temporum. Servius 6. Aenei. super illud, Quo fessum. Syl. lib. 2. &. 7. Ovid. 2. Fast. ibi, Idib. agrestis.

Et scelerato signatur nomine, &c.] De Porta quæ antea Carmentalis dicebatur, lege Ovidium 2. Fast. ibi, Carmentis portæ. Fuit etiam Romæ sceleratus vicus prope vicum Cyprium, ut autor est Varro. Causam ponit Ovidius 6. Fastor. ibi, Certa fides.

Sed ea clades, &c.] Bellum contra Vejos gestum scribit Livius lib. 4. & 5. Augustinus cap. 17. secundi, & cap. 27. tertii Civit. & qui mox citabuntur.

Ludimagistrum, &c.] Scribunt hanc historiam Livius in 3. Val. cap. 5. 6. Plutarch. in vita Camilli. Plin. c. 23. de viris illust. Claudianus in Gildonem, ductosque Camillus trans murum pueros, obsessæ reddidit urbi. Hinc fortassis non sibi, sed urbi, in Floro legendum est: vel subito, pro sibi ultro. Nam teste Valerio, Senatus censuit, ut pueri in patriam remitterentur. De Fidenatibus, Faliscis, ac spoliis Laërtis Tolumnii late Livius 4. ab urbe condita. De decimis Pythio a Rom. missis præter alios Val. cap. 2. 1. &. cap. 6. 5. Plura Livius lib. 5.

Bellum Gallicum.

Caput XIII.

Hinc sive invidia deorum, &c.] Historici fere omnes hujus belli meminerunt. Livius li. 5. Val. cap. de ominib. li. 1. Plutar. in Ca. & Probl. 24. Plinius cap. 23. de viris illust. Gel. ca. 17. 5. Augustinus cap. 22. 2. & cap. 17. 3. Civit. Vegetius ca. 28. 4. de re milita. Virgil. 8. Aeneid ibi: atque hic Martial. in distichis. Hæc servavit Ovidius 6. Fast. ibi, Cincta premebantur. Serv. 8. Aeneid.

Itaque hunc diem Fastis Roma mandavit, &c.] Pro hujus rei notitia lege Plutarchum Probl. 24. Plura notavi in commenta. Claudiani in Gildon. ibi, Tarquinios.

L. Albinus, &c.] Val. 1. 1. vocat hunc L. Alvanium: ut in alterutro manifestus error sit. De Manlio Capitone dicam ca. 26. hujus primi. De Fabii Pontificis sacro præter supradictos Vale. cap. 1. primi. De Genio deo plura Censorinus c. 2. de die natali.

Clangore anseris, &c] Scribunt hoc idem omnes quos citavimus. Plinius cap. 22. decimi, & cap. 3. 29. ponit hujus rei causam.

Panis ab arce jaculatus, &c.] Historiam iidem qui supra. Ob id factum Romani post Gallorum recessum in Tarpejo monte Iovi Pistori aram construxerunt, rem & rei causam lege 6. Fast. ibi, Quem tu.

Inde Torquati, &c.] De Torquati cognomine Plinius cap. 28. de viris illustribus. Livius libro 7. Gell. cap. 13. 9. Vale. cap. 2. 3. Meminit Virg. circa finem sexti.

Inde Corvini, &c.] Lege apud Livium 7. ab urbe con. Val. c. 2. 3. Plinium ca. 29. de viris illustrib. Alii fere omnes non satyriam avem, sed corvum fuisse dicunt. Vel satyria genus corvi est. Ob id factum Valerius hic annorum trium & viginti Consul factus est. Historiam de Dolabella, qui Gallos delevit, Eutrop. cap. 1. 2.

Bellum Latinum.

Caput XIV.

Conversus a Gallis, &c.] De hoc bello lege Livium lib. 8. Val. cap. 2. 2. cap. 9. 6. & cap. 3. 9. Gel. cap. 13. 9. Plutarch. cap. 22. Paral. Eutr. ca. 1. 3. sic inquit: Latini, qui noluerunt milites dare, hoc quoque a Romanis exigere cœperunt, ut unus Consul ex eorum, alter ex Rom. populo crearetur. Quod quum esset negatum, bellum contra eos susceptum est. Oros. cap. 9. 3. dicit hoc bellum Latinis rebellantibus illatum anno CCCCIX. ab urbe con. Lege Plin. cap. 26. & 28. de viris illustribus.

Quum alter Consulum filium suum, &c.] Historiam hanc scribunt omnes qui supra. Plutarchus autem dicit ubi supra, hoc accidisse bello Samnitico. Pulcre hanc Historiam scribit Gell. cap. 13. 9. ex sententia Claudii Quadrigarii. Meminit Eusebius lib. temporum. Idem prius fecerat Epaminondas Thebanorum dux, quum adversus Lacedæmonios belligerabat. Plutar. cap. 21. Paral.

Alter quasi monita deorum, &c.] Autores historiæ: Plutarchus cap. 33. Paral. dicit hoc accidisse in bello contra Albanos. Vale. cap. 6. 5. Plinius cap. 5. 22. & c. 2. 28. naturalis hist. Plin. minor. c. 26. de viris illust. Aug. c. 20. 4. & c. 18. 5. Civitatis. Iuven. sat. ibi, Plebeiæ Deciorum, &c. Meminerunt Virg. 6. Aeneid. & Claudianus de quarto Consulatu Hono. ubi plura annotavimus.

Digitized by Google

vimus. Devovendi formulam ponit Livius ubi supra. Plin. ca. 2. 28. dicit extare devotionis carmen.

Bellum Sabinum.

Caput XV.

A *Latinis aggressus est gentem Sabinorum, &c.*] Hujus belli tanquam parvi momenti pauci meminerunt. Lege Plin. cap. 33. de viris illust. & Oros. cap. 20. 3. Dentati nomen unde sumptum sit docet Plinius ca. 16. 7. Plura annotavimus supra cap. 4. Iulii Solini: De Sabinis populis Plin. cap. 12. 3. Et Syllius lib. 8. ibi, Ibant, &c. De Sabino enim nomine non omnes idem sentiunt.

Bellum Samniticum.

Caput XVI.

P*recibus deinde Campaniæ motus, &c.*] Prima pars capitis hujus, de precibus scilicet & deditione Campanorum habetur a Livio li. 7. reliquum habetur lib. 9. ab urbe condita.

Terrarum pulcherrima Campania, &c.] Campaniæ laus sumpta est ex cap. 5. 3. Plin. Solino cap. 8. Strabone lib. 5. Eutrop. cap. 1. 2. Eleganter Syllius Campaniæ laudes cecinit lib. 8. Iam vero quos dives opum, quos dives avorum. Et toto dabat ad bellum Campania tractu, &c. De his populis plura Plinius cap. 5. & duodecimo tertii.

Hos tamen quinquaginta annis, &c.] Aliter multo Appianus: ultimi, inquit, Samnites erant, qui Ionium incolunt, & magno difficilique bello per annos octuaginta conflictati sunt, &c. Sententia Appiani videtur verior propter 24. triumphos de Samnitibus habitos.

Apud Caudinas furcas, &c.] Historia habetur a Livio lib. 9. Val. cap. 1. quinti, cap. 2. septimi. Plut. cap. 1. 6. Paral. Plin. cap. 30. de viris illustribus. Augu. cap. 17. tertii Civitat. Lucanus. in 2. Nota sunt quæ Eutropius & Orosius de hac ipsa clade scribunt. Lege quæ scribit Cicero 3. Officiorum. Gesta sunt autem hæc anno 426. ab urbe condito, autore Orosio.

Bellum Ethruscum & Samniticum.

Caput XVII.

H*actenus populus Romanus, &c.*] Quæ hoc capite continentur scribit Livius 9. & 10. ab urbe condita. Orosius cap. 20. tertii. Eutropius cap. 8. secundi. Gestum autem est bellum, hoc anno 450. ab urbe condita. Oro-

fit. Eusebius autem dicit gestum Olympiade 117. Meminit Augustinus cap. 17. 3. Civit. De duodecim Ethruriæ populis supra cap. 5. De Calydonio & Hercynio saltu infra cap. 10. & 12. 4.

Quatuor agminum signa, &c.] In hoc enim bello quatuor florentissimi populi contra Romanos fuerunt Ethrusci, Umbri, Samnites, Galli. Orosius ubi supra. De hoc Fabio, qui primus Maximus in ea familia dictus est. Plinius cap. 22. de viris illustrib. Val. cap. 1. secundi. De Ciminio monte plura Livius libro 9. Frontinus c. 2. primi, & capite 1. secundi. Fabulam quandam de hac re narrat Servius septimo Aeneid. ibi, Et Cimini cum monte lacum.

Decius more patrio, &c.] De hujus Decii devotione præter supra dictos lege Plinium cap. 27. de viris illustrib. Plutarchum cap. 33. Paral. Val. cap. 6. 5. Augustinum cap. 18. 5. Civitat. Lege notata cap. 14. supra. Lege quæ scribit Cicero primo de divinatione ante medium.

Bellum Tarentinum & cum Pyrrho Rege.

CAPUT XVIII.

S*equitur bellum Tarentinum, &c.*] De bello Tarentino scribit Florus abbreviator Livii libro 12. 13. 14. Valerius cap. 1. 2. Plinius de viris illustrib. cap. 35. Plutarchus in vita Pyrrhi. August. cap. 17. 3. Civitat. Orosius cap. 2. 4. Eutropius cap. 1. 2. Tarenti originem, situm, potentiam, &c. lege apud Strabonem libro 6. & Plinium cap. 10. 3. Syl. lib. 12. ibi, Verterat. Quando, & a quibus conditum, Euseb. libro temp. Quo autem tempore hoc bellum gestum est, docent Gell. cap. ultimo 17. & Plinius cap. 6. 8.

Hanc quoque per obscœnam contumeliam, &c.] Hanc contumeliam ponit Val. ubi supra. Unus enim Romanorum legatorum urina inter cæteras contumelias aspersus est. Nec de his quæ passi sunt conquesti sunt, ne quid ultra ac mandatum esset loquerentur.

Incognitis in id tempus elephantis, &c.] De elephantis plura Plinius in principio 8. Solinus c. 31. Ambrosius. cap. 5. sexti Hexaemeri. Plinius c. 6. 8. asserit Italiam primum vidisse elephantes Pyrrhi regis bello, & boves Lucas appellasse, quoniam in Lucanis primo visi sunt, anno urbis conditæ 472. Plin. ca. 13. 3. Asculum non in Apulia, sed Piceno collocat. Idem dicit Florus ca. 19. hujus. Videtur igitur superfluum esse, in Apulia. Plut. dicit tertiam cum Pyrrho pugnam fuisse apud Beneventum, nullam de Ausinis campis faciens mentionem. Hæc monendi causa dicta volumus. Idem Plutarchus non Levinum, sed Albinum consulem nominat. Idem præfectum Ferentanæ turmæ (sic enim legendum est) Eplacum vocatum dicit, ac dum pugnat confossum a Græcis.

Missisque legatis, &c.] Hujus legationis præter cæteros meminerunt Pli-

Plinius capite 24. 7. Solinus c. 7. Cicero primo Tusculanarum quæstionum.

O *quam facile*, *&c.*] Deest dato, ut legatur sic: aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis dato, ex vetusto exemplari. Clarius Eutropius & Plinius minor ubi supra.

Quum perorante Appio Claudio Cæco, *&c.*] Sic enim legendum est. Historiam hanc præter supradictos lege apud Valerium cap. 14. 8. Plinium cap. 34. de viris illustrib. Plutar. in Pyrrho recitat hujus Appii orationem, quam ad Senatum habuit. Lege Ciceronem in Catone majore. Ovi. Fast. Appius est autor, Pyrrho qui pace negata Multum animo vidit, lumine captus erat.

Senatum regnum esse confiterentur, *&c.*] De hac responsione sic ait Plutarchus: Cyneas Pyrrho retulit cum multa alia, tum Senatum Romanum, multorum regum sibi consessum videri. Videtur igitur non regnum, sed regum legendum.

Venale caput, *&c.*] Hanc historiam præter cæteros lege apud Valerium cap. 5. sexti. & latius apud Gellium c. octavo tertii. Dictus autem est medicus hic Timochares. Multa Cicero Officiorum tertio. De Curio & Fabricio plura apud Claudianum 1. in Ruff. & de quarto Consulatu Honorii.

Fictilia sua Samnitico præferret auro, *&c.*] Hanc historiam scribunt passim omnes. Lege Valerium cap. 3. quarti. Gellium cap. 14. primi. Plinium cap. 12. 33. Augustinum c. 18. 5. Civitatis. Plura in annotationibus Claudiani ex Iuvenale, Virgilio, & cæteris.

Circa Ruffinum consulem VI. &c.] Historia habetur a Floro 14. abbre. Livianarum. Val. c. 4. 2. Gel. c. 8. quarti. Dicit autem idem Gellius capite ultimo 17. hunc Ruffinum fuisse bis consulem atque antea dictatorem. Florus li. 4. abbrevia. Flumen Lyrim nominat Plutarchus Sirien. Sed tam in Floro quam in Plutarcho Sirin legendum est. Plin. cap. 11. tertii.

A vicesimo lapide, *&c.*] Plutarchus ait, Tantum enim processit, ut non amplius trecentis stadiis Romá abesset: hoc enim factum est mox postquam Levinus victus fuerat.

Nec ullus triumphus, *&c.*] De ritu triumphantium scripsi in annotationibus sexti consulatus Honorii in Claudianum. Lege Syllium libro ultimo. Item Ber. 16. 1. & 1. 4. Propert. Multa Philelphus epistola 12. 29. Epistolarum, & Conviv. 2. De sensu & de docilitate elephantorum Plinius ca. 3, & 5. 8. Lege Aristotelem 9. natura animalium, & Strabo. lib. 15. Nugas multas de his garrit Albertus.

Bel-

Bellum Picente.

Caput XIX.

O*mnis mox Italia, &c.*] Quæ hoc capite ſcribit Florus habentur 15. abbrev. Liv. Item Eutrop. ca. 2. 2. Signanter Oroſ. c. 5. 4. Vide Front. cap. 12. primi.

Tellurem deam promiſſa æde plac. &c.] Vetuſtiſſimus Græcorum Meliſſeus, Iovis nutritor, Tellurem Urani uxorem colere inſtituit. Lege Lactan. c. 22. primi. De ejus in urbe Rom. æde, Plin. cap. 6. 34. Val. c. 3. 6. Multa Auguſt. 4. Civi. Et Ovid. 4. Faſt. Plura Macrobius primo Saturnalium.

Bellum Salentinum.

Caput XX.

S*alentini, &c.*] Hoc bellum ſcribunt Florus 15. abbrev. Plinius cap. quarto de viris illuſtribus. Eutropius cap. 2. ſecundi. De Pale dea abunde omnes. Lege tamen Ovidium 4. Faſt. ibi, Nox abiit. Plura Servius 3. Georgic. & Solinus circa principium. De Salentinis & Picentibus Plin. cap. 12. & 13. tertii.

Bellum Volſinenſe.

Caput XXI.

P*oſtremi Italicorum, &c.*] Quod hic ſcribit Florus, lege apud Valer. cap. 1. 9. Plin. de viris illuſtrib. cap. 30. Oroſium capite 6. quarti. Servorum tractatus habetur primo Saturnalium Macrobii, & cap. 8. ſexti. Val. Max. Ad præſens propoſitum lege quæ ſcripſimus primo in Eutropium apud Claudianum circa finem.

De Seditionibus.

Caput XXII.

H*æc eſt ſecunda ætas P. R. &c.*] De ſeditionibus extat cap. 7. 9. Val. Max. De Poſthumio Imperatore lapidato in caſtris late Livius li. quarto ab urbe condita. De Appio Claudio idem Liv. lib. ſecundo. Et Valerius ca. 3. noni. Dionyſius Halicar. libro nono Antiquitatum Romanarum.

Valerio Nerone, &c.] Fuiſſe lethale odium inter Claudium Neronem & Livium Salinatorem, docent Val. cap. 4. 2. cap. 2. 4. cap. 3. 9. Livius *lib.* 28. Plin.

Digitized by Google

Plin. cap. 50. de viris illustribus, item cæteri. Sed quoniam Claud. Nero, non Valer. Nero dictus est: præterea non legitur inter Claudii Neronis acta, quando & quomodo Fasces fracti fuerint, idcirco Valerone legendum est: ex paucarum enim literarum abiectione facile locus hic potuit depravari. quem locum antea ut pleraque alia, noster Cuspinianus restituit. Hanc Valeronis historiam abunde Livius in secundo.

Ut Coriolanum, &c.] Pro hac historia lege Livium libro 2. Dionysium libro 7. & 8. Plutarchus in Coriolano. Plin. cap. 20. de viris illustrib. Gell. cap. ultimo 17. Val. cap. ultimo primi cap. 3. 4. cap. 2. & 4. quinti. Appianus in principio primi bellorum civilium.

Cum Senatu quoque, &c.] Hanc historiam scribunt Livius in fine quinti, & Plinius cap. 23. de viris illustribus. Trita sunt quæ scribunt Eutropius & Orosius.

Prima Vrbis Discordia.

Caput XXIII.

Prima discordia, &c.] Hæc discordia accidit Olympiade 71. Autor Eusebius libro temporum. De qua Livius libro 2. Dionysius libro 6. Valer. cap. 9. 8. Pli. 18. de viris illustribus. Eutrop. cap. 11. primi. Orosius c. 6. 2. Augustinus c. 18. 2. Civitatis, & capite 17. 3. ejusdem, Appianus libro primo bellorum civilium. Plura Pomponius tit. 2. primi Digestorum. Fenestella titulo 25. Lege Ovidium 3. Fast. ibi, Plebs vetus. Sacer mons trans Anienem fluvium fuit, ultra tertium miliarium. Sacer autem appellatus, quoniam Iovi fuerat consecratus. Autores Festus, Appianus, Aug. cap. 18. 2. Civitatis, ubi plura.

Efficax fabula, &c.] Hanc fabulam narrant Val. cap. 9. octavi. Et Plinius cap. 18. de viris illustrib. Livius ubi supra. Valerius autem Maximus vocat hunc Valerium non Menenium Agrippam. Meminit Gellius ca. 21. 17.

Secunda Vrbis Discordia.

Caput XXIV.

Secundam in urbe, &c.] Id factum est anno 302. ab urbe condita. Lege Solinum cap. secundo. Eusebium libro temporum, Eutropium cap. 12. primi. Dionysius dicit Olympiade 82. hoc est, annis ab urbe condita trecentis expletis. Lege ipsum li. 10. Liv. lib. 3. Val. c. 1. sexti. Plin. c. 21. de viris illustrib. Orosi. c. 13. secundi. Augustinum c. 17. tertii civitatis. De duodecim tabulis, quando & a quo editæ, Dionysius ubi supra. Gel. ca. ultimo 17. & c. 1. 20. Sapissime habetur earum mentio in libris Digestorum signanter titulo. 2. 1. Plura Fenestella titulo 29. Scriptæ autem fuerunt ab Hermodoro

Digitized by Google

modoro Ephesio, cujus statua fuit Romæ in Comitio. Autor Plinius capite quincto tricesimo quarti.

Tertia Vrbis Discordia.

Caput XXV.

Tertiam seditionem, &c.] De hac tertia discordia late Livius libro quarto. Meminit Augustinus cap. 17. tertii Civitatis, ubi plura annotavimus.

Quarta Vrbis Discordia.

Caput XXVI.

Quartam honorum cupido, &c.] Hanc quartam discordiam lege apud Livium versus finem sexti, & Valerium Maximum cap. 6. octavi, Plinium cap. 20. de viris illustribus.

Lictoriæ virgæ sonum, &c.] Mos fuit ut lictor virga fores percuteret, quas Consul fuerat intraturus, quem morem tangit Plinius capite trigesimo septimi.

Sp. Cassium, &c.] Autores historiæ sunt Livius lib. 2. Dionysius lib. 8. Valerius cap. 8. quinti, & cap. 3. sexti. Romæ simulachrum ex ære factum Cereris ex peculio Sp. Cassii, quem regnum affectantem pater ipsius interemerat, Plin. cap. 4. trigesimi quarti.

Alteram plebeio, &c.] Sic hunc locum corrigimus. Alteram Plebejo Stoloni, qui quodam tempore, quod uxor eius lictoriæ virgæ, &c. Ex vetusto codice.

Quum ut in magno, &c.] Legendum est, quum iam in magno.

Nunc pudicitiam, &c.] Hoc dicit propter virgines Vestales. Per id enim tempus Romæ Vestalis virgo Sunia in stupro deprehensa, viva defossa est. Item una virgo Romæ in corruptione deprehensa percutitur. Rursus Romæ virgines Vestales ob stupri reatum in terra obrutæ. Autor Eusebius in temporibus. Potest quoque de Virginia intelligi, ut capite 24. habet Flor.

Sp. Cassium agraria lege, *Melium largitione regiæ dominationis suspectum*, &c.] Sic enim locum primi correximus, quum antea legeretur. Cassium agraria lege suspectum regiæ dominationis, &c.

Tum natalium dignitatem, &c.] Id ait, quoniam diu Romani restiterunt ne plebeii cum patritiis matrimonio aut magistratibus jungerentur, ut hoc capite & præcedenti Florus ait.

Manlium vire Capit. vin. &c] Hanc historiam lege apud Livium libro sexto. Valerium capite 3. sexti, Plinium cap 24. de viris illustribus. Plinium cap. 28. septimi naturalis historiæ, Florum cap. 13. supra. Virg. in 8. In summo custos Tarpejæ Manlius arcis Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat, Romuleoque recens horrebat regia culmo. Lege quos citavimus cap. 13. supra.

Digitized by Google

Ab illa arce, &c.] Damnati enim de Tarpejo monte præcipitabantur. Acron. 6. 1. Serm. Horatii.

Fretum illud adolescentiæ, &c.] Adolescentes concito mari comparat, quorum, ut ait Lactantius, quum sit ætas lubrica, frenari ac regi debet. Tempus enim a Bruto Collatinoque Consulibus in Appium Claud. Quintum Fulvium Consules viris armisque incitatissimum in Libri exordio adolescentiæ comparavit.

LIB. II.

CAPUT I.

Domita subactaque Italia, &c.] Pro notitia hujus primi capitis, quod locum procemii obtinet, lege Appianum in Operis prologo, qui post enumerationem terrarum quas Romani subegerunt, sic inquit: Harum tantarum enumeratarumque nationum, quum tanta sit magnitudo, Italiam tamen magno labore, ac vix quingentis annis stabilem sibi reddidere, &c. Ibidem præterea enumerat fere nationes omnes quæ Ro. paruerunt. Lege Dionysium in principio 1. Antiquitatum Rom.

Dare Italiæ caput, &c.] Syl. in principio, Quæsitumque diu, qua tandem poneret arce Terrarum fortuna caput. Quæ hic secundus Liber contineat docet Florus cap. 10. nono hujus secundi.

Primum Bellum Punicum.

CAPUT II.

Igitur victor Italiæ populus, &c.] Punicum bellum primum inceptum est anno tertio 128. Olympiadis, Dionys. lib. 1. Manifestus error in omnibus Solini codicibus impressis hucusque, quibus asseritur Punicum bellum primum fuisse anno 380. ab urbe condita. Melius Gel. ca. vltimo 17. Anno, inquit, post Romam conditam 400. ferme & 90. Consulibus Appio Claudio, cui cognomentum Caudex, Appii illius Cæci fratre, & Marc. Fulvio Flacco bellum adversus Pœnos primum cœptum. Orosius cap. 8. 4. Livius in principio 31. dicit primum bellum incœptum anno 478. ab Vrbe condita. Plin. cap. 3. 33. Argentum, inquit, signatum est anno urbis 585. Q. Fabio Consule quinque annis ante primum bellum Punicum. De hoc primo bello Punico Florus lib. 16. & sequentibus abbrev. Eutr. cap. 3. 2. Oros. cap. 8. 4. Augu. 18. 3. Civit. Plin. cap. 37. & sequentibus. App. in Libyco. Meminit sæpe Var. ut suis locis citabitur.

Imperium orbis agitabat, &c.] Claudianus in bello Getico, Commovit atrox

atrox iniuria patres, Vrgerent majora licet, graviterque tulere, Vrbibus inter se claris de culmine rerum Congressis, aliquid gentes audere minores. Secundum bellum Punicum eleganter & compendiose canit Syl. l. 6. per totum.

Fabulosis monstris.] Scyllam & Charibdim intelligit. Lege Vir. 3. Aen ibi, Tum procul. Plura Ovid. 13. Meta. ibi, Scylla latus dextrum, &c. Sumpta ex 12. Odyss. Ho. Luc. in primo, ibi, Ignis in hesperium.

Aestuque violentum.] Ruffus Avienus de Sicilia, Hic iter infidum pelagi, miserandaque fata Involuere salo, fluctuque hausere voraci Saepe rates: surgunt angustae marmore fauces, Arctaque praecipitant properum confinia pontem. Sic enim locus legendus videtur. Lege Diod. in 6. Iustinum in 4. Syl. lib. 14.

Duillius Imperator, &c.] Plura de Duillio isto Vale. cap. 6. 3. 7. Frontinus cap. 5. 1. & cap. 3. 2. Ei Romani in signum virtutis statuam posuerunt. Plin. capit. 5. 13. De classe sexaginta diebus parata. Plin. cap. 40. 16. Syl. circa finem 6. ibi, Iustum Sarrana. Plin. cap. 18. de viris illustribus.

Calatino dicta, &c.] Quod hic de Calatino, & Calphurnio, scribunt praeter supradictos Plin. cap. 39. de viris illustribus. Front. cap. 5. 1. Cujus, inquit, varie tradidere nomen: alii Laberium, nonnulli Quintum: plurimi Calphurnium Flammam vocitatum scripserunt.

Leonidae famam adaquavit, &c.] Quae de Leonida hic habentur, scribunt Iust. in 2. Val. cap. 2. 3. Herodotus autem varie hanc narrat historiam: Dicit enim duos vel tres superfuisse. Ibidem etiam recitat epigrammata horum interfectorum: lege si vis. Item Front. c. 2. secundi.

Licet nihil scripserit sanguine, &c.] Non legi, quantum memoriae nunc occurrit, Leonidam, vel aliquem ex ejus sociis sanguine aliquid scripsisse. Idcirco intelligendum videtur de Othryade Lacedaemonio. De qua re in annotationibus Solinianis ex Valerio Max. Plut. Ovid. complusula congessimus.

M. Attilio duce, &c.] Vltra ea quae supradicti scribunt, lege Gellium c. 3. & 4. 6. Plin. c. 40. de viris illust. Augu. cap. 16. 1. Civit. Vale. c. 1. primi. ca. 4. secundi, c. 2. 9. Frontinum c. 3. 2. Lege Syllium libro 6. & Horatium 5. 4. Carminum. Ciceronem 1. Officiorum, & in Paradoxis. Plura congessimus cap. 15. & 24. primi civitatis.

Circiter centum elephantorum captivitas, &c.] Praeter citatos de hac re lege Frontinum c. 7. 1. Pli. c. 7. 1. Pli. c. 43. 7. naturalis historiae. De numero horum caprorum elephantorum varie scribunt Plin. c. 6. 8. dicit fuisse 142. Oros. c. 8. 4. 104. Hoc autem factum est anno 592. ab urbe condita. Plin. ca. 6. octavi. De Claud. pullos submergente praeter alios Valerius c. de ominibus. Cic. secundo de natura deorum. Flor. 19. abbre. Front. c. 53. secundi.

Bel-

Digitized by Google

Bellum Ligusticum.

Caput III.

Peracto primo Punico bello, &c.] Quæ hoc capite continentur scribunt Florus 20. abbrev. Eutropius ca. 1. tertii. Orosius cap. 11. & 12. quarti. Augustinus cap. 9. tertii Civit. Quoties Iani porta clausa fuerit dixi cap. 2. 1. De his populis præter alios Plin. cap. 4. 5. cap. 17. 4. naturalis historiæ.

Bellum Gallicum.

Caput IV.

Gallis Insubribus, &c.] De hoc bello scribunt Florus 19. abbrev. Eutro. cap. 1. 3. Oros. cap. 13. 4. Plin. cap. 45. de viris illustribus. Euseb. lib. temp. Plura Plut. in Marcello. Sane in hoc bello P. Ro. sociorum Latinique nominis trecenta milia armatorum habuisse dicitur. Florus ubi supra. Plin. cap. 20. 3. dicit equitum 80. milia, peditum 70. milia, sine externis ullis auxiliis, atque etiam tunc sine Transpadanis.

Quippe sicut, &c.] Videtur legendum, sed experimento deprehensum est, quod sicut primus, &c. Livius in decimo, Eutropius in tertio.

Alpina corpora, &c.] Docent Philosophi, locatum consequi locorum conditiones. Hinc ait Porph. locum esse generationis principium, quemadmodum & patrem. Lege Cicero. lib. de fato. Plin. cap. 58. 8. Serv. 6. Aenei. Principio cœlum. Propert. 3. 2. Virg. 1. Georg. India; &c.

Hi sæpe & alias, &c.] Hanc historiam præter supradictos ponit Val. c. 2. 3. Plin. c. 20. 3. naturalis historiæ. Plutar. vocat regem hunc Briomarum. Rursus Eutropius dicit vocatum Ariobistonem. Nam Ariostonicus alter fuit, de quo c. 20. hujus secundi.

Marti suo.] Docet Cæsar 6. Comment. de bello Gallico circa medium, Gallos quinque potissimum deos coluisse, Mercurium, Apollinem, Iovem, Martem, atque Minervam. Causam lege ibi.

Opima spolia.] De spoliis opimis Vale. tit. 2. 3. cap. 1. 4. 5. Propertius 13. 4. Varro & Plutar. docet unde dicta sint.

Tertia post Romulum, &c.] De qua re sic Vir. 6. Aen. Aspice ut insignis spoliis Marcellus opimis Ingreditur, victorque viros supereminet omnes. Hic rem Romanam magno turbante tumultu Sistet, eques sternet Pœnos, Gallumque rebellem, Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino. Lege Servium annotantem plura de opimis spoliis.

Digitized by Google

Bellum Illyricum.

Caput V.

Illyrii, seu Liburni, &c.] De hoc bello, & aliis cum Illyriis gestis, extat liber Appiani, qui Illyrius inscribitur. Lege Florum 20. abbre. Eutro. c. 1. 3. Oros. c. 13. 4.

Legatos quippe nostros, &c.] Legati hi fuerunt P. Iunius & T. Coruncanius, quibus in rostris tripedaneæ statuæ a R. P. positæ sunt. Hujus generis statuæ tribui solebant injuria cæsis. Autor. Plin. c. 6. 34 ubi Teucæ hujus reginæ mentionem facit. De Illyriis & Liburnis idem Plin. cap. 21. & 22. libri 3. Plura Appianus ubi supra. Videtur istud bellum præcessisse bellum antedictum. Lege quos citavimus.

Bellum Punic. Secund.

Caput VI.

Post primum Punicum bellum, &c.] Bellum secundum Punicum scribunt fere omnes tam Latini quam Græci. Liv. tota Decade 3. Plutarch. in vita Fabii Max. Scipionis superioris, M. Marcelli. Annib. Q. Flaminii. Appianus in Libyco. Pli.. cap. 42. 43. 45. 48. 49. 50. de viris illustr. Polyb. per totum. Eutrop. in 3. Oros. in 5. Augu. sæpe. maxime tamen ca. 19. 3. Civit. Syl. Italicus per totum. Quæ sparsim scribuntur ab aliis, suis locis adducentur. Inceptum autem est bellum Punicum secundum anno 535. Solin. cap. 2. idem fere sentit Oros. c. 14. lib. 4. Videntur plures quam quatuor anni intercepti inter finem primi belli Punici, & initium secundi. Primum enim bellum Punicum per 22. annos contractum est. Eutr. c. 1. 3. Quid si legas, vix 24. annorum requies. Hæc tantum monendi causa dicta velim. Hoc bellum ut hic dicitur, 18. annos habet. Infra autem cap. 5. 3. & Oros. c. 20. dicit 17. Eutropius in fine tertii ait hoc bellum finem accepisse post annum 19. quam ceperat. Appianus dicit 16. fere.

Similior victo fit populus qui vicit, &c.] Idem dicit Livius in principio 3. Deca. Syl. in primo, Propiusque, inquit, fuere periclo, Quis superare datum. Aug. cap. 19. 3. Civitat.

At pudebat nobilem populum, &c.] Carthaginenses victi primo Punico bello, pacem a Rom. orant, quam conditionibus antepositis ilico consequuntur. Conditiones autem erant ut Sicilia Sardiniaque decederent: impensis bellicis puri argenti tria millia talentorum Euboicorum æquis pensionibus per annos viginti penderent. Lege Eutropium, Orosium, Polybium, Syl. lib. 1. Gens rediviva. Ibidem quoque narrat iuramentum Annibalis contra Romanos. Idem Vir. in 10. ibi, Quum fera Carthago.

Saguntus

Digitized by Google

Sagunto deleta, &c.] Saguntinorum cladem præter citatos scribit August. cap. 20. 3. Civit. Valerius ca. 6. 6. Signanter Syl. 1. inibi, Prima Saguntinas, &c.

More legitimo, &c.] Hunc morem lege apud Fenestellam tit. decimo, ubi plures citavimus.

Dux legationis Romanorum, &c.] Hi autem legati fuerunt Fabius Pamphilus, & Valerius Publicola. Lege Livium 21. ab urbe condita. Eleganter hanc legationem canit Syl. in principio secundi.

Medias perfregit alpes, &c.] Transitum Annibalis per Alpes describit Syl. li. 3. ibi, Sed jam præteritos. Virg. 10. Aeneid. Quum fera Carthago Romanis arcibus olim Exitium magnum, atque alpes immittet apertas. Iuven. Sat. 10. de Anni. Pyrenæum Transilit, opposuit natura alpemque nivemque. Diduxit scopulos, & montem rupit aceto. Lege Augustin. Servium, Livium, Plutarchum in vita Annibalis. *Fabulosæ altitudinis*, &c.] Fingunt Græci Herculem primum transisse alpes, eundemque frangentem montis saxa, superos aspexisse. Syl. in 3. Primus inexpertas adiit Tyrinthius arces, Scindentem nubes, frangentemque ardua montis Spectarunt Superi, &c. Meminit Plinius cap. 17. tertii.

Inter Padum & Ticinum, &c.] Hanc historiam recitat Livius lib. 21. Val. c. 4. 5. Plutar. in vita Scipionis & Annibalis. Plin. ca. 49. de viris illustri. Syl. lib. 4. ibi, Cœruleas Ticinus aquas, &c. Item cæteri. De clade apud Trebiam accepta Livi. in 1. 3. Decad. Syl. lib. 4. ibi, At Consul tristis, &c. Lege citatos antea.

Trasimenus lacus, &c.] Historiam scribunt Livi. 22. ab urbe cond. Late Syl. lib. 5. per totum. Plin. c. 42. de viris illustrib. Lege præter citatos supra Ciceronem 1. divin. Val. lib. 1. c. de prodigiis. Advertendum quidem, Flaminium ab Annibale superatum IX. Cal. Iulias, Ovid. 6. Fast. ibi, Non ego te. Plin. c. 85. hujus terræ motus meminit. Creberrimus, inquit, Punico bello, intra eundem annum septies atque quinquagies nunciatus Romam. Quo quidem anno ad Trasimenum lacum dimicantes, maximum motum neque Pœni senserunt, neque Romani.

Quartum, id est pene ultimum, &c.] Cannensem cladem scribunt late, Liu. lib. 22. Polyb. lib. 5. Val. ca. 1. & 2. c. 2. 2. cap. 4. & 6. 7. Plin. cap. 18. 15. Lact. c. 17. 2. Plura Augusti, ubi supra. Syl. in toto nono. Front. c. 2. Lege alios quos citavimus. De numero Ro. interfectorum non omnes idem sentiunt. Lege Plutarc. in Annibale. Dissentiunt quoque in annulorum mensura Val. c. 2. 7. Au. c. 19. tertii Ciu. Plin. c. 12. 33. asserunt fuisse modios tres. Liu. in principio 23. ab urbe condita recenset varias scriptorum sententias. *Parce ferro*, &c.] Idem recitat August. ubi supra.

In terrorem Virgilii, &c.] Quid Virgilii verbo intelligat Florus, nondum capio. Nec enim viri ac loci, sive fluvii nomen esse comperi. Quid si legas, in terrorem Varronis, vel in terrorem Seruilii, cui teste Livio, media pugna tuenda data est. meminit & Plutarchus. Vel, in terrorem vergentis, id est, sese inclinantis exercitus.

Ad-

Digitized by Google

Adherbalem.] Legendum est ex Livio ubi supra, Maharbalem. *Arma non erant. Deerat iuventus, &c.*] Præter supradictos lege Val. c. 6. 5. & c. 6. 7. Plura Aug. c. 19. 3. Civita. Seru. autem, 9. Aeneid. super illud, Sustulerat, &c. ponit legem qua servi a militia arcebahtur, asserens tantum post bellum Cannense hoc Ro. permissum. Mulieres castra sequi, ingenti turpitudini apud maiores fuit. Vnde bellaturus Pompeius, in Lesbo reliquit uxorem. Lege Seru. 8. Aeneid. Quæ hic dicuntur de servis & templorum armis, signanter Syl. lib. 10. ibi, At patres, &c. De triplici militum genere Ser. 8. Aeneid.

Imperii spes Fabius fuit, &c.] Quæ hic de Fabio Max. dicuntur lege copiose apud Plutarc. in vita ejus. Item Liv. lib. 22. ab urbe condita.

Cognomen novum, &c.] Fabio huic quatuor fuere cognomina, Maximus, Ovicula, Verrucosus, Cunctator. Plinius c. 43. de viris illust. Plut. ubi supra. Syl. li. 6. Pulcherrima quorum cunctando Fabius superavit facta, &c. Idem in 7. Aenei. Ac ni sacra seni vis, impressumque fuisset Sistere cunctando fortunam adversa foventem, Vltima Dardanii transisset nominis ætas. Virg. 6. Aen. Vnus qui nobis cunctando restituis rem. Quod ex Ennio sumptum est. Originem Fabiorum scribit idem Syllius circa finem 6. ibi, Stirpe genus. Ovidius 1. Fast. Nec gradus est. Gesta hæc a Fabio lege apud Livium lib. 23. & Syl. lib. 12.

Inde Claudio Marcello, &c.] Quæ hic scribit Florus habentur a Livio circa finem: & deinceps Decadis 3. & a Syll. lib. 12. ibi, Campo nola, &c. & infra, ille dies. Et longe post, At Libyæ ductor. De hoc Marcello, Valer. c. 1. 1. ca. 3. 2. ca. 2. 3. ca. 1. 4. c. 1. 3. c. 7. 8. Plura. Plutar. in vita ejus. Plin. ca. 25. 7. dicit hunc Marcellum undequadragies dimicasse, quem solus Iulius Cæsar transgressus est. Lege quæ annotavimus c. 4. hujus 2. Gesta à Sempronio Graccho lege ex 24. & 25. T. Liu. & 12. Syl. Nuncius interea. Nam huc usque, &c. Habentur hæc abunde c. 6. 7. Val. Max. Aug. c. 19. 3. Civit. Liu. in 24. O horribilem in tot, &c. Claud. Hæc obvia votis Innumeras uno gereret quum tempore pugnas, Hispanas caperet, Siculas submitteret urbes, Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum. Nunquam succubuit damnis, & territa nullo Vulnere, post Cannas major Trebiamque fremebat, & cum iam tremerent flammæ, murumque teneret Hostis, in extremos aciem mittebat Hiberos.

Sicilia mandata Mar. &c.] Scribuntur hæc a Liv. 25. ab urbe condita. Syl. li. 14. in principio. De Archimede notavi plura in Claud. super illud, Iupiter in parvo, ex Valer. Max. Plin. Lactant. Ovid. Syl. Strab. Fabulam Arethusæ li. 5. Met. Ovid. Item Ecloga 10. Vir. & 3. Aen. ibi, Ortygiam Alphæum. Plin. c. 106. 2. c. 5. 31. De Syracusis plura notavi c. 6. 1. Ci. Au.

Sardiniam Gracchus arripuit, &c.] Historiam hanc copiose scribit Liv. li. 23. Item Syl. lib. 12. ibi, Interea assuetis. De hac insula Plin. c. 7. 3. Soli. c. 10. Diodorus lib. 6. Plura in annnotationibus nostris Claudiani in Gild. Humanæ speciem plantæ.

In Hispaniam missi Cn. & P. Scipiones, &c.] Historiam hanc scribunt Liv.

Digitized by Google

Liv. 23. 24. 25. ab urbe cond. Appianus in Lybico. Plut. in vita Scip. Val. c. de ominib. c. 2. 2. c. 7. 3. Syl. lib. 13. Interea geminos terra crudelis Hibera Fortuna abstulerat, permiscens tristia lætis, Scipiadas magnumque decus, magnumque dolorem. Et li. 15. Attritis reb. geminus iacet hoste superbo Scipio, belligeri Mavortia pectora ferens, Serv. 6. Aen. ibi, Quis Gracchi genus? &c. Eutrop. c. 5. Oro. c. 17. 4.

Igitur in ultionem patris & patrui missus Scipio, &c.] Quæ hic scribuntur de Scipione superiori, habentur late a Liv. li. 26. & sequentibus. Plut. in vita Scipionis. Val. c. 7. 3. c. 3. 4. c. 8. 9. & sæpe alibi. Plura Gel. c. 8. 6. c. 18. 19. & 24. 4. ca. 4. 3. ca. 20. 2. c. 8. 12. c. 8. 16. Plin. c. 9. 24. 27. 30. 7. c. 45. 16. c. 3. 21. c. 6. 22. ca. 6. 34. Aug. cap. 21. 3. Civit. Syl. 13. usque ad finem operis. Virg. 6. Aen. Quis Gracchi genus? &c. Claud. Ergo seu patriis primævus manibus ultor Subderet Hispan. regi oceanum.

Annibalis eruditricem, &c] Hoc dicit, quoniam Hamilcar Annibalis pater in Hispaniam cum imperio missus, Annibalem puerum secum duxisse traditur. Lege Plutarch. in vita Annib.

Qui captivos pueros puellasque, &c.] Historiam hanc habet Liv. circa medium 27. ab urbe condit. Eutrop. c. 5. 3. Plut. in vita ejus. Plin. ca. 49. de viris illust. Notanter Syl. lib. 15. ibi, Quin etiam accitus, &c. Simile fecisse Scipio. Aemilium c. 5. Val. asserit.

Pleraque ad hostem defecerant, &c] Populos, qui post Cannensem cladem a Romanis ad Annibalem defecerunt, scribit Livius in fine 2. 3. Decad. & Syl. lib. 11. per totum.

Tarentinus ad nos redierat, &c.] Tarentum post Cannensem cladem a Ro. ad Annibalem defecerat. Syl. in 11. Inde Phalanthæo levitas animosa Tarentum Ausonium laxare iugum. Qua arte Tarentum a Fabio recuperatum, docet Liv. 27. Au. c. 6. 1. Civi. Eleganter Syl. lib. 15. ibi, Tunc & Tydarii, &c.

Parte exercitus &c.] Pro hac historia lege Liv. li. 26. Plin. c. 18. 15. Syl. lib. 12. ibi, Hic ut signa ferox, &c. per totum. Lege quos supra citavimus.

Tanta vis imbrium, &c.] Historiam hanc lege apud Liu. lib. 26. Et apud Syl. lib. 12. ibi, Iuppiter Aethiopum, &c. per totum Claud. in bello Getico, ibi, Hanc urbem insano, &c. Aug. c. 20. 3. Civ.

Venalis Roma fuit, &c.] Idem scribunt Plutarchus in vita Annibalis, & Frontinus cap. 18. 3.

Hasdrubal frater Annibalis, &c] Autores historiæ sunt Liv. 27. Val. c. 7. 3. c. 4. 7. Fron. c. 1. 2. Eleganter Syl. lib. 15. ibi, Terrore interea, &c. per totum. Idem scribunt citati superius in hoc cap.

Fratris caput, &c.] Syl. li. 15. Tum Nero procera sublimia cuspide portans Ora ducis cæsi. Cannas pensavimus, inquit Annibal, & Trebiam, & Trasimeni littora tecum Fraterno capite: I. nunc duplica perfida bella, Et geminas arcesse acies. Hæc præmia restant, &c. Lege præcitatos. Transitum Scipionis in Aphricam lege apud Liv. li. 29. Sy. lib. 7. ibi, Ipse alacer; &c.

Digitized by Google

Quas ille Asdrubalis copias, quos &c.] Copiose hanc historiam scrib. Liv. li. 29. & 30. Lege Front. cap. 2. 1. Syl. lib. 17. ibi, Spesque Syphax. Advertendum sane, Syphacem a Scipione victum 8. Cal. Iulii. Ovid. 6. Fast. ibi, Postera lux, &c.

Non fuit maior sub imperio Rom. dies, &c.] Quæ hic scribuntur lege apud Liv. lib. 30. Plута. in Scipio. Syl. li. 17. ibi, Dum stetit, &c. Pugnam autem hanc, & acierum instructionem præter Liv. Plut. Syl. leg. Front. c. 3. 2. Latius Appian. in lib. qui Libycus inscribitur. Triumphum Scipio. de Aphris victis eleganter canit Syl. in fine 17. De tempore quo Punicum bellum secundum gestum est, præter citatos in principio hujus capit. lege Liv. in prooemio 4. Deca.

Bellum Macedonic. Pri.

Caput VII.

Post Carthaginem vinci neminem puduit, &c.] Ea quæ hoc ca. continentur scrib. Li. 31. 32. 33. 34. Val. c. 8. 4. c. 2. 5. Iust. li. 20. & 30. Eut. cap. 14. Oros. c. 20. 4. Plut. in Paulo Aemi. Syl. lib. 15. ibi, Æmathio interea. Gestum autem est bellum hoc anno 551. ab urbe condita, secundum Eutro. cap. 14. Orosius dicit anno 556.

Implorantibus Athenis auxilium, &c.] Tempore initiorum duo iuvenes Acarnanes, qui non initiati erant, Athenas venerunt, & in sacrarium Cereris cum aliis pluribus suis intraverunt: ob hoc tanquam nefas summum commisissent, ab Atheniensibus cæsi sunt. Acarnanes mortibus suorum commoti ad vindicandum illos auxilium a Philippo petierunt. *Ille autem ultra jus victoriæ, in templa, aras, &c.*] Autor Liv. lib. 31. Faciunt hæc quæ scribit Aug. cap. 4. 5. 6. primi Civitatis.

Primo igitur Levino consule, &c.] Legendum videtur, Levino prætore, ex 31. Livii. 29. Iustini. Item ex Floro hoc ipso cap. Manifestam, inquit, victoriam nata in prætoria puppe laurus pollicebatur. Hujus hist. me. Claud. in bello Getico, ibi, Nec pœnam. De lauro in puppe nata lege Liv. lib. 32.

Rhodii nauticus populus, &c.] Scribit Euse. li. temporum. Rhodios sæpe maris imperium obtinuisse. Faciunt ad hoc quæ scribit Gellius cap. 3. 7.

Sub Nabide suo, &c.] Historiam hanc habes ex 34. T. Livii. Iust. lib. 31. Eutrop. & Oros. ubi supra.

Quæ gaudia, &c.] Præter ea quæ de hac historia scribit Livius, & citati hoc ipso cap. lege Val. Max. c. 8. 4. *Nemeæ in Theatro.*] De quatuor ludorum generibus apud Græcos Lactan. 6. Theb. in principio. Item c. 20. 6. divinarum institutionum, & c. 4. Epitomes: sic enim liber ille inscribi debet, non Nephithomon, ut passim legitur. Plura de ludis scribit Aug. ca. 32. 1. Civ. Item lib. 2. & 4. ibidem. Lege cap. 1. secundi.

I Bel-

Bellum Syriacum Regis Antiochi.

Caput VIII.

Macedoniam statim & regem Philippum, &c.] Bellum adversum Antiochum regem a Ro. gestum scribunt Liv. 3. 4. & sequentibus. Iust. li. 31. Appianus in Syrio. Va. c. 1. &. 5. 2. c. 3. 3. c. 1. 4. c. 3. 7. c. 1. 8. c. 1. 9. Gel. c. 5. 5. Plutar. in vita Scipionis. Plin. c. 34. de viris illustribus. Eutrop. c. 1. 4. Oros. c. 20. 4. Frontinus c. 7. 4. Quo gestum sit tempore, docet Euseb. lib. temp.

Quippe quum Persas, Xerxem, atque Darium cogitarent, &c.] Quæ hic dicuntur lege apud Hero. li. 3. & 7. Item Iustinum lib. 2. & 3.

Perfossi inuii montes, &c.] Autores historiæ sunt Solin. c. 14. Mela li. 2. Hero. lib. 7. Cicer. 2. de finibus bonorum & malorum. Virg. in Culice, ibi, non perfossus Athos. Iuv. Sat x. velificatus Athos. Xerxes ante experimentum belli fiducia virium veluti naturæ ipsius dominus, & montes in planum deducebat, & convexa vallium æquabat, & quædam maria pontibus sternebat, quædam ad navigationem commoda per compendium ducebat. Autor Iust. lib. 3. Plura Hero. ubi supra.

Quum humore continuo Cumanus Apollo sudaret, &c.] Quod hic scribit Florus, lege apud divum Aug. c. 11. 3. Civit. Cicero autem 2. divinationis docet hujus rei causam: sed locum assignasse sufficiat. Advertendum simile prodigium sæpe visum, ut ibidem Aug. annot. Leg. Eus. 5. præparationis Euang.

Impulere regem in id bellum, &c.] Offensi Ætholi quia non ex arbitrio eorum Macedonia quoque adempta regi, ut data sibi in præmium belli esset, legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulationis magnitudine in R. bella spe societatis universæ Græciæ impellerent. Iust. lib. 30. Latius Liv. li. 35. Societatem Annib. cum Antio. habet Iust. li. 31. Liv. 35. ab urbe condita. Facetissima cavillatio Annibalis apud regem Antio. scribitur c 5. 5. Noctium Atticarum Gellii. *Duce Æmylio Regillo.*] Hunc Lucium Nevium vocat Iustinus. Appi. Livium nominatum dicit, cui postea, inquit, L. Æmyl. Regulus ad curam classis successerat. Hæc non nisi monendi causa.

Hic ille positis, &c.] Antiochus quum pervenisset in Chalcidem, formosæ virgunculæ amore correptus quinquagesimum iam excedens annum, quum tanta mole bellorum premeretur, nuptias tamen solenni more celebravit, &c. Le. App. ubi sup.

Attilio Glabrione, &c.] Hunc Appianus Acinium Manium vocari dicit, Oros. Acilium. Thermopylæ unde dictæ, & earum descriptio præter Pli. & Strab. habetur ab App. ibidem. Plura Hero. in 7. De trecentis Laconib. apud Thermopylas interfectis, notavi supra pauca c. 2. hujus 2. Item App. vocat præfectum classis Antio. Polyxenem. De Syria, ubi hoc bellum

Digitized by Google

gestum est, & a qua nomen habet, scribunt Mela in 1. Strabo lib. 16. Plin. cap. 12. & circa, li. 5. Solinus cap. 58.

Bellum Ætholicum.

Caput IX.

Syriaco bello successit, &c.] Hoc bellum describunt Livius lib. 38. ab urbe condita. Iust. lib. 32. Appian. in eo libro qui Syrius inscribitur: Eutrop. c. 1. 4. Plin. ca. 52. de viris illustrib. De Ætholia Plin. *in principio* 4. Strabo lib. 10. Legendum autem est Cephaleniam. Victoriam Fulvii de Ætholis Quintus Ennius amicus ejus insigni laude celebravit. Livi. ubi supra scribit preces Atheniensium atque Rhodiorum pro Ætholis, &c. Causa hujus belli parum ante ex Iustini sententia posita est.

Bellum Histricum.

Caput X.

Histri sequuntur Ætholos, &c.] Inter gesta hujus Manlii non lego ipsum cum Histris populis gessisse bellum Liv. li. 38. scribens quos populos Romanis subegerit, nullam de Histris mentionem facit. Plin. præterea c. 19. 3. dicit Histros subactos non a Cn. Manlio, sed Tuditano quodam. Sex Ruffus dicit Histros domitos, sed a quo, & quando, non meminit. Appia. dicit Histros Illyriorum nationem esse. Sed videtur intelligendum de Histris Thraciæ populis, ab Histro vel Histria oppido dictis. In oratione enim, qua se Manlius contra legatos defendit se bis præliatum in Thracia. Lege Liv. lib. 38. Et hæc quoque investigandi causa dicta sint. De Histrio oppido Pli. ca. 11. 4. & Strabo li. 7. Lege Hermolaum.

Bellum Gallogræcum.

Caput XI.

Gallogræciam quoque, &c.] Hoc bellum late scribit Liv. li. 38. ab urbe condita. Meminit Iusti. li. 32. Plin. cap. 55. de viris illu. Val. Max. cap. 1. 6 Oros. cap. 20. 4. Pauca Eus. lib. temp. De origine, moribus, &c. Gallogræcorum lege Dionys. in 6. Faciunt huc quæ scribit Iust. lib. 24. & 25. Val. ca. 2. 1. De generatione feminum mutato solo notanter Liv. longe post principium 38. Lege dictum Cyri Persarum regis apud Plutarc. in Apophtheg. lege quæ posui cap. 4. hujus 2. Fuerunt autem in hoc bello centum millia Gallogræcorum quorum 40. capta vel cæsa sunt. Livius ubi supra.

Digitized by Google

Orgiagontis regis uxor, &c.] Hujus historiæ meminerunt Val. cap. 1. 6. Plin. ca. 55. de viris illustr. Liv. autem dicit non evasisse custodiam, sed a Centurione eductam ad duos necessarios mulieris, qui ad flumen eam spectabant: a quibus duobus Centurio aurum pensans interfectus est. Idem sentit Val. Hæc ex Galatia oriunda fuit, Chiomara nomine. Autor Plutarchus.

Negatus est victori triumphus, &c.] Discrepat a Livio Florus. asserente Cn. Manlium de Gallogræcis triumphasse. Major pars, inquit, decem legatorum, qui cum Manlio fuerant: & ante alios L. Furius Purpureo, & L. Æmyl. Paulus contradixerunt, ne Manlio triumphus decerneretur: post tamen longam disceptationem dicit Manlio triumphum decretum, cognatorum ac amicorum Manlii opibus. De his populis Liuius, Iustinus, ubi supra. Plin. ca. 32. 5. Strabo. lib. 12. vocant Tolisthobogos, ubi plura de eorum origine.

Bellum Macedonicum Secundum.

Caput XII.

Quum alia aliæque gentes, &c.] Bellum Macedonicum secundum scribunt passim omnes. Liv. li. 40. & 5. sequentibus. Iust. li. 33. Plut. in Paulo Æmylio. Plin. c. 36. de viris illustribus. Appi. in eo libro, quem Mithridaticum inscripsit. Euseb. li. temp. Val. ca. 1. & 2. 2. c. 3. 4. cap. 1. 5. Eutrop. cap. 1. 4. Oros. cap. 20. 4. Meminit Plinius cap. 3. 33. & Gel. cap. 3. 7.

Recordatio suæ nobilitatis. &c] De vetustate & nobilitate Macedon. Solinus cap. 14. Iustin lib. 7. Euseb. lib. temporum. Dionys. lib. 1. Gentes quæ in hoc bello Persæ adhæserunt, lege apud Oros. ubi supra.

Celebri religione, &c.] Samothraciæ multa vestigia in sacris ad nostram usque ætatem perdurant. Diodorus li. 6. & parum infra multa ad hoc. In Samo, quæ postea Samothracia est dicta, Iuno nata est. Autor Serv. 1. Æneid. In ea præterea adolevit, & Iovi fratri nupta est: idcirco nobilissimum & antiquissimum templum eius est Sami, simulachrum in habitu nubentis figuratum, & sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu celebrantur. Autor Varro. Quod Lactant. ca. 17. 1. & Aug. cap. 7. 6. Civitatis retulerunt.

Vt fortunam cui tantum liceret revererentur, &c.] Fortunam quidam deam quandam esse opinati sunt, res humanas veris casibus illudentem. Secundum quorum sententiam est illud Ausonii. Fortuna nunquam sistit in eodem statu, Semper movetur, variat, & mutat vices. Et summa in altum vertit, ac versa erigit. Quem errorem reprobat Lactan. c. 28. & 29. 3. divinarum institutionum. Multa Aug. c. 16. 4. Civi. Lege quæ scribit Plin. ca. 7. 2. Triumphi formam ultra ea quæ dixit c. 18. primi hujus, lege apud Appianum inter principium & medium libri ejus, qui Libycus inscribitur.

Duo iuvenes candidis equis, &c.] Hujus dæmoniaci miraculi meminerunt

Digitized by Google

Lactant. cap. 8. 2. Vale. c. ultimo 1. Plutar. in Paulo Æmylio. Lege quæ notavi cap. 11. primi huius.

Bellum Illyricum.

Caput XIII.

Macedonici belli contagio traxit Illyricos, &c.] Bellum hoc & ejus causam describit Appianus in eo libro qui Illyrius inscribitur. Item Plut. in Paulo Æmylio. Meminit Florus 43. & 44. Abbreu. Eutrop. c. 14. Val. Max. cap. 3. 3. Advertendum Gentium Illyricorum regem, contra quem hoc bellum gestum est, Gentianam herbam invenisse, & ex suo nomine Gentianam dixit. Autor Plinius cap. 7. 25.

Loscordam caput gentis, &c.] Non legi apud aliquem geographum Loscordam Illyrici civitatem. Ideo videtur legendum Scardonem, ex septimo Strabonis, Scardo, inquit, oppidum Liburnicum. Plinius capite 21. tertii. Conventum Scardonitarum petunt Iapyges. Et Liburnorum civitates XIIII. Legendum etiam Anitio, non Antio, ex Eutropio, Appiano, cæteris.

Bellum Macedonicum Tertium.

Caput XIV.

Quodam fato, &c.] De hoc bello scribunt Florus 50. Abbre. Val. c. 5. 7. Plinius minor c. 61. Eutro. c. 3. 4. Euseb. li. temp. Dictus autem Pseudophilippus, quoniam esset ex concubina natus, se filium Philippi regis asseverabat: vel ut Livius, Persei, ψεύδω enim Græce fallo significat. Eutrop. ca. 4. nominat prætorem non Iuventium, sed Publium Panetium.

Bellum Punicum Tertium.

Caput XV.

Tertium cum Aphrica bellum, &c.] Bellum Punicum tertium scribunt fere omnes. Florus 48. & 49. Abbrev. Appianus in Libyco. Aug. ca. 21. & circa 3. Civita. Plut. in vita Catonis Censorii. Eutrop. c. 3. 4. Oros. c. 22. &. 23. 4. Plin. c. 58. de viris illust. Orig. situm, &c. Cart. habet Iust. li. 18. & 19. Non præteribo, quod de delenda Carthagine Plin. c. 17. 15. nat. hist. retulit. Cato, inquit, perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotumque securitatis anxius, quum clamaret in omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiam præcocem ex ea provincia ficum ostendensque patribus: Interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum

tum putatis ex arbore? Quum inter omnes recens esse constaret: Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptum Carthagine. Tam prope a muris habemus hostem. Statimque sumptum est Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est. Lege cætera quæ sequuntur. Idem scribit Plut. in Catone, & Aug. c. 31. Civi. Inceptum est autem hoc bellum altero & 600. anno, ab urbe condita. Liv. lib. 49.

Sed hujus causa belli, quod contra fœderis legem, &c.] Post finem secundi belli Punici, Carthaginensibus conditionibus pax a Ro. data est. Si naves inquit Scipio, longas, decem duntaxat exceptis, Romanis tradideritis: Si elephantos, quos habetis, & cætera prius per vos sublata restitueritis: vel eorum precium me judice, si qua incerta erunt, persolvetis: Captivos præterea omnes ac transfugas, & quoscunque ex Italia eduxit Annibal, tradideritis: & hæc intra 30. diem, ex quo pacem susceperitis, a vobis fieri poscimus. Intra sexagesimam vero Magonem Liguria excedere: præsidiaque vestra ex urbib. educere, quæ extra Phœnicum fossam sitæ sunt. Obsides universos reddere. Quotannis etiam talenta Euboica ducenta in annos 50. Romanis pendere. Neque Celtas aut Ligures stipendio conducere ulterius. Neque Masinissæ, aliisve Ro. sociis inferre bellum, aut Carthaginensium quempiam ad id mittere. Hæc & plura Appianus in Libyco, bellum inter Carthaginenses & Masinissam, propter quod tertium Punic. bellum ortum est habetur ab App. & Livi. ubi sup.

Igitur Manlio Censorinoque Consulibus, &c.] De nominibus horum consulum non omnes conveniunt. Eutrop. habet. L, Mallio Censorino, M. Mallio consulibus. Oros. L. Censorino, M. Manlio consulibus. Liv. 49. L. Martio, M. Manlio consulib.

In tormentorum vincula matronæ crines suos contulerunt.] Carthaginensium duces instructuri classem, quia sparto deficiebant, crinibus tonsarum mulierum ad funes efficiendos usi sunt. Idem Massilienses & Rhodii fecerunt. Front. cap. 17. 1.

Hunc Paulo Macedonico procreatum, &c.] Paulus Æmy. ex quatuor filiis formæ insignis, egregiæ indolis duos jure adoptionis in Corneliam Fabiamque gentem translatos sibi ipse denegavit, duos ei fortuna abstulit, &c. Va. c. 10. 5. Lege Plu. In fœdum errorem App. prolapsus est, qui hunc Scipionem Æmylianum eum fuisse opinatus est, qui ab Antiocho puer captus fuit, & P. Scipioni patri restitutus. Antiochi, inquit, legatio privatim P. Scipioni ab Antioc. pecunias & oblationes afferebat. Filii præterea libertatem, quem ex Demetriade in Chalcidem adnavigantem, Antioc. in Hellada ceperat, pollicebatur. Erat is puer Scipio, qui deinde Carthaginem cepit & evertit, & secundus a Scipione Africanus cognominatus est Pauli filius, qui Macedoniam Perseo eripuit, Scipionis genere ex filia nepos, adoptione filius. Sed huius oppositum Latini omnes asserunt. Leg. Val. cap. 5. 3.

Concusserat avus, &c.] P. Scipio Scipionis Aemiliani avus fuit genere, licet adoptione pater, ut verba Appiani nunc adscripta patefaciunt. Plut. ali-

aliter: uxor, inquit, Paulo Aemylio fuit Papiria, Mnasonis viri consularis filia, quam post longum conjugii tempus repudiavit, licet pulcherrimam sobolem ex ea suscepisset. Hæc gloriosissimum Scipionem, & maximum pepererat. Sententia Plutarchi videtur verior. Constat enim Aphricano superiori Aemiliam fuisse uxorem Luc. Pauli, qui consul pro Rep. ad Cannas occubuit. Ex ea genuit filias duas, quarum majorem natu P. Cornelio Nasicæ, minorem seu in vita, seu post mortem patris certe Graccho nuptam constat. Aliorum opinio est, quam & Florus sequitur, Scipionem minorem, à filio P. Scipionis adoptatum fuisse. Hanc secundam sententiam sequitur Cicero & in Catone majore, & 6. de Rep. lib. Quam fuit imbecillis, inquit, P. Aphricani filius is, qui te adoptavit? In 6. de Repub. lib. pater Aemylius Scipionem filium hortatur, ut sicut Africanus avus, colat iustitiam & pietatem. Primam opinionem sequitur Liv. lib. 49. Scipio Aemilianus, inquit, L. Pauli filius, Aphricani nepos, & adoptivus filius, &c. Res non bene nota fecit, ut præter iustitutum plura verba de hoc facerem.

Quanto fortius fœmina, &c.] Hanc historiam ut alios sileam, lege apud Val. Max. tit. 2. 3. c. 36. Appianus circa finem Libyci recitat hujus mulieris ad Scipionem & Hasdrubalem verba. Deleta autem Carthago est septingentesimo anno quam erat condita. Livi. lib. 51. Soli. ca. 40. dicit anno 737. Euseb. anno 668. vel anno 748. Condita vero fuit 72. annis antequam Roma. Iusti. lib. 19. Carthaginis excidium lege apud Appia. Nescire se dicebat Quintus Metellus, illa victoria, qua Carthago deleta est, boni ne plus, an mali Reip. attulisset. Vale. cap. 2. 7. Faciunt ad hoc quæ scribit. Cicero pri. Officiorum tit. 12. Plin. cap. 9. lib. 7.

Bellum Achaicum.

Caput XVI.

Q*uasi seculum illud, &c.*] Hoc bellum scribunt Flor. 51. & 52. abbre. Iusti. lib. 34. Valer. ca. 5. 7. Plin. cap. 60. de viris illust. Eurrop. cap. 3. 4. Oros. c. 2. 5. Cice. in oratione pro lege Manilia. & 1. Offi. Plin. c. 12. 35. Capta autem Corinthus est Olymp. 156. anno 3. urbis Romæ anno 608. Plin. cap. 2. 34. *Quia signorum, &c.*] De ære Corinthio, cujus tria fuerunt genera, candidum argento nitore quam proxime accedens, in quo illa mixtura prævaluit. Alterum in quo auri fulva natura. Tertium, in quo æqua lis omnium temporum fuit. Hæc & plura Plin. cap. 2. & 7. 34. nat. hist. Notum proverbium de Corintho: Non cuivis homini contingit adire Corinthum. Horat. epist. 17. 1. Gel. cap. 8. 1. Signat enim, non omnium esse aggredi magna. Nota sunt quæ de Corintho scribunt Plin. Strabo, Ovidius, & cæteri.

Res

Digitized by Google

Res in Hispania gestæ.

Caput XVII.

Vt Carthaginem Corinthos, &c.] Bella quæ post deletam Corinthum orta sunt, lege apud Flo. 51. & 52. abbreu. Iust. lib. 34. & inde Eutrop. c. 3. 4. Orosium. c. 3. 5. Cæteri locis suis citabuntur. Hispaniæ situs, laus, &c. habetur ab omnibus. Lege Strabonem in 3. Plin. 3. nat. hist. Iusti. lib. ulti. Soli. cap. 36. Plura Syl. lib. 3. Claud. de laude Serenæ. Quid dignum memorare tuis Hispania terris? &c. Avienus ibi, Hic Hispanus ager, &c. Et parum infra locum depravatum sic castigavimus. Gens agitat rupis vestigia Pyrenææ.

Prima per Pyrenæum jugum, &c.] Gesta duorum Scipionum, qui primi per Pyrenæum iugum signa Romana intulerunt, ex parte tacta sunt cap. 6. hujus. 2.

Vltor patris & patrui Scipio, &c.] Pro his quæ hic de Scipione superiore narrantur lege quæ ca. 6. hujus 2. sunt annotata, quibus adde quæ scribit Plutarch. in Apophthegmatis.

Cato ille Censorinus, &c.] Gesta hujus Catonis contra Celtiberos scribit Plut. in vita ejus, & in Apoph. Val cap. 3. 4. Plin. cap. 47. de viris illust. Front. cap. 1. 1. & cap. 7. 4. Multa Cicero in Catone majore. Plin. cap. 13. 14. Cato; inquit, quum in Hispaniam navigaret, unde cum triumpho rediit, non aliud inquit vinum bibi, quam remiges. Idem Front. c. 3. 4. Lege quæ scribit Gel. ca. 18. 13. Quod hic dicitur de Graccho patre, habetur c. 57. Plin. de viris illust. De illo Graccho Val. ca. 6. 4. Plin. ca. 13. septimi, Cicero de divinatione. Metelli gesta in Hispania lege apud Florum 53. abbrev. Val. cap. 2. 2. cap. 4. septimi, & Plinius cap. 61. de viris illustribus. Front. cap. 1. 1. Luculli gesta in Hispania Val. ca. 2. 3. Florus libro 48. abbr. Plin. c. 58. de viris illustr. Ab his eisdem habetur quod hic de Scipione Æmyliano dicitur. Quæ de Decio Bruto dicit Flor. sumpta sunt ex 55. & 56. Livii. Meminit Vale. cap. 15. 8. si tamen non est alius, &c.

Flumen oblivionis, &c.] Idem habetur 55. abbre. Livianarum. Intelligit enim Lethen fluvium, qui circa Syrtes delabitur. λήθη enim Græce oblivionem significat. De quo flumine Lucanus in 9. Quam iuxta Lethes tacitus perlabitur amnis Inferni, ut fama, trahens oblivia venis.

Cæterum Lusitanos Viriatus erexit, &c.] Historiæ hujus autores sunt Florus 52. & 54. abbrev. Cicero 2. Offi. Val. c. 4. 6. 9. Plin. ca. 71. de viris illust. Orosius cap. 3. 5. Eutrop. cap. 3. 4. Syll. lib. 3. ibi, Hos Viriatus agit. Victi autem sunt a Viriato M. Vetilius prætor. C. Plancius prætor, Cl. Vnimanus. Autores qui supra. De Claudio Vnimano Livius nullam facit mentionem, sed Plinius, Orosius, Eutropius idem cum Floro dicunt. Quinti Fabii successorem fere omnes Servilium Cepionem nominant. Corrupte in Eutropio legitur, a Scipione consule, pro Cepione.

Digitized by Google

Bellum Numantinum.

Caput XVIII.

Numantia quantum Carth. Capuæ, &c.] Bellum Numantinum scribunt Florus 55. & quatuor sequentibus abbreu. Livianarum. Plin. cap. 58. & 59. de viris illustribus. Vale. cap. 2. 2. cap. 2. 3. cap. 6. 7. Aug. cap. 21. tertii Civitatis. Eutrop. cap. 3. 4. Orosius cap. 6. quinti.

Per annos 14. &c.] Strabo lib. 3. dicit Numantinum bellum vicesimum perdurasse ad annum. *Sedigenses.*] Legendum est, Sedegenses, a Segeda oppido Numantiæ vicino, ex Plinio cap. 1. 3. & Strabone lib. 3. *Quatuor milibus Celtiberorum XL. M. exer.*] Livius aliter. Triginta, inquit, milia Romanorum a Numatinorum militibus quatuor victa erant. Cum Floro concordant Eutropius & Orosius. Prodigia tria Mancinio visa, præter supra dictos lege apud Val. lib. 1. cap. de prodigiis. Lege Ciceronem Officiorum tertio.

Servilibus operibus attriti, &c.] Quæ de hac re scribit Florus lege apud Frontinum cap. 1. 4. & Valerium in principio capit. 2. lib. 2. Idem fecit Q. Metellus in Aphrica Iugurthino bello. Front. & Vale. ubi supra. *Megara ducе.*] Legi in quibusdam, Theogene. Vide Val. cap. 2. tertii.

Anacephalæosis.

Caput XIX.

Hactenus P. R. &c.] Quæ hoc 19. capite continentur, patent ex ante habitis, & post habendis capitibus. Vnde Romam vitia irripserint, docet Augustinus capit. 21. 2. Civitat. & c. 21. 3. sic ad idem: Tunc primum, inquit, per Cn. Manlium proconsulem, de Gallogræcis triumphantem, Asiatica luxuria Romam omni hoste peior irrepsit. Tunc enim primum lecti ærati, & preciosa stragula visa perhibentur: tunc inductæ in conuivia psaltriæ, & alia licentiosa nequitia. Plura Livius lib. 9. 4. Decadis. Plinius cap. 11. 33. Notanter Iustinus in fine 36. Lege Iuven. sat. 3. ibi, Quæ nunc divitibus, &c. & sat. 6. Prima peregrinos obscœna pecunia mores Intulit, & turpi fregerunt secula luxu Divitiæ molles, &c. De aurea ætate, & aliis, & cur sic dicta, notavi multa primo in Ruffinum, in annotationibus Claudiani.

Bel-

Digitized by Google

Bellum Asiaticum.

Caput XX.

V*illa ad Occasum Hispania, &c.*] Quæ hic de Attali regis testamento dicuntur, habentur a Plinio ca. 11. 33. Valer. 2. 5. Floro 59. abbrev. Iust. lib. 36. Strabone lib. 14. Eusebio lib. temporum. Augu. cap. 11. 13. Civ. Appian. in Mithrid. Eutrop. ca. 3. 4. Oro. cap. 7. 5. Advertendum, Asiam bello captam Attalo regi muneris loco possidendam populum Romanum tribuisse, &c. Lege Val. 8. 4. Attalus enim contra Philippum Macedoniæ regem, & contra Antiochum pro Romanis pugnaverat. Acron ode 18. 2. Carminum vult ex Horatii sententia, Romanos non iure factos Attali hæredes.

Aristonicus regii sanguinis, &c.] Erat ex Eumene Aristonicus, non justo matrimonio, sed ex pellice Ephesia Citharistriæ cujusdam filia genitus, qui post mortem Attali velut paternum regnum invasit Asiam, &c. Autor Iustinus ubi supra. De Mindo, Samo, Colophone urbibus, Strabo ubi supra. Plin. cap. 28. 5.

Crassi quoque pratoris, &c.] Hanc historiam late habes a Valerio Maximo tit. 2. 3. ca. 13. Strabo ubi supra dicit hunc Crassum non captum, sed in prælio fortiter pugnando occubuisse.

LIB. III.

Caput I.

H*ac ad Orientem, &c.*] De bello contra Iugurtham gesto extat integer Salust. Abbreviator Livii libr. 62. & 5. sequentibus. Plin. cap. 62. & 67. 75. de viris illustribus. Plutarchus in vitis Marii & Syllæ. Val. ca. 2. 2. cap. 11. 6. Front. cap. 8. 1. cap. 1. 2. Eutrop. cap. 3. 4. Oros. cap. 15. 5. Meminit Eusebius libro temporum.

Quum Adherbal Rom. profugisset, &c.] Claudianus, Si mœstas squallore comas, lachrymisque Senatum, In Numidas pulsus solio commovit Adherbal.

Capite censos, &c.] Pro hac historia lege Val. tit. 1. 2. ca. 26. & 27. Sunt autem capite censi, qui nullo aut perquam parvo ære censebantur. Autor Gellius cap. 10. 16.

Mulucham urbem.] Plin. in principio 5. & Sallustius in Iugurthino, dicunt Muluchami amnem esse. Sed esse potest ut sit urbis quoque nomen, ab amne dictæ. De Bocho in annotationibus Solini.

Digitized by Google

Venalem cecinerat, &c.] Iugurtha postquam Roma egressus est, fertur sæpe tacitus respiciens, postremo dixisse, Vrbem venalem, & mature perituram, si emptorem invenerit. Salustius autor. Idem Livius libr. 64.

Bellum Allobrogicum.

CAPUT II.

Sic ad meridiem, &c.] De hoc bello Florus 61. abbre. Iust. 37. Eutro. cap. primo quinti, Oros. cap. 16. 5. Melius Appianus in Celtico.

Impiger fluminum Rhodanus.] Luca. 1. Phar. Qua Rhodanus raptum velocibus undis, In mare fert Ararim. Plin. ca. 4. & 20. 3. Strabo lib. 4. Cæsar primo Commentariorum. Varro in tribus primis Europæ fluminibus Rhodanum ponit. Gell. cap. septimo decimi.

Nunquam enim populus Romanus, &c.] De Romano populo sic Claudianus: Matris, non dominæ ritu, civesque vocavit, Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

Bellum Cymbricum, Teutonicum ac Tigurinum.

CAPUT III.

Cymbri, Teutoni, &c.] De bello Cymbrico Florus 67. & 68. abbrev. Plutarch. in Mario, & c. 57. Paral. Appianus in Celtico. Val. cap. 8. 1. Plin. ca. 67. de viris illustribus. Plin. ca. 22. 7. ca. 33. 16. ca. 1. 17. c. 1. 36. Front. c. 5. 1. cap. 2. 2. Eutrop. cap. 1. 5. Orosius cap. 16. 5. Euseb. lib. temporum.

Impetum barbarorum Syllanus, &c.] Habetur hoc a Livio lib. 65. & 67. ubi non Manilius, sed Manlius nominatur. De alpibus lege quæ posui ca. 6. 2. supra. Marius Cymbrico bello profligatus in somnis præmonitus est, victoriam consecuturum, si prius diis victimam filiam, Calphurniam nomine, faceret. Patriæ igitur charitati natura postposita, eo facto victoriam comparavit. Plut. cap. 37. Paral.

Flagitante aquam exercitu, &c.] Idem scribit Frontinus cap. 7. lib. 2.

Claudium campum, &c.] Plin. ca. 67. de viris illustribus, aliter nominat. Lucanus in primo videtur sentire id factum non longe ab Arimino. Nos primi Senonum motus, Cymbrumque furentem vidimus. Claudianus dicit in eodem loco, Cymbros a Mario & Getas a Stilicone superatos, ubi huiusmodi fuerat affixus titulus: Hic Cymbros fortesque Getas, Stilicone peremptos Et Mario, claris ducibus, tegit Itala tellus. Discite vesanæ Romam non temnere gentes. Scribit Festus, lingua Gallica Cymbros latrones dici.

Nebulosum nactus diem, &c.] Idem dicit Front. cap. 2. secundi. *Cymbricis bellis, &c.*] Nuceriæ in Luco Iunonis ulmus postquam etiam cacumen um-

amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita ut protinus floreret. Autor Plin. c. 13. 16. nat. hist. Rursus Cymbrorum mos erat, ut in acie gaudio extultarent, tanquam gloriose & feliciter vita excessuri: lamentarentur in morbo quasi turpiter & miserabiliter perituri. Val. c. 1. 2. Numerus in hac pugna interfectorum varie narratur. Eusebius dicit ducenta milia Cymbrorum cæsa, octuaginta milia capta. Livius centum quadraginta milia cæsa, capta vero 60. milia. Orosius multo aliter: lege ipsum. Item Eusebius vocat regem Cymbrorum Teutomodum, non Teutobochum. Orosius Teutobechum.

Nam quum missa, &c.] Præter citatos in hoc capite lege hanc historiam apud Valer. Max. cap. 1. 6. Quod de Castore & Polluce hic dicitur, habet Plin. c. 22. 7. Lege aliud mirum in hac pugna apud Livium ubi supra. Quo astu in hoc bello Marius usus sit, docet Fron. cap. 9. secundi

Bellum Thracium.

CAPUT IV.

P*ost Macedonas, &c.*] Hujus belli meminerunt Flo. 63. abbrev. Eutro. cap. 3. 6. notanter. Plura Sex. Ruffus de regia potestate. Meminit Euseb. lib. temp. Aliqua Appianus in eo lib. qui Illyrius inscribitur. Gestum est autem hoc bellum, si Eutropio credimus, ab urbe condita anno 635. Advertendum, hoc bellum gestum ante & Iugurthinum & Cymbricum bellum: id ex processu citatorum intelliges. Videtur ergo facta capitum transpositio.

Litare Diis sanguine humano, &c.] De his Thracum moribus Solin. c. 15. & 25. Plin. c. 2. 7. Pompon. Mela in principio 2. Ruff. ubi supra. Vale. c. 1. 2. Sed plura in annotat. Solini.

Bellum Mithridaticum.

CAPUT V.

P*onticæ gentes ad Septentrionem, &c.*] Hoc bellum scripsit Livius a 76. ab condita usque ad li. 102. sed temporis injuria non extant nisi eorum argumenta, quæ L. Florus scripta reliquit. Late de hoc bello Appi. Alex. in eo libro qui Mithridaticus inscribitur. Plura Plut. in vitis Syllæ, L. Luculli, Cn. Pompeii: multa Plin. quatuor ultimis capitibus de viris illu. Val. c. 6. 4. c. 7. 8. cap. 2. 9. Front. c. 1. & 2. 2. August. ca. 22. 3. Civitat. Plin. c. 97. 2. c. 24. 7. c. 2. 25. c. 3. & 12. 33. Plura Cic. in oratione pro lege Manilia, quæ in ordine prima est. Iust. lib. 37. & 38.

Cœptum autem est bellum hoc anno 662. ab urbe condita. Eutrop. cap. secundo 5. Oros. cap. 19. 5. & inde per totum. Duravit autem, teste Appiano, annis 42. Florus dicit 40. nec mirum quidem: nam 56. annis regnavit. Autor. Plin. cap. 2. 25.

Tribus bellis, &c.] Hæc tria bella distincte Appianus exponit. Eodem

Digitized by Google

anno primum bellum civile & Mithridaticum incepta sunt, quum nondum sociale bellum finitum esset. Lege Oros. ubi sup.

Quid atrocius, &c.] Edictum Mithridatis hujusmodi erat, ad tricesimam diem observationis omnes pariter Romanos, qui apud eos essent, & Italos, eorumque mulieres cum pueris & libertis, qui Romani sanguinis esse censerentur, interficerent. Autor Appianus. Interfecta autem sunt hominum 150. milia, autore Plutarcho in Sylla. Val. autem c. 2. noni, dicit milia 80. civium Rom. Aug. ubi sup.

Cyzicum nobilis civitas, &c.] Quæ hic dicuntur præter alios lege Frontinum cap. 1. 2. & cap. 5. 4. Cicero ubi supra. Plin. cap. 32. 5. & cap. 15. 36. Plura ad hanc historiam scribit Strabo lib. 12.

Spargi a fugientibus, &c.] Idem Tryphon Syriæ rex fecisse dicitur, qui victus per totum iter fugiens pecuniam sparsit, eaque insectanda Antiochi equites moratus effugit. Front. cap. 13. 2. Idem fecit Alaricus Gothorum rex a Stilicone victus. Lege Claudianum de sexto consulatu Honorii. Item de bello Getico, ubi plura dictavimus, ibi, Præda, &c. *Sed animus malis angebatur.*] Legendum est augebatur, ut, grande doloris Ingenium est, miserisque venit solertia rebus. De dimicatione hac nocturna Frontinus cap. 1. 2.

Grande arcanum, &c.] Multa inquit Hecatæus castella oppidaque Iudæis sunt, una vero urbs munitissima, 50. pene stadiorum habens circuitum: plures quam centum & viginti milia homines habitant, quæ vocatur Hierosolyma: in medio cujus ædes lapidea est quinque jugerum longitudinis, latitudinis cubitorum centum. Hæc & plura Euseb. 9. præp. Evang. Hanc ædem vocat Florus impiæ gentis arcanum, quum ipse re vera alienus a fide sit impiissimus. Iudæos enim præ cæteris Romani odio habuerunt, ut alibi notavimus. Livius li. 102. Gesta Pompeii compendiose habes a Plin. c. 26. 7. & c. 2. 37. Val. Max. c. 16. 8. Plin. cap. ultimo de viris illust. Gesta Pompeii eleganter scribit Luca. 2. Phars. ibi. Heu demens.

Bellum Piraticum.

Caput VI.

Interim dum P. R. &c.] De Piratico bello multa Cicero in oratione, quam habuit de laudibus Magni Pomp. Abbrev. Livii lib. 99. Plura Plut. in vita Pompeii. Plin. cap. ultimo virorum illust. Val. cap. 16. 8.

Servilius, &c.] Historiam præter supradictos habent Sex. Ruffus. Val. c. 5. 8. Front. c. 7. 3. Pub. Servilius Isauram oppidum flumine eo quo hostes aquabantur averso, ad deditionem sui compulit. Claudianus primo in Eutropium: Indomitos curru Servilius egit Isauros. Eutrop. plura ca. 1. 6.

Quædam animalia, &c.] Facit ad hoc quod scribit Plinius c. 57. li. 9. Item in lib. qui de admirandis in natura inscribitur, & Aristoteli falso adscribitur:

bitur: est enim non Aristotelis, sed Theophrasti opus, ut ex citatione Plinii deprehendimus. Plinius enim c. 57. 9. citat Theophrastum in his quæ habentur c. 61. & sequentibus in eo li. De legatis ad diversa maria a Pompejo missis, scribit Plut. ubi supra. Item dicit Piraticum bellum quadragesimo die completum. Pli. autem c. 25. & 26. 7. dicit captas esse naves piratarum 846. Qualem duxit de his Pom. triumphum. Plin. c. 2. 37. Eutrop. c. 4. 6.

Bellum Creticum.

Caput VII.

Creticum bellum, &c.] De hoc bello Florus 99. Abbr. Liv. Euseb. lib. temporum. Eutrop. cap. 4. 6. Cretenses in obsidione Metelli ad ultimam usque penuriam compulsi sua iumentorumque suorum urina sitim torserunt, iustius dixerim quam sustentaverunt: quia dum vinci timent, id passi sunt, quod eos nec victor quidem pati coegisset. Val. c. 6. 7. Lege quæ de Creta insula scribunt Solinus. c. 16. Plin. c. 12. 4. Diodorus libro sexto. Plura Strabo li. 10. Virg. 3. Æneid. ibi, Creta Iovis magni, &c. Avienus, Nutrix hinc Creta tonantis Multa latus glebæque ferax, &c. Sic enim legendum est, non glebam.

Bellum Balearicum.

Caput VIII.

Quatenus Metelli, &c.] De hoc bello Florus li. 60. abbrev. De his insulis lege quæ scribunt Plin. c. 5. 3. & Strabo lib. 3. a Græcis enim Baleares dicuntur a fundarum jactu, quibus homines ipsi maxime utebantur. Autor Dionysius poëta. Alio nomine Gymnesiæ dicuntur, quoniam earum incolæ nudi sunt; γυμνὸς enim nudus appellatur. Plura scribit Diodorus Siculus tit. 6. 6. Fundam preterea, qua maxime utuntur harum insularum incolæ, invenerunt Phœnices. Autor Pli. c. 56. 7. nat. hist. Virg. primo Georg. Stuppea, &c. Lucanus in 3. Stantem sublimi Tyrrhenum culmine proræ, &c.

Expeditio in Cypron.

Caput IX.

Aderat fatum insularum, &c.] Quod hoc capite continetur, habetur abunde a Plut. in vita Catonis iunioris. Meminit Abbreviator Livii libro 104. Veneri sacra idcirco dicitur, quoniam mos erat Cypriis, virgines ante nup-

nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quaesituras in quaestum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas. Just. li. 18. Lege quae scribit Val. c. 1. 9. Plin. c. 13. 3. 5. Nota sunt quae scribit Strabo in fine decimi quarti.

Quae res latius aerarium populi Romani, &c.] Iam Cyprus devicta Asia, pondo 34. milia invenerat, praeter vasa aurea aurumque factum, & in eo folia ac platanum vitemque. Qua victoria argenti quingenta milia talentorum reportavit, &c. Plin. cap. 3. 33. Lucan. in 3. loquens de copioso auro Romani aerarii, sic inquit: Quod Cato longinqua vexit super aequora Cypro. Val. cap. 16. 8.

Bellum Gallicum.

Caput X.

Asia Pomp. manibus, &c.] Quae hoc capite continentur, scribit Florus 103. & sequentib. Abbre. Plut. in Caesare. Sueto, lib. 1. tit. 22. & sequentib. Appian. in Celtico. Lucan. in 1. & latius Caesar ipse in septem libris suorum Comment. de bello Gallico. De populis, de quibus in hoc capite fit mentio, plura Lucanus 1. Phar. ibi, Deseruere cavo, &c. Item Caesar in Comment. Gesta Caesaris compendiose more suo lege ex cap. 25. 7. Plin. Non obscura sunt quae Eutropius, Orosius, & caeteri scribunt.

Toto orbe divisa Britannia, &c.] Finis erat orbis ora Gallici littoris, nisi Britannia insula qualibet amplitudine nomen pene alterius orbis mereretur. Solinus ca. 36. Virg. in Buc. Et penitus toto divisos orbe Britannos. Claudianus de laudibus Stiliconis, Vincendos alio quaesivit in orbe Britannos. Bellum cum Helvetiis scribit 1. Caesar suorum Comment. Fuerunt enim Helvetiorum fusorum a Caesare milia 368.

Sequens longeque cruentior pugna Belgarum, &c.] Ex verbis Flori hic positis, item 2. Comentariorum Caesaris. Rursus ex Val. Max. item caeteris, deprehendimus hunc locum insigniter depravatum, ut non Belgarum legendum sit, sed Nerviorum: ait enim hic Florus: In hac pugna multa Ro. insignia fuisse, tum illud egregium ipsius ducis, quod nutante in fuga exercitu, &c. Hoc autem non in pugna cum Belgis, sed cum Nerviis accidisse, in 2. Comm. scribit Caesar. Val. c. 2. 3. Iulius Caesar, *inquit*, quum innumerabili multitudine, & feroci impetu Nerviorum inclinari aciem suam videret, timidius pugnanti militi scutum detraxit, eoque tectus acerrime praeliari coepit, quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam divino animi ardore restituit. Accedit ad hoc quoniam Belgae facile pugna a Caesare superati sunt. Lege Caesarem in 2. Comment. & Livium li. 104. Plut. in Caesare. Bellum Caesaris cum Venetis ipse tertio suorum Comment. libro. Interitus Cottae & Sabini habetur quinto Commentariorum Caesaris.

He-

Hedui de incursionibus, &c.] Bello Helvetiorum confecto totius fere Galliæ legati, principes civitatum, ad Cæsarem congratulatum convenerant; petierunt uti sibi consilium totius Galliæ die certa indicerent, idque Cæsaris voluntate facere liceret: sese habere quasdam res, quas e communi consensu ab eo petere vellent. Ea re permissa, diem consilio statuerunt, & iureiurando, ne quis enunciaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt. Eo consilio dimisso, iidem principes civitatum, qui ante fuerant, ad Cæsarem revertuntur, petieruntque uti sibi secreto & occulto de sua omniumque salute cum eo agere liceret. Ea re impetrata, sese omnes flectentes Cæsari ad pedes proiecerunt. Locutus est pro his Divitiacus Heduus, qui de incursionibus Germanorum aspere conquestus est, longa querimoniarum serie. Lege apud Cæsarem 1. Comment. Et hunc quoque locum noster Cuspinianus restituit, Ariovisti superbam responsionem lege apud eundem Cæsarem ubi supra.

Qui calor &c.] Quod hic dicitur, lege latius circa finem primi Comment. Cæsaris. Advertendum quod quum Cæsar in Gallia comperisset Ariovisto Germanorum regi institutum, & talem legem esse militibus non pugnandi decrescente luna, tum potissimum acie commissa, impeditos religione hostes vicit. Front. c. 1. 2. Cæsar dicit apud Germanos eam fuisse consuetudinem, ut matresfamilias eorum sortibus & vaticinationibus declarent, utrum prælium committi ex usu esset, nec ne. Eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prælio contendissent.

Tenchateri, &c.] Hos populos Appianus in Celtico videtur appellare Tencheros, Cæsar Tenchateros, de quibus neque apud Plinium, neque apud Strabonem reperio fieri mentionem, nisi forte hi sint quos Tennanios Strabo nominat, vel Ceretos, qui Rheni lacum magnum, inquit, propius attingunt. C. Cæsaris in Britanniam transitus docent qui supra potissime 5. Comment. lib. Meminit Va. Flaccus 1. De Calydonia sylva Britanniæ. Pli. capite 16. 4. Est etiam civitas in Ætholia. Sed quum sylvam significat producit secundam. Luc. Vnde Calydonios fallit turbata Britannos. Et Mart. Nuda Calydonio sic pectora præbuit urso. Pro civitate corripit secundam. Virgil. in 7. Quod scelus aut Lapithis tantum aut Calydone, &c.

Bellum Parthicum.

Caput XI.

D*um Gallos per Cæsarem, &c.*] De hoc bello scribunt fere omnes. Abbreviator Livii lib. 100. Appi. late libro qui Parthicus inscribitur. Plut. in M. Crassi vita. Iustinus li. 41. & 42. Eutrop. ca. 6. sexti. Oros. ca. 11. sexti. Valerius libro primo, tit. de prodigiis cap. 12. & c. 4. noni. Gestum est autem, si Eutropio & Orosio credimus, anno 697. vel 699. ab urbe condita.

Digitized by Google

Dum Parthico inhiat auro, &c.] M. Crassus negabat ullam satis magnam pecuniam esse ei qui in rep. princeps vellet esse, cujus fructibus exercitum alere non posset. Cicero 1. Officiorum. Docet ibidem Cicero, cur expetendæ sint divitiæ. M. Crassus, inquit, c. 10. 33. noster Plinius negabat divitem esse nisi qui reddito annuo legionem tueri posset. In agris suis sestertium 20. milia possedit. Quiritium post Syllam ditissimus. Lege Vale. cap. 4. 9. Item Cicero in fine tertii de finibus bonorum & malorum. Victus autem Crassus est sexto Idus Iunias teste Ovidio. 6. Fast. Scilicet interdum miscentur tristia lætis. Nec populum toto pectore festa juvant. Crassus ad Euphratem aquilas, natumque suosque Perdidit, & letho est ultimus ipse datus. Parthe quid exultas? dixit dea: regna remittes. Quique necem Crassi vindicet ultor erit. Seleucia urbs nobilissima est, cujus amplitudo circuitu 70. stadiis. In hanc Orodes Romanos Crassiana clade captos deduxit. Autores Plin. cap. 16. 6. Solinus cap. 61.

Caput ejus recisum, &c.] Thomyris Scytharum regina compositis in montibus insidiis, ducenta milia Persarum cum ipso rege Cyro trucidavit. In qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod neque nuncius tantæ cladis quidem superfuit. Caput Cyri amputatum in utrem humano sanguine repletum rejici regina jubet, cum hac exprobratione crudelitatis. Satia te sanguine, inquit, quem sitisti, cujusque insatiabilis semper fuisti. Autor Iust. lib. 1. Sed heu, quot reperiuntur Crassi hodie, Qui quum desertis cessent sacraria lucis, Aurum omnes victa jam pietate colunt. Auro pulsa fides, auro venalia jura, Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor. Torrida sacrilegum testantur limina Brennum, Dum petit intonsi Pythia regna dei. At mons laurigero concussus vertice, duras Gallica Parnasi sparsit in arma nives. Et (scelus) accepto Thracis Polymnestoris auro, Nutrit in hospicio non Polydore pio. Tu quoque ut auratos gereres Eriphyla lacertos, Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.

Anacephalæosis.

Caput XII.

Hæc est illa tertia ætas pop. Rom. &c.] Perverterat Florus antea historiarum & temporum ordinem cujus facti causa c. 19. secundi, & in hac anacephalæosi rationem assignat, ut scilicet hos populi Romani omnes motus domesticos separatos ab externis justisque bellis ex ordine prosequatur. Continet autem hoc caput compendiose materiam 17. capitum immediate præcedentium, & 13. immediate sequentium. Faciunt pro his quæ hic scribuntur citata capite 20. secundi supra. Plura ex his quæ hoc capite continentur, lege apud divum August. cap. 26. tertii Civitat.

Dumque Pœnorum hostium imminens metus, &c.] Dicit mala sequentia ex ocio accidisse Romanis. Appium Claud. crebro dicere solitum accepimus

mus, negocium populo Roma. melius quam ocium committi: non quod ignoraret, quam iucundus tranquillitatis status esset, sed quod animadverteret, praepotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolvi. Et subdit: Sane negocium nomine horridum, civitatis nostrae mores in suo statu continuit: blandae appellationis quies, plurimis vitiis respersit. Vale. I. septimi. Extant de ocio Ennii versus aurei: Ocio, inquit, qui nescit uti, plus negocii habet, quam quum est ocium in negocio, &c. Lege apud Gellium cap. 10. 19. Noctium Atticarum.

Vt viribus suis conficeretur, &c.] Suis & ipsa viribus Roma ruit. Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi, Minacis aut Ethrusca Porsennae manus, Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer, Novisque rebus infidelis Allobrox, Nec fera coerulea domuit Germania pube, Parentibus abominatus Annibal. Haec & plura Horatius in Epodo.

De Legibus Gracchanis.

Caput. XIII.

S*editionum omnium caussam, &c.*] De tribunitia potestate lege Fenestellam tit. 25. & quos ibi citavimus. Huc faciunt quae cap. 23. primi annotata sunt. Gracchanas leges tres fuisse constat: Frumentaria, ut scilicet semis & triente frumentum plebi daretur. Agraria, ut nemini liceret ultra 50. telluris jugera possidere. Tertia, equester ordo bis tantum virium in Senatu haberet, quam senatores ipsi. Statuerat enim ut 300. senatores essent, equites 600. sic enim equestrem ordinem cum Senatu consentientem corrumpere nitebatur. Autores sunt Liv. lib. 58. & 60. & Appianus 1. bel. civil. Agraria lex quando & a quo primum lata, docet Livius li. 2. ab urbe con. quam tandem M. Tullius penitus sustulit. Extant plures Cic. Orationes. Quae mala ex agraria lege sequantur docet idem Cic. 2. Officiorum.

Seditio Tiberii Gracchi.

Caput XIV.

P*rimam certaminum facem, &c.*] Seditionem Tib. Gracchi scribunt Florus 58. abbr. Latius Appianus 1. lib. bel. civil. c. 64. de viris illustrib. Plura Plu. in vita Gracchorum. Aug. cap. 24. 3. Civit. Val. li. 1. de omnibus cap. 2. 3. cap. 7. 4. cap. 2. 7. Orosius c. 7. & 8. quinti.

Eloquentia facile princeps, &c.] Scriptores veteres T. Castritius, Val. Max. Aul. Gellius, T. Livius, caeteri, C. Graccho, non Tiberio Graccho tribuunt eloquentiae principatum. C. Gracchus, inquit, 60. lib. Liv. Tiberii frater Trib. pleb. eloquentior quam frater &c. Et Val. cap. 10. 8. Gel. cap. 13. 11.

Noctium Atti. Orof. dicit, Gracchum Trib. pleb. iratum nobilitati, quod inter autores Numantini fœderis notatus esset.

Aderat ingenti stipatus agmine, &c.] Gel. cap. 13. 2. recitans verba Sempronii Asellionis de Tiberio Graccho Trib. pleb. quo in tempore interfectus in Capitolio est. Gracchus, inquit, domo quum proficisceretur, nunquam minus terna aut quaterna milia hominum sequebantur, orare cœpit, ut se defenderent liberosque suos, eum quem virilis sexus tum in eodem tempore habebat, produci jussit, populoque commendavit prope flens. Ejus concionem ad populum lege apud Appianum ubi supra. Triumuir creatus, ad agros dividendos tres in primis viri, Gracchus ipse legislator, & frater ejusdem nominis, nec non Appius Claudius Tiberii focer, consona totius populi voce declarantur, &c. Appianus ubi supra, item Livius libr. 58.

Seditio C. Gracchi.

Caput XV.

S*tatim & mortis & legum, &c.*] Quæ hic scribuntur habentur latius a Livio lib. 60. & 61. ab urbe condita. Appianus 1. libro bell. civil. Plut. in vita Gracchorum, Orof. cap. 12. 5. Val. Max. lib. 1. cap. de somniis. cap. 7. 4. cap. 7. 6. cap. 10. 8. cap. 4. 9. Distingue tu historias prudens lector; quoniam studuimus brevitati, & præcipua in citandis autoribus nostra inpræsentiarum versatur intentio. Item Gell. cap. 13. 11. Meminit Plinius ca. 2. 33. nat. hist. Plinius minor cap. 65. de viris illust. Aug. c. 24. 3. Civit. Lege quæ notavimus cap. 11. hujus tertii. Vale. dicit a servo suo interfectum fuisse. C. Gracchus, inquit, ne in potestatem inimicorum deveniret, Philocrati servo suo cervices incidendas præbuit: quas quum celeri ictu abscidisset, gladium cruore domini sui madentem per sua egit præcordia. Euporum alii hunc vocitatum existimant, &c. Val. cap. 8. 6.

Seditio Apuleiana.

Caput XVI.

N*ihilominus Apulejus, &c.*] De Apuleiana seditione scribunt Florus 69. Abbreu. Appia. 1. bell. civilium. Plutarchus in Mario. Val. tit. 2. 3. cap. 19. Plin. cap. 67, & 73. de viris illustr. Orof. cap. 17. 5.

Marius nobilitatis inimicus, &c.] Marium scribunt omnes infimo loco natum. Tul. autem 1. Tusculan quæst. dicit eum fuisse rusticum hominem. De quo sic Val. c. 1. 2. C. Marius, inquit, capite censum legendo militem Roma. divina usurpatione firmatam consuetudinem abrupit: civis alioquin magnificus, sed novitatis suæ conscientia, vetustatis non sane propitius, &c.

Subter-

Digitized by Google

Subrogare conatus est in ejus locum C. Gracchum hominem sine trib. &c.] Hanc historiam copiose recitat Valer. Maxi. tit. 8. 3. 7. Item Plin. 73. de viris illustrib. Advertendum plurimum differre scriptores in nomine competitoris tribunatus. Plin ubi supra vocat hunc A. Mumium, Livius A. Numium, Orosius Anumium, Appianus Nonium. Cæterum, inquit, Nonius vir illustris in Apulejum invectus & Glauciam accusans, tribunatum adeptus est. Veriti igitur Apulejus & Glaucia, ne tribunus in eos insurgeret, turbam quandam satellitum a concione abeunti cum tumultu immisere, & in diversorium fugientem interficiunt, &c. Quod hic de Metello dicitur, præter citatos supra hoc ipso capite lege apud Val. tit. 8. 3. cap. 5. Quod de Mario hic Florus recitat scribit Valer. cap. 2. 3. item cæteri.

Drusiana Seditio.

Caput XVII.

P*ostremo Livius Drusus, &c.*] Scribunt hoc idem Florus 70. & 71. abbrev. Val. ca. 5. 9. Plin. c. 66. de viris illustrib. Oros. c. 18. 5. Appianus lib. 1. bel. civil. Scribit Gel. cap. 15. 17. Livium Drusum, qui trib. pleb. fuit, quum morbum, qui comitialis dicitur, pateretur, Anticyram navigasse, & in ea insula elleborum sumpsisse, atque ita morbo liberatum. Item inter Cepionem & hunc Drusum ex annulo in auctione venali inimicitiæ cœpere, unde origo socialis belli & exitia rerum. Autor Plin. ca. 1. trigesimi tertii natur. historiæ. Hic Drusus Catonis Vticensis avunculus fuit, in cujus domo idem Cato educatus est. Lege Valerium capite primo tertii.

Senatus exilio Metelli, damnatione Rutilii debilitatus.] Exilium Metelli Numidici scribunt autores quos præcedenti cap. citavimus. Lege Val. c. 8. 3. Plin. c. 62. de viris illust. Rutilii damnationem scribunt Val. Max. c. 5. 2. Livii Abbrev. li. 70. P. Rutilius, inquit; vir summæ innocentiæ, qui legatus C. Marii, pro concione a publicanorum injuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem vitia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est. Ex verbis Livii apparet, fata fortunasque patrum, ac principum vitas in equitum manu fuisse. Lege tertiam legem, quam cap. 13. hujus tertii annotavimus. Judicia quæ largitiones redolere videbantur a Senatorib. ad equestres translata sunt per C. Gracchum tribunum plebis. Equestres autem mediam inter Senatum popularesque obtinebant dignitatem. Autor Appianus primo bellorum civilium. Drusus autem legem quoque judicialem tulit, ut æqua parte judicia penes Senatum & equestrem ordinem essent. Livius libro. 71.

Sed apprehensum faucibus viator, non ante, &c.] Discordat Florus a Valerio cap. 5. 9. Quæ amentia, inquit, a M. quoque Druso tribuno plebis per summam contumeliam vexata est. Parum enim habuit L. Philippum consulem, quia se interpellare concionantem ausus fuerat obtorta gula, & quidem non per viatorem, sed per clientem suum, &c.

Mors abstulit, &c.] Drusus, inquit Orosius, tantis malis anxius, domi suæ, incerto quidem autore, interfectus est. Idem sentit Livius 71. Appianus autem 1. bell. civil. Itali, inquit, metuentes, ut videbatur, ad consules in urbem deducti sunt, re quidem ut Drusum interficerent, verbo autem ut in legem conclamarent: eoque modo constitutam diem expectant. Id præsentiens Drusus raro in publicum progrediebatur. Verum in deambulatorio loco parum habente lucis, continue jus dicebat. Quum igitur circa vesperum multitudinem emitteret, subito se percussum esse conclamavit, vixque finito clamore in terram concidit. Repertus deinde furoris gladius femori ejus infixus. Eoque modo Drusus & ipse tribunus occiditur.

Bellum quod adversus socios gestum est.

CAPUT XVIII.

Sociale bellum vocetur licet, &c.] Bellum sociale scribunt Florus abbrev. 71. & sequentib. Latius Appianus primo lib. bell. civil. Plin. c. 63. 75. de viris illustrib. Val. c. 9. 8. August. ca. 17. & 26. 3. Civit. Plin. cap. 1. 33. nat. hist. Eutro. c. 1. 5. Euseb. lib. temporum. Cœptum est autem bellum sociale anno ab urbe condita 662. Solin. c. 2. Plutar. in Sylla. Strab. 5. Orosius dicit anno 659. Advertendum animalia permulta, quæ intra urbem fuerant exanimata fuisse, anno ante sociale bellum: quod haud scio an funestius ipsi terræ Italiæ fuerit, quam civile. Autor Plin. c. 85. 2. nat. hist. Causam socialis belli scribunt Livius & Appianus ubi supra. Habetur etiam ab eisdem, cur sociale dicatur.

Quum omne Latium atque Picenum, &c.] Populi Italiæ, qui in hoc bello contra Romanos insurrexerunt, fuerunt Marsi, Malini, Vestini, Maruceni, & ultra hos Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompejani, Vedusini, Japyges, Lucani & Samnites, quæ gens prius adversa admodum & gravis Romanis fuerat, & quicunque alii a Latio flumine, & quicquid ad Ionium sinum pedestri maritimoque itinere patet. Hæc & plura Appianus ubi supra. Dicit præterea horum exercitum fuisse ad centum milium numerum. Romani æqualem illis exercitum habuerunt. Docet item, qui exercitui Romano ac alteri præfuerunt. Discordat non parum a Floro Appianus in horum nominibus & numero.

Nec Annibalis, nec Pyrrhi, &c.] Bellis socialibus, inquit Augustinus, Italia vehementer afflicta, & ad vastitatem miserabilem desertionemque perducta est.

A Corfinio Ro. peteretur, &c.] Corphinium Pelignorum metropolis fuit, communis universis Italis civitas: eam propter translato nomine Italicam appellarunt. Eam civitatem Italiæ populi, qui contra Rom. conjuraverant, adversum P. R. receptaculum propugnaculumque constituerunt, adauxif-

que

que complicibus Imperatores creavere. Hæc & plura ad idem facientia lege apud Strabonem versus finem libri quinti. Ex hac civitate oriundum reor Syllium Italicum, non ex Italica Hispaniæ civitate ut alibi latius ostendimus. Hoc bellum Marsicum dictum est, quomodo a Marsis rebellandi suscitatum fuerat initium. Strabo ibidem. Inter initia belli hujus mulier serpentem peperit. Autor Plin. c. 3. 7. Item hoc bellum mures arrosis Lavini clypeis argenteis portendere, Plin. c. 57. lib. 8. & Cice. 1. & 2. Divi. Legendum est autem in Plin. non Lavini, sed Lavinii, ex eodem Ci. ubi supra. In hoc quoque bello Libertini in sacramentum vocati sunt. Bello sociali, inquit primo Saturnalium Macro. cohortium duodecim ex libertinis conscriptarum opera memorabilis virtutis apparuit. Item in bello sociali veritus Senatus ne hostib. omni ex parte ingruentibus, urbem minus tueri posse, mare omne a Cumis ad urbem usque libertis communivit, tunc primum ad militiam ob virorum inopiam accitis. Autor Appianus ubi supra.

Bellum Servile.

Caput XIX.

Vtcunque & si cum sociis nefas, &c.] Servile bellum quod in Sicilia gestum est, scribunt Florus 66. abbrev. Plutar. in Crasso. Orosi. ca. 8. 5. Eutrop. cap. 3. 4. Euse. lib. temp. Aug. cap. 26. 3. Civit. Val. c. 2. 2. ca. 10. 6. Advertendum hoc bellum gestum ante bellum sociale, ut ex processu scriptorum videre licet. Eutrop. præterea dicit gestum anno 650. Servile vero anno 662. ab urbe condita. Autor Solin. ca. 2. Tempore igitur sociale bellum posterius est, sed dignitate prius.

Primum servile bellum inter initia urbis, &c.] Servitia, inquit, li. 4. Liv. urbem ut incenderent, distantibus locis conjurant, populoque ad opem passim ferendam tectis intento, ut arcem Capitoliumque armati occuparent. Avertit nefanda consilia Iupiter, &c.

Sicilia terra frugum ferax, &c.] Lucanus in 3. de Sardinia & Sicilia loquens, Vtraque, inquit, frugiferis est insula nobilis arvis. Nec plus Hesperiam longinquis messibus ullæ, Nec Romana magis complerunt horrea terræ. Vbere vix glebæ superat cessantibus austris. Quum medium nubes Borea cogente sub axem Effusis magnum Libye tulit imbribus annum. Inde fingitur, Cererem in Sicilia fruges invenisse, &c.

Dum Syria dea, &c.] Ne sim promissis longior, ac ne aliorum reperta mihi tribuam, ut nonnulli inverecunde factitant, de dea Syria lege dialogum Luciani, qui de dea Syria scriptus est, cujus sententiam recitat copiose Beroaldus 35. annotatione & melius in commen. 8. de Asino aureo Apuleii. Cui adde (ut aliquid ex nostris inseram) Assyrii deo, quem summum maximumque venerantur, ADAD nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio significat, unus: hunc ergo ut potentissimum adorant deum. Sed subjun-

subjungenti deam nomine Atargatim, omnemque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt. Atargatis simulachrum sursum versum reclinantis radiis insigne est, monstraudo radiorum in superne missorum, enasci quæcunque terra progenerat. Hæc ex Macrobio 1. Saturnalium. Hanc deam Græci Decertin nominant. Quidam Rheam, ut docet Diodorus in 3. Strabo dicit vocari etiam Atharam. Fabulam de ea in piscem versa narrat Ovid. 4. Meta. Quarto autem Fast. vocat Palæstinas deas, quoniam Palæstina Assyriæ regio est. Et modo tolle faces, inquit, remove modo verbera clamat. Sæpe Palæstinas jurat adesse deas. Sed iam satis superque.

Crucibusque punivit, &c.] Inter cætera servorum supplicia crucis supplicium peculiare erat. Erat enim, ut ait lib. 4. Lactan. ignominiosum atque infame. Romanum præterea civem cruci affigi contra omnes leges erat. Scipio superior devicta Carthagine cives Roma. qui ex Romanis exercitibus ad Pœnos transierant, tanquam patriæ fugitivos, crucibus affixit. Vale. cap. 2. 2. Carthaginenses etiam duces suos, bella parvo consilio gerentes, etiamsi prospera fortuna consecuta esset, cruci affigebant. Quod enim bene gesserant, deorum immortalium adiutorio: quod male commiserant, ipsorum culpæ imputabant. Vale. ibi.

Fuitque de servis ovatione contentus, &c.] Quis primus ovans ingressus urbem est, & qua corona ovans coronabatur, lege apud Plin. cap. 29. 15.

Bellum Spartacum.

Caput XX.

E*nimuero servilium armorum, &c.*] De bello contra Spartacum gesto scribunt Flor. 95. abbre. Oros. c. 25. 5. Eutrop. cap. 2. 6. Front. cap. 5. & 7. 1. August. cap. 26. 3. Civitat. Copiose Plutarch. in Crasso. Appia 1. lib. bellorum civilium. De Lentulo sæpe habetur mentio apud Vale. Maxi. cap. ultimo 1. cap. 3. 5. cap. 11. 6. & alibi frequenter. Spartacum bellum sic cecinit Claudianus in bello Getico, Vilis quum Spartacus omnes per latus Italiæ ferro bacchatus & igni, Consulibusque palam totiens congressus incertes Exurit castris dominos, & strage pudenda Fuderit imbelles aquilas servilibus armis. Meminit Lucanus 2. Phar. Crassus de fugitivis, & Spartaco laurea coronatus incessit; quum antea ovantes myrtea uterentur corona. Autor Plinius cap. 29. 15.

Bellum civile Marianum.

Caput XXI.

H*oc deerat unum, &c.*] Bellum Marianum scribunt fere omnes. Florus lib. 77. abbrevia. & sequentibus. Plut. in vitis Marii & Syllæ. Aug. cap.

cap. 27. & 28. 3. Civit. Eutrop. lib. 5. per totum. Orosius cap. 19. 5. Plin. cap. 67. & 68. & 69. 75. de viris illustr. Copiose Appianus primo bellorum civilium. Valerius lib. 1. ca. de ominibus, cap. 3. & 5. secundi. cap. 8. & 11. sexti. cap. 16. octavi. cap. 2. & 7. noni. Solinus cap. 40. Plura Lucanus li. 2. ibi, Atque aliquis magno.

Siquidem carcer, &c.] Pro hac historia lege Val. ca. quinto secundi, & quos supra citavimus. Lucanus secundo. Phar. ibi, Exul limosa, &c. Pro his quæ de crudelitate Marii hic dicuntur, lege præter alios Valer. cap. 2. noni, & Lucanum in secundo, ibi, Quis fuit ille dies, &c. per totum. Quæ de Sylla hic dicuntur, præter alios Valer. cap. 3. secundi. cap. 8. tertii, cap. 67. cap. 2. & 7. noni. Plin. cap. 43. 7. cap. 6. 22. Plura Lucan. 2. Pharsal. ibi, Sylla quoque immensis. Cic. 2. Offi. August. cap. 28. 3. Civitat. Plin. cap. 75. de viris illust.

Ad principum cædem, &c.] Id eleganter canit Lucanus in 2. Nobilitas cum plebe perit, lateque vagatur Ensis, & a nullo revocatum est tempore ferrum. Stat cruor in templis, &c. De Antonio præter alios Lucan. in 2. Aut te præsage malorum Antoni, cujus laceris pendentia canis, Ora ferens miles festæ rorantia mensæ Imposuit. De Crassis patre & filio Lucan. ubi supra, Truncos laceravit fimbria Crassos. Sæva tribunitio maduerunt robora tabo. De Bœbio idem Lucan. Vix te sparsum per viscera Bœbi, Innumeras inter carpentis membra coronæ Discerpsisse manus. De Scævola Luc. ibidem, Te quoque neglectum violatæ Scævola dextræ, &c.

Apud Sacriportum, &c.] Lucanus eodem 2. Iam quot apud sacri cecidere cadavera portum? &c. Late Val. ca. 2. 9. item cæteri qui supra. De Mario patre præter citatos lege Iuven. sat. 8. ibi, Arpinas alius, &c. Idem satyra 1. Exilium & carcer, Minturnarumque paludes, &c.

Bellum Sertorianum.

Caput XXII.

Bellum Sertorianum, &c.] Quæ hoc 22. capi. scribit Florus, lege apud Appia. 1. bellorum civilium. Abbrev. Livii lib. 90. & sequentibus. Plura Plut. in vita Sertorii. Val. li. 1. c. de simulata religione. Item ca. 3. 7. Plin. ca. 63. & 77. de viris illu. Eutrop. in principio 6. Hic Sertorius cervam candidam insignis formæ per Lusitaniam ducebat, & ab ea quæ agenda aut vitanda essent, moneri se asseverabat, ut barbari ad omnia tanquam divinitus imperata obedirent. Front. c. 11. 1. Idem cap. 5. & 10. 1. cap. 1. 2. cap. 7. 4. Orosius cap. 22. 5.

Exul & profugus feralis illius tabulæ, &c.] Tabulæ proscriptionis Syllæ meminerunt Plin. c. 41. 7. Val. c. 2. 9. Aug. ca. 28. 3. Civit. Iuven. sat. 2. In tabulam Syllæ si dicant discipuli tres. Valerius dicit numerum proscriptorum fuisse ad quatuor milia.

Bellum Civile sub Lepido.

Caput XXIII.

Marco Lepido, Quinto Catulo Consulib. &c.] Flo. 97. abbre. Plut. in Pompejo. Appia. 1. bellorum civilium. Va. c. 3. 2. Eutrop. in fine 5. Oros. in fine 5. Plin. ca. 77. de viris illustrib. in Lepidorum gente, ait Plin. c. 12. 7. tres intermisso ordine, obducto membrana oculo genitos accepimus. Idem dicit Solinus cap. 5. Lepidus is, inquit Donatus, dicitur, in quo leporis, id est, venustatis est plurimum. Hic lepidus Catuli in consulatu collega, primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit, cum magna reprehensione. Is fuit consul anno urbis 666. autor Plinius cap. 6. lib. 36. Euse. lib. temp. dicit Olympiade 175. hostem publice judicatum.

LIB. IV.

Caput I.

Bellum Catilinæ.

Catilinam luxuria primum, &c.] Bellum Catilinarium scribunt fere omnes. Florus 102. & 103. abbrevia. Item Salustius, Appi. lib. 2. bellorum civilium. Plut. in vitis Syllæ, Cice. & Iulii Cæsaris. Val. cap. 8. 5. & cap. 1. & 11. 5. August. cap. 5. 1. & 23. 2. Civita. Oros. cap. 6. 6. Extant quatuor Ciceronis invectivarum in L. Catilinam libri, quibus rem totam simul, & eleganter complexus est. Meminit Euseb. lib. temp. & *Plin.* cap. 28. 7. naturalis historiæ. Iuvenalis satyra 10. Hoc cruciatu Lentulus, hac pœna caruit, ceciditque Cethegus Integer, & jacuit Catilina cadavere toto. Gestum est autem bellum hoc anno 689. ab urbe condita, autore Eutrop. cap. 4. 6. Sed videtur legendum 699. Depravatus est numerus annorum apud Oros. 799. pro. 699. Plin. cap. 39. 9. dicit Cicero. fuisse consulem anno urbis conditæ 700. in cujus consulatu hæc gesta sunt. Pro Cice. gestis lege quæ scribit Plin. cap. 30. 7. Ob id factum Cicero. Pater patriæ a Catone Uticensi primum appellatus est. Plin. c. 30. 7. Plut. in vita Ciceronis. Iuv. Sat. 8. Sed Roma parentem, Roma patrem patriæ Cic. libera dixit. Luc. in 7. Cunctorum voces, &c.

Luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris.] Plautus in principio Trinummi fabulæ, facit Luxuriam Inopiæ matrem. Hinc Claudi. primo in Ruffinum: Et luxus populator opum, cui semper adhærens Infelix humili gressu comitatur egestas.

Additum est pignus coniurationis sanguis humanus, &c.] Hunc morem Scytharum quorundam esse cap. 15. scribit Solin. Scytharum, inquit, gentes

Digitized by Google

tes amant prælia, interemptorum cruorem e vulneribus ipsis bibunt. Numero cædium honor crescit, quarum expertem esse apud eos probrum est. Haustu mutui sanguinis fœdus sanciunt, non suo tantum more, sed Medorum quoque usurpata disciplina. Cætera omnia lege apud Salust. & Appianum.

Bellum Cæsaris & Pompeji.

Caput II.

Iam pene toto orbe pacato, &c.] Bellum civile inter Cæsarem & Pompejum scribunt inprimis Cæsar ipse tribus libris de bello civili. Abbreviator Livii li. 109. & 70. sequentibus. Plut. in Cæsare & Pompejo. Appi. lib. 2. bellorum civil. copiose. Aug. c. 30. 3. Civi. Plin. ca. ultimo de viris illu. Eutro. & Oros. li. 6. Val. Max. lib. 1. de prodigiis, & c. de ominibus. c. 5. & 6. 4. c. 1. 5. Gel. c. 18. 15. Luca. in 10. libris Phar. Plin. c. 25. & 26. 7. Dicit idem Plin. cap. 24. 2. bello Pompeji & Cæsaris terrificum sydus visum, ac non leviter expiatum. Pompejus ante civile bellum cum Cæsare graviter ægrotavit, sed liberatus ad plurima mala reservatus est. Lege Iuvenalem saty. 10. Provida Pompejo dederat Campania febres Optandas, &c.

Adeo ut non, &c.] Hoc bellum vocat Lucanus in primo plus quam civile. Bella per Emathios plus quam civilia campos, Iusque datum sceleri &c.

Causa tantæ calamitatis, &c.] Has causas eleganter canit Luc. in 1. ibi, Fert animus causas tantarum expromere rerum, &c. Vnde has assignat Luc. causas, Fatum ipsum: nimiam Romanorum potentiam: discordem concordiam Pompeii, Crassi & Cæsaris: Crassi & Iuliæ mortem: ducum ipsorum superbiam: & tandem publica Romæ passim vitia. Lege Cæsarem, App. Suet. Plut. Pulchris stare diu Parcarum lege negatur. Magna repente ruunt, summa cadunt subito. Claud. Et Laberius: Summum ad gradum, inquit, quum claritatis veneris, consistes ægre, ne citius quam descendas, decidas Luc. in primo, Summisque negatum stare diu.

Morte Iuliæ, &c.] Præter supradictos scribunt hoc idem Val. c. 6. 4. & Luc. in 1. Nam pignora juncti Sanguinis, & diro ferales omine tædas Abstulit ad manus Parcarum Iulia sæva Intercepta manu, quod si tibi fata dedissent Majores in luce moras, tu sola furentem Inde virum poteras, atque hinc retinere parentem, Armatasque manus excusso iungere ferro, ut generos soceris mediæ junxere Sabinæ. Morte tua discussa fides, bellumque movere Permissum, ducibus stimulos dedit æmula virtus.

Tanquam duos tanti imperii for. non caperet, &c.] Luca. in 1. Dividitur ferro regnum, populique potentis: Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet orbem, Non cepit fortuna duos.

Nec hic ferebat parem, &c.] Luc. in 1. Nec quenquam jam ferre potest Cæsarve priorem Pompejusve parem. *Prima Arimino signa.*] Luca. in 1. ibi, Vicinusque minax, &c.

Paratum erat bellum, &c.] Hoc scribit Cæsar. 1. Comment. belli civil. &

& Luca. pluribus carminib. idem canit. 2. Phar. lib. ibi. At nunquam patiens, &c. Qua arte tunc Pompejus euaserit manus Cæsaris, docet Fron. c. 5. 1. *Per triumphatum a se mare lacerata, &c.*] Hoc eleganter cecinit Luc. in fine 2. Pelagus, inquit, iam magne tenebas. Non ea fata ferens, quæ quum super æquora tota Prædonem sequerere maris, lassata triumphis Destituit fortuna tuis.

Senatus ab urbe fugatur, &c.] Lucanus in 1. Nec solum vulgus inani Percussum terrore pavet, sed curia, & ipsi Sedibus exiliere patres, invisaque belli Consulibus fugiens mandat decreta senatus. Tunc quæ tuta petant, & quæ metuenda relinquant Incerti, &c.

Aerarium quoque sanctum, &c.] Quod hic scribit Florus, canit Lucanus libro tertio multis carminibus, ibi, Protinus adducto patuerunt templa Metello, &c. Ibidem etiam describit ingentem auri copiam, quod tunc in ærario continebatur. Lege ad hoc Plinium cap. tertio tricesimi tertii nat. histor. C. Cæsar, inquit, primo introitu urbis in civili bello suo ex ærario protulit laterum aur. XXVI. milia numero, pondo CCC. Nec aliis temporibus resp. locupletior. Aliqua ad hoc annotavimus cap. 9. 3. supra.

Siciliam & Sardiniam annonæ pignora.] Lege hæc 3. Phar. Luc. ubi, Curio Sicanias transcendere jussus in urbes, &c. Lege c. 19. 3. hujus. Cæsar. 1. comment. civilis belli. Quod hic de Massylia dicitur, lege late apud Luc. in 3. ibi, Ille ubi deservit trepidantis mœnia Romæ, &c. Item Cæsar 1. & 2 belli civilis lib. De Massyliæ laudibus Val. c. 1. 2. Plin. c. 4. 3. Plura Strabo in principio 4. Cicero ad propositum Officiorum lib. 2.

Cum legatis Cn. Pompeij Petreio, & Afranio, &c.] Scribuntur hæc omnia a Cæsare 1. Commentariorum de bello civili. Longo carmine hæc eadem canit Lucanus in principio 4. Ad idem Front. c. 1. 2. Quod de Varrone & Gadibus hic dicitur, lege primo Commentariorum Cæsaris.

Circa Illyricum, &c.] Hanc historiam pluribus carminibus Luc. 4. Phar. explicat ibi, Non eadem, &c. Lege Livium li. 110. Quod de Vulteio hic dicitur, canit Lucan. lib. 4. ibi, Vultejus tacitas sensit sub gurgite fraudes, &c. Idem Liv. lib. 110.

Calamitas Curionis, &c.] Historiam hanc Curionis eleganter more suo cecinit Lucan. in. 4. Non segnior illo Marte fuit, qui tunc Libycis exarsit in arvis, &c. usque ad finem. Livius li. 110. Appianus 2. bellorum civilium. Cæsar libro 2. Comment. de bello civili. Item cæteri omnes.

Sed jam debitum, &c.] Hæc omnia scribit Cæsar ipse 3. Comment. suorum lib. Item Luc. in toto 5. Quod hic de speculatorio navigio dicitur, habetur late a Luc. 5. Phar. ibi, Tertia jam vigiles, &c.

Extat ad trepidum tanto discrimine gub. vox ipsius, &c.] Vocem Cæsaris ad gubernatorem scribit App. 2. bello civi. Gubernator desperans tandem clavum e manibus abjicit. Tum Cæsar sublato velamine ad gubernatorem conversus, & intonans alacri animo & forti: Adversum fluctus exto, inquit. Cæsarem quippe & fortunam ejus tecum vehis. Hac voce, &c. Luc. in

in 5. Fisus cuncta sibi cessisse pericula Cæsar, Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti Trade sinum, Italiam si cœlo autore recusas, Me pete: sola tibi causa est hæc justa timoris. Vectorem non nosse tuum, quem numina nunquam Destituunt, &c. Nauta autem ille Amyclas dictus est, autore eodem Lucano. Hujus historiæ meminit Val. c. 8. 9. Plura Plut. in Cæsare. De Dyrrachio quæ scribit Florus hic, lege præter citatos Luc. in principio 6. De Scæva præter alios Luca. in 6. ibi, Scæva viro nomen. &c. Val. cap. 2. 3.

Nec diutius profuit duci, &c.] Lege hæc ex 7. Phar. Lucani, Vicerat astra jubar, quum mixto murmure turba Castrorum fremuit, &c. Ibidem recitat orationem M. Tullii, qui nomine omnium Pomp. ad pugnam ineundam concitat, Hoc pro tot meritis &c. Sequitur tandem Pomp. allocutio, qua suadet non esse cum Cæsare pugnandum, Si placet hoc, inquit, &c.

Generis humani fata commissa sunt, &c.] Scribit Cæsar. 3. Comment. ex Pompejano exercitu circiter milia quindecim cecidisse, in deditionem venisse amplius milia 14. Ex Cæsaris autem exercitu non amplius ducenti milites desiderati sunt. Sed Centuriones fortes viros circiter 30. amisit. Appian. li. 2. varias opiniones recitat. Idem scribit Plut. Scribit. Plin. 25. 7. Cæsarem bellorum civilium stragem non prodidisse. Prodigia ante pugnam visa præter alios canit Lucanus in principio 7. ibi, Nec tamen abstinuit, &c. Idem scribunt Val. lib. 1. c. de prodigiis, & Appi. ubi supra. De victimarum fuga Luc. in 7. Admotus superis discussa fugit ab ara Taurus, & Emathios præceps se jecit in agros, Nullaque funestis inventa est victima sacris. Crastini istius meminerunt omnes. Luc. in 7. imprecatur ei æternam sceleris conscientiam. Dii tibi non mortem, quæ cunctis pœna paratur. Sed sensum post fata tuæ dent Crastine mortis, Cujus torta manu commisit lancea bellum. Primaque Thessaliam Romano sanguine tinxit. Lege Cæsarem 3. Comment. Depravatus locus est apud Appia. Crasinus pro Crastinus. Fugam Pompeji per Thessalica Tempe scribit Luc. in principio octavi. Latius Appianus & Plutarchus in Pompejo.

In deserto Ciliciæ, &c.] Appianus, Ad orientem, inquit, Pompejus conversus Parthos, veluti ab illis opem petiturus, nulli patefacto interim consilio, adire statuit, quod pene quum in Ciliciam venisset, amicis retulit. At illi a Parthis abstinendum suadebant, &c. Extat elegantissima in 8. Lucani oratio, qua hanc Pompeji agitationem explicat eleganter, Cilicum per littora tutus Parva puppe fugit, sequitur pars magna senatus. Ad profugum collecta ducem parvisque Synedris.. Quo portu mittitque rates, recipitque Silenus. In procerum cœtu tandem mœsta ora resolvit. Vocibus his Magnus: comites bellique fugæque, &c. Sed Pompejus ne Parthos adiret Lentulus persuasit, cujus verba lege apud eundem Lucan. in 8. ibi, Siccine Thessalicæ mentem fregere ruinæ, &c.

Vt denique in Pelusio, &c.] Idem Luc. in 8. Tunc Cilicum liquere solum, &c. usque ad finem. Quod de Septimio hic dicitur canit Luc. ibidem.

Sceptra sua donata manu, transire parantem Romanus Pharia miles de puppe salutat Septimius, qui (proh superum pudor!) arma satelles, &c. Hunc Appi. Sempronium nominat, nisi forte sit nominis depravatio. Mortem Pompeji canit idem Luc. versus finem 8. Phar. Canit idem Luc. circa finem noni quid egerit Cæsar erga Pompeji caput, a Ptolemæo sibi dono datum: dicit enim simulatas lacrimas emisisse. Vtque fidem vidit sceleris, tutumque putavit Iam bonus esse socer, lachrymas non sponte cadentes effudit, gemitusque expressit pectore læto, &c. *Quippe & Theodotus*] Hic Theodotus Samius fuit rhetor, Ptolemæi regis pueri præceptor, de quo Appianus.

Cleopatra regis soror, &c.] Quæ hic de Cleopatra dicuntur, præter ea quæ scribunt Appia. Plut. cæteri. lege Luc. 10. Phar. ibi, Iam Pelusiaci veniens &c. Dicit præterea Luc. Cæsarem ex Cleopatra filios genuisse, ut, admisit Venerem curis, & miscuit armis, Illicitosque thoros, & non ex conjuge partus, &c. Obsessus in regia, &c. Hanc historiam lege 10. Phar. Luc. ibi, Sic velut in tuta, &c. Item parum infra. Lucifer a Cassia prospexit rupe, &c. usque ad finem. Cæsar, inquit App. Photinum & Achillam ob ea quæ in Pompejum perpetraverant, morte mulctavit. Theodotum demum fugientem Cassius quum in Asiam venisset, cruce suspendit. Tumultu ob hanc rem inter Alexandrinos orto, quum regium exercitum in illum concitassent, pluribus præliis circa regiam, & in maris littore certatum est. Quo in loco quum in mare desiliisset, & in profundo aliquandiu enatasset, Alexandrini vestem ab eo ademptam in trophæi modum erexere, Postremo juxta Nilum cum rege certamen iniit. Lege Plut. & Suet. tit. 35. lib 1.

In Asiam quoque novus rerum motus, &c.] Hanc historiam scribunt Suet. tit. 35. lib. 1. Plut. in Cæsare. Iusti. lib. 42. Late 4. comment. de bello Alexandrino. Eutro. c. ult. lib. 6. Florus lib. 113. abbrev. Meminit Plin. c. 4. 25. & ca. 12. 13. Appianus lib. 2. bellorum civil. Front. cap. 2. 2. docet quo astu a Cæsare victus sit.

At in Aphrica cum civibus, &c.] Bellum in Aphrica contra cives a Cæsare gestum scribunt A. Hirtius Antonius lib. 5. comment. qui de bello Aphrico inscribitur. Liv. lib. 113. & 114. Plutar. in Cæsare & Catone Vticensi. Copiose Appianus lib. 2. bello. civilium.

Nec reliquias diceres, sed integrum bellum, &c.] L. Scipio partium Pompejanarum Imperator, octo peditum legionibus instructus, equitum viginti milibus, quorum major pars Libycorum fuit. Ad hæc scutatis plurimis, & elephantis circa 30. & cum eo Iuba rex, qui pedites alios ad triginta milium numerum, Numidas equitum ad viginti milium, lanceatores quoque multos, & elephantes 60. alios secum duceret. Appianus lib. 2. bellorum civili. Pompejus prætera magnus apud Luca. 8. Phar. sic loquitur: Non omnes in armis Emathiis cecidi, nec sic mea fata premuntur, ut nequeam relevare caput cladesque receptas Excutere, an Libycæ Marium potuere ruinæ Erigere in fasces, & plenis reddere fastis? Me pulsum leviore manu fortuna tenebit? Mille meæ Grajo volvuntur in æquore puppes, Mille duces:

Digitized by Google

ces, sparsit potius Phar. nostras, Quam subvertit opes. addit Appia. in hunc modum, inquit, L. Scipioni exercitus 80. milibus militum ad prælium instructus, & jam pridem expertus, & ex prima pugna in spem maximam elatus, hoc secundo prælio penitus dissipatus est. De hujus Scipionis interitu præter alios lege Val. tit. 2. 3. c. 14. & Senecam epist. 24. ad Lucilium, copiose tam de Scipionis, quam de Catonis morte App. L. Sci. qui eo in bello Imperator fuit, hyemem in mari agens, hostilibus navibus a casu obvius peregregie se gessit, donec superata ejus classe seipsum interemit, sponteque in mare præcipitem dedit.

Cato mortem etiam lætus accivit, &c.] De interitu Catonis præter supradictos lege Gel. ca. 18. 15. Lact. c. 11. 3. Plura Aug. ca. 23. 1. Civit. Vale. ca. 2. 3. Cicer. 1. Offi. & 1. Tuscul. & alibi sæpe. De Catone Vticensi sic Luc. in 9. Hunc ego per Syrtes Libyesque extrema triumphum Ducere maluerim, quam per Capitolia curru Scandere Pompeii, quam frangere colla Iugurthæ. Ecce parens verus patriæ, dignissimus aris Roma tuis, per quem nunquam jurare pudebit, Et quem si steteris unquam cervice soluta, Hunc olim factura deum. Hora. 1. 2. Liv. li. 114 Plura Hirtius lib. 6. comment. de bello civili.

Quasi non esset usquam dimicatum, &c.] Bellum contra Pompeja. in Hispania a Cæsare gestum scribunt Plut. in Cæsare. App. 2. bellorum civil. Late Hirtius li. 6. comment. de bello civili. Val. cap. 6. 7. De Munda Hispaniæ civitate, & bello ibi a Cæsare gesto multa Strabo lib 3. Meminit Lucanus ini. Vltima funesta concurrant prælia Munda. Syl. in 3. Et Munda Emathios Italis, &c.

Tribus & viginti vulneribus, &c.] De Cæsaris interitu scribunt præter supradictos Virg. 2. Geor. Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam, Quum caput, &c. per totum. Hora. primo Carminum ponit plurima prodigia, quæ mortem Cæsaris consecuta sunt: Iam satis terris nivis atque diræ Grandinis misit pater, &c. Spurina aruspex Cæsari prædixerat, ut proximos triginta dies caveret, quorum ultimus erat Idus Martiæ: eoque quum forte mane uterque in domum Calvini Domitii ad officium convenisset, Cæsar Spurinnæ: Ecquid scis Idus Martias jam venisse? Et is: ecquid scis illas nondum præterisse? Autor Val. ca. 11. 8. Idem scribit Suet. in 1. Calphurnia præterea Cæsaris uxor nocte, quam is ultimam in terris egit, in quiete vidit, multis eum confectum vulneribus in suo sinu jacentem, somniique atrocitate vehementer exterrita, rogare non destitit, ut proximo die a curia se abstineret. At ille ne muliebri somnio motus id fecisse existimaretur, Senatum in quo ei parricidarum manus illatæ sunt, adire contendit. Idem Val. lib. 1. cap. de somniis. Eo præterea die, quo Cæsar purpurea veste velatus aurea in sella consedit, ne maximo studio Senatus exquisitum & delatum honorem sprevisse videretur, priusquam exoptatum civium oculis conspectum sui offerret, cultui religionis in quam mox erat transiturus vacasset, mactatoque opimo bove, cor in extis non reperit.

Digitized by Google

reperit. Ac responsum sibi a Spurinna aruspice, pertinere id signum ad vitam & consilium suum, quod utraque hæc corde continerentur. Erupit deinde eorum parricidium, qui dum Cæsarem hominum numero subtrahere volunt, deorum consilio adjecerunt. Val. lib. 1. ca. de prodigiis & Cic. lib. de divin. Dicit ibidem Cicero Cæsarem in curia Pompejana ante ipsius Pompeji simulacrum, tot centurionib. suis inspectantib. a nobilissimis civib. partim etiam a se omnibus rebus ornatis trucidatum fuisse. Conspiratorum in cædem Cæsaris nomina lege apud App. 2. bellorum civilium. Ibidem totam cædis seriem copiose explicat. Ovid. 3. Fasto. dicit in Cæsaris umbram, non in ejus corpus sacrilegos desævisse. Ait enim, *Præteriturus eram gladios in principe fixos, Quum sic a castis Vesta locuta focis. Ne dubita meminisse, meus fuit ille sacerdos, Sacrilegæ telis me petiere manus. Ipsa virum rapui, simulachraque nuda reliqui. Quod cecidit ferro, Cæsaris umbra fuit. Ille quidem cœlo positus Iovis atria videt. Et tenet in magno templa dicata foro,* &c. Signa quæ mortem Cæsaris præcesserunt eleganter canit Ovid. 15. Meta. ibi, Talia nequicquam toto Venus anxia cœlo, & Suet. tit. 80. lib. 1. Ejusdem Cæsaris translationem in deum scribit idem Ovid. ibidem, Hic sua complevit, &c. Vt enim sæpe dictum est, nobis omnia referre non placet. Advertendum Iulium Cæsarem tria civilia gessisse bella contra Cn. Pompejum in Pharsalia, contra Scipionem & Catonem in Aphrica, contra Sex. Pompejum in Hispania. Autores Serv. 6. Aeneid. App. cæteri. Luc. in 1. Diros Pharsalia campos impleat, & Pœni saturentur sanguine manes. Vltima funesta concurrant prælia Munda.

Cæsar Augustus.

CAPUT III.

Populus Romanus Cæsare & Pompejo trucidatis, &c.] Caput istud tertium quasi procemium est ad Cæsaris Aug. res gestas. Cujus si quis in unum Tantarum speret cumulos advolvere rerum, Promptius inponet glaciali Pelion Ossæ. Gesta autem Octavii Augusti scribunt Liv. a 116. lib. ad finem usque operis. Appia. lib. 1. 3. 4. & 5. bell. civi. Suet. lib. 2. Pluta. in vitis Iulii Cæsaris, Cicero. M. Anto. M. Bruti Plura. compendiose more suo Plin. cap. 45. 7. nat. hist. Solin. c. 3. Gel. cap. 24. 10. & cap. 7. 15. *Macrob.* Satur. Valer. lib. 1. capite de somnio, item. cap. 6. 7. Lactant. capite 8. 2. Sex. Aurelius, Sex. Ruffus, Ser. 6. Aeneid. super illud Virg. Hic vir hic est tibi. Eutrop. lib. 7. Orosius libr. 6. Quæ de eo scribunt Virgilius, Ovidius, Horatius, ac poetæ cæteri locis suis adducentur. Advertendum, Cæsarem Augustum quinque civilia gessisse bella. Suetonius tit. 9. secundi, & Servius 9. Aenei. Propertius 1. 2. Luca. in 1. ibi, Hac mercede placent diros, &c.

Bel-

Digitized by Google

Bellum Mutinense.

Caput IV.

Prima civilium motuum causa, &c.] Bellum Mutinense scribunt Liv. li. 117. 118. 119. Appia. lib. 3. bellorum civil. Plutar. in M. Antonio Front. ca. 7. 1. c. 13. & 14. 3. Cice. in Philip. Suet. tit. 10. & inde lib. 1. Meminit Ovid. 15. Met. qui de Augusto loquens sic inquit: Illius auspiciis obsessæ mœnia pacem Victa petent Mutinæ. Idem Ovid. dicit. 4. Fast. M. Antonium victum ab Octavio bello Mutinensi 18. Cal Majas. Luce secutura tutos pete navita portus, Ventus ab occasu grandine mixtus erit. Sit licet & fuerit, tamen hæc Mutinensia Cæsar Grandine militia contudit arma sua.

Cujus secundus hæres Antonius, &c.] Non lego M. Antonium hæredem institutum a C. Cæsare. Cæsar, inquit tit. 83. 1. Suet. tres instituit hæredes sororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante, reliquos in ima cera. C. Octavium etiam in familiam nomenque adoptavit: pluresque percussorum in tutoribus filii, si quis sibi nasceretur, nominavit. D. Brutum etiam in secundis hæredibus. Appian. circa finem 1. bellorum civilium non nominat alium primum hæredem, nisi Octavium sororis suæ nepotem, ac filium adoptivum, & subdit: Miserandum porro vel imprimis id visum est, quum Decium Brutum ex ejus percussoribns inter secundos hæredes scriptum cognovisset. Consuetudo nempe Romanorum in testamentis fuit, primis hæredibus secundos addere, ut si primi hæredes non adissent, nanciscerentur ultimi.

Acerrimi iuvenis, &c.] Decreverat senatus, ne quis Augustum puerum diceret, ne majestas tanti imperii minueretur. Autor Servius in Bucol. Virg. sæpe Octavium iuvenem nominat, ut, Hic illum vidi juvenem Melibœe. &, Hunc saltem everso iuvenem succurrere seclo Ne prohibe, &c. Lege Cice. 4. & 5. Philip. De D. Bruto obsesso Fron. c. 13. & 14. 3.

Triumviratus.

Caput V.

Quum solus etiam gravis paci, &c.] Exponunt hoc capite contenta Liv. li. 119. & 120. Pl. in M. Antonio, in M. Bruto, in M. Cic. Appia. lib. 3. & 4. bellorum civill. Sueto. tit. 12. 13. & 17. lib. 2. Eutrop. cap. 1. 7. Oro. c. 16. 6. Meminerunt Plin. c. 45. 7. Et Sol. c. 3. *Apud Confluentes inter Perusiam & Bononiam*] Asserit 4. bellorum civilium lib. Appi. Octavium, Antonium & Lepidum convenisse in eam peninsulam, quam circa Mutinensem urbem Labinus fluvius efficit. De Ciceronis interitu præter supradictos lege Val. lib. 1. ca. de ausp. item cap. 3. 5. August. cap. 30. 3. Civit.

Digitized by Google

Bellum Cassii & Bruti.

CAPUT VI.

B*rutus & Cassius post Cæsarem*, &c.] Bellum Cassii & Bruti scribunt Liv. li. 121. 122. 123. & 124. Plutar. in M. Antonio & M. Bruto. Appian. lib. 4. bello civili. Val. lib. 1. c. de ominibus cap. 2. 3. cap. 6. 4. c. 1. 5. cap. 2. & 8. 6. cap. 9. 9. Eutrop. cap. 1. 7. Suet. tit. 13. 2. Orosius cap. 16. 6. Front. c. 2. 4. Lege quæ scribit Lucanus li. 3. ibi: At non magnonimi perculsit [illegible]

Nam & assuetæ, &c.] Binas aquilas ad eos advolantes argenteis vexillis consedisse fama est, se invicem rostris, & unguibus lacerantes, vel, ut aliis placet, se mutuo observantes ac mansuetes, quæ publicis alimoniis a prætoribus educatæ sunt, eaque die, quæ pugnam antecessit, volantes abierunt. Autor App. li. 4. bello civil. Val. lib. 1. c. de auspiciis. Et rursus, Alites, inquit, exercitui insidentes sæpenumero mœstum clangorem edidere. Idem scribit Plut. in Bruto. Hoc idem accidit ante pugnam Philippicam inter Cæsarem & Pompejum. Luc. in 7. Nec solum Hæmonii funesta ad pabula belli Bistonii venere lupi, &c. Vultures triduo ante aut biduo volare soliti sunt, ubi cadavera futura sunt. Plin. c. 6. 10. Herodotus Brysonis Rhetoris pater, vultures ex diverso orbe nobis incognito advolare putavit, argumento quod nemo nidum vidisset vulturis, & quod multi exercitum sequentes repente appareant. Aristoteles cap. 5. 6. naturæ animalium.

Obvius Aethiops, &c.] Ex Asia, inquit Appianus in 4. in Europam Bruto trasmissuro cum exercitu, nocte deficiente pene lumine horrendam vigilanti astitisse imaginem, quam quum impavide rogaret ille, quinam hominum aut deorum esset, hoc solum respondisse: Tuus o Brute dæmon malus: in Philippis me videbis. eamque novissima in pugna quæ in Philippis acta est, iterum illi apparuisse. Exercitui e castris exeunti Aethiopem obvium factum memorant, quem ut iniquum omen aversati interemere milites. Idem scribit Plutarh. in Bruto. Idem contigisse Cassio Parmensi apud Athenarum urbem, docet Val. lib. 1. tit. de somniis cap. 7. Faciunt huc quæ scribit idem Val. lib. 1. tit. de ominibus cap. 7. & 8.

Cæsaris medicus somnio admonitus, &c.] Somnium istud lege apud Val. Max. li. 1. tit. de somniis. c. 1. De somnio quotuplex sit, cur accidat, quod verum, quodque falsum, notavi plura in annotatio. Claudiani de sexto consulatu Honorii ex Aristotele, Cicerone, Plinio, Macrobio, Augustino cap. 26. de spiritu & anima. Lucret. 4. li. de rerum natura. Et quo quisque fere, &c.

Bel-

Digitized by Google

Bellum Perusinum.

CAPUT VII.

A Lterum bellum concitavit, &c.] Hoc bellum scribunt Florus lib. 136. abbrevia. Suet. tit. 14. & 15. lib. 2. Latius Appia. lib. 5. bellorum civilium. Eutrop. cap. 1. 7. Oros. cap. 16. 6. Plin. cap. 45. 7. Soli. c. 1. Bellum Perusinum, & cætera ab Augusto gesta bella, sic Propert. prima 2. explicat. Nam quoties Mutinam, aut civilia busta Philippos, Aut canerem Siculæ Classica bella fugæ, Eversosque focos antiquæ gentis Ethruscæ, Et Ptolemææ littora capta Phari. Aut canerem Ægyptum, & Nilum, quum tractus in urbem Septem captivis debilis ibat aquis, Aut regum auratis circundata colla catenis, Actiaque in sacra currere rostra via. Et Luc. in 1. His Cæsar Perusina fames, Mutinæque labores Accedant fatis, & quas premit aspera classes Leucas, & ardenti Servilia bella sub Aetna. Lege quæ de Augusto scribit Maro. 6. Aeneid. Hic vir, hic est tibi quem, &c. Ex verbis Proper. & Lucani patet, scriptores non semper servare in scribendo eundem ordinem, quo res gestæ sunt. Quare non mirum est, in vetustis Flori exemplaribus post Mutinense bellum Perusinum bellum immediate sequi, nisi hoc poëticæ tribuas licentiæ. Ovid. in fine Metamor. enumerans civilia bella ab Augusto gesta Perusinum prætermisit. Illius auspiciis obsessæ mœnia pacem Victa petent Mutinæ, Pharsalia sentiet illum, Emathiique iterum madescent cæde Philippi, Et magnum Siculis nomen superabitur undis, Romanique ducis conjunx Aegyptia tædæ Non bene fisa cadet, &c.

Bellum cum Sexto Pompejo.

CAPUT VIII.

S ublatis percussoribus Cæsaris, &c.] Quæ hoc capite continentur scribunt Livius li. 127. 128. & 129. Suet. tit. 16. 1. Copiosius Appia. lib. 5. bel. civil. Eutro. ca. 1. 7. Oros. ca. 16. 6. Plin. cap. 45. 7. Solin. cap. 3. Siculo bello ambulante in littore Augusto, piscis e mari ad pedes ejus exilit. Quo argumento vates respondere, Neptunum patrem adoptantem eum sibi, Sex. Pompejo repudiato. Tanta erat navalis rei gloria sub pedibus Cæsaris futuros, qui maria tempore illo tenerent. Autor Plin. c. 16. 9. Lege carmina quæ capite præcedenti adscripsimus. Hoc bellum canit eleganter Horatius ode nona Epodi, Vt nuper actus cum freto Neptunius dux fugit ustis navibus, Minatus urbi vincula, quæ detraxerat Servis amicus perfidis.

Bel-

Bellum Parthicum Duce Ventidio.

CAPUT IX.

Quamvis in Cassio & Bruto, &c.) Hoc bellum scribunt Livius libro 127. & 128. Late Plutarc. in vita M. Antonii. Appia. in eo libro qui Parthicus inscribitur copiose. Iust. lib. 42. Eutrop. c. 2. 7. Oros. cap. 16. 6. Multa Gel. ca. 4. 15. Noctium Atticarum. Et Val. Max. c. 10. 7. Front. cap. 1. 1. & cap. 2. 2. docet, quo astu Parthos superavit. Ventidius *hic primus Romanorum Parthos superavit.* Autor Eusebius in temporibus. Addit Appianus, Ventidius de Parthis usque ad ætatem nostram solus triumphat, vir natione ignobilis: quum in Antonii amicitiam se insinuasset, illustrium rerum occasiones adeptus est, quibus strenue usus, satis approbasse credit quæ de Antonio & Cæsare dicta sunt, feliciores per alios quam per seipsos esse in bello duces. Lege Gellium & Valerium ubi supra. Docet idem Appianus, Parthos decem & octo prælijs a Romanis superatos.

Bellum Parthicum cum Antonio.

CAPUT X.

Expertis invicem Parthis atque Romanis, &c.] Autores historiæ sunt Florus 130. li. suarum abbreviationum. Plutarc. in vita M. Antonii, Appianus in Parthico, Iustinus lib. 42. Eutrop. capite primo septimi. Orosius ca. 16. 6. Frontinus cap. 3. & 13. secundi.

Gens præter armorum fiduciam simulat fugam, &c.] Scribunt Appianus in Parthico: Plutarchus in M. Crasso, Parthos fugientes sagittas a tergo emittere, qua arte non minores quam consistentes calamitates hostibus inferre. Virg. Fidentemque fuga Parthum, versisque sagittis. Lucanus, Emissa Parthis post terga sagitta. Horatius 12. ode 2. Car. Idem scribit Naso primo de remedio, & in Ibin. Primo de arte, Quid fugis ut vincas & cæt. Claudianus, Parthis sagittas tendere certior. Latius scripsi rem hanc in Epithalamio Honorii & Mariæ apud Claudianum.

Non minor ex aqua postea, &c.] De hac re sic Appianus in Parthico: *Primi igitur*, inquit, *ad flumen quoddam pervenere, cujus aqua frigida admodum ac splendida fuit, verum salsa & venenosa: cujus causa adurente siti præcordia a dolore vexabantur. Quod quum a Marco, &c.* Idem scribit Plutarchus in Antonio. De Salmacide Cariæ fonte, qui ingredientes in eum effœminat ac molles reddit. Lege apud Ovidium 4. Metamorphos. ibi, Prætereo, dulcique animos novitate, & cætera. Lege Strabonem lib. 14.

De sexdecim legionibus, &c.] Secundum enumerationem Appiani fuerunt

im

in exercitu Antonii fere tredecim supra centum milia hominum, ex quibus quum Antonius numerum recenseret 20. milia peditum, quatuor equitum milia amisisse comperit: non tamen omnia bello, inquit, cæsa, verum supra dimidium morbis valetudineque consumpta. Plutarchus dicit Antonium habuisse in suo exercitu 370. milia hominum. In Parthorum vero exercitu equitum milia 400. In numero autem peremptorum Plutarchus cum Appiano concordat.

Bellum cum Antonio & Cleopatra.

Caput XI.

Furor Antonii, &c.] Quæ hic scribuntur, habentur a Livio 130. & tribus sequentibus. Late Plutarchus in M. Antonio. Suetonius tit. 17. & 18. lib. 2. Eutro. ca. 2. 7. Orosius c. 17. 6. Val. ca. 8. 3. August. cap. 30. 3. Civitatis. Lactant. cap. 8. 2. Lege quæ scribit Plinius cap. 35. 9. cap. 3. 21. cap. 3. 33. Macrob. 3. Satur. versus finem.

Romanum imperium petit, &c.] Ovid. 15. Met. Romanique ducis conjunx Ægyptia tædæ Non bene fisa cadet, frustraque erit illa minata Servitura suo Capitolia nostra Canopo. Item in fine 1. Fast. Idem scribit Horatius penultima primi Carmin. Dum Capitolio Regina dementes ruinas Funus & imperio parabat, Contaminato cum grege turpium Morbo virorum, quodlibet impotens Sperare, fortunaque dulci Ebria, sed minuit &c. Propert. 2. 2. Aut canerem Ægyptum &c. Latius elegia 7. 4. Meminit Iuvenalis satyra 2. Plura Virg. in fine 8. Æneid. Hæc inter tumidi late maris &c. *Ab ebrio imperatore.*] Scribit Pli. in fine 14. historiæ natu. M. Antonium hominem ebrium fuisse, edito etiam volumine de sua ebrietate, quo patrocinari sibi ausus approbavit plane, & cætera quæ sequuntur.

Bella adversus Gentes exteras.

Caput XII.

Hic finis armorum civilium, &c.] Quæ hoc ultimo capite scribit Florus habentur compendiose a Suetonio tit. 20. & 21. lib. 2. Livio li. 132. & sequentibus. Eutrop. ca. 2. & sequentibus lib. 7. Oros. 17. ac deinceps li. 6. Quas gentes Augustus devicit, enumerat Virg. in fine 8. Æneid. Item Ovidius libro 15. Metamorph. ibi, Quid tibi barbariam &c. Lege quæ scribit 2. Trist. Horat. 14. & 15. 4. Carminum. Appianus in eo libro qui Illyrius inscribitur, circa medium enumerat gentes quas Augustus subegit. Hæ autem sunt, Oxyei, Perthenethæ, Bithiates, Thaulatii, Cambei, Meromeni, Parislei, Docleatæ, Carinii, &c Lege Sextum Ruffum.

In hos expeditionem ipse sumpsit, &c.] Hanc Illyricam expeditionem scribunt

Digitized by Google

bunt Livius li. 32. Appia. in Illyrio, Octavianus externa bella duo omnino per se gessit: Dalmaticum adolescens adhuc, & Antonio devicto Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera excepit, una acie dextrum genu lapide ictus, altera autem crus, & utrumque brachium ruina pontis consauciatus. Autor Suet. tit. 20. li. 2. Appi. dicit hoc accidisse non Dalmatico, sed Iapodum bello: item non in acie, sed urbis expugnatione. Hanc urbem Metulium nominatam dicit. Quam rem lege ibidem copiose. De Illyrio Plin. c. 12. 3. & Strabo li. 3. Illyriorum situs & eorum originem affatim Appianus ubi supra. Bellum contra Pannonios ab Augusto gestum signant magis historici quam explicant. Appianus in Illyrico abunde scribit Pæonum ab Augusto expugnationem. Quos enim Latini Pannonios dicunt, Græci eos Pæones nominant. Appi. meminit cujusdam Elbii, per quem Possenos, qui ab Augusto defecerant, domuit. Non lego Vibium aliquem, a quo sint subacti Pannonii. Et hoc monendi gratia. Bellum contra Dalmatas ab Augusto gestum dicunt omnes qui Augusti gesta scribunt, sed copiose, ut cætera, Appianus in libro quem Illyricum inscripsit. Lege Suetonium tit. 20. 2. Strab. li. 7. Delminium urbem incensam a M. Figulo dicit Appi. ubi supra. Credo ob hoc legendum non Marius, sed Marcus, hoc c. in Floro. Quod de Mysiis hic scribitur, sumptum est ex li. 134. & 135. Liv. Appia. in fine Illyrii. M. enim, inquit, Luculli frater, qui Mithridatem debellavit, Mysiorum regionem excurrit omnem & usque ad fluvium cursum tenuit, nec ulterius quicquam a Ro. Remp. regentibus, contra Mysios actum fuisse, aut ad tributa redactos esse, aut ab Augusto gestum fuisse memini. Sueton. Eutrop. Oros. inter gentes subactas ab Augusto non numerant Mysios. Liv. cum Floro sentit. Idem Livius lib. 135. scribit quod de Thracibus hic Florus habet. Pauci etiam meminerunt belli Thracii ab Augusto gesti. Sed Livium sequitur Florus lib. 135. Dacos subactos ab Augusto dicunt omnes. Vir. in fine 8.

Germaniam quoque utinam, &c.] Bella in Germania auspiciis Augusti a Druso gesta scribit Livius lib. quatuor ultimis ab urbe cond. Strabo in principio 7. Eutrop. & Oros. ubi supra, Va ca. 3. 4. & c. 2. 5. De isto Druso ad Cæsarem Augustum loquens sic 2. Tristium canit Naso: Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis, Ponat & in nitida laurea serta coma, Per quem bella geris, &c. Plura Virg. in fine 8. Æn. Laudes Drusi hujus Lyrico carmine decantat Horat. ode. 4. 4. Carm. eum aquilæ & leoni comparans. Qualem ministrum fulminis alitem, Cui rex deorum regnum in aves vagas permisit, &c. Et subdit, Videre Rheti bella sub alpibus Drusum gerentem Vindelici, quibus Mos unde deductus per omne Tempus, Amazonia securi Dextras obarmet. &c. scribunt Porphyrio & Acron. Flaccum Hor: 4. Carminum librum contra institutum fecisse, in laudem Drusi Neronis privigni Augusti, filii Neronis. Drusi mortem longo simul & eleganti carmine deplorat Ovidius ad Liviam matrem scribens. Scribit Li. Drusum in Germania ex fractura cruris periisse. Tranquillus autem Drusum morbo

Digitized by Google

morbo periisse tradit. Bellum Germanicum simul cum supradictis sic exprimit 2. Tristium noster Naso, Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda, Rhetica nunc præbent Thraciaque arma metum. Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcus Parthus eques, timida captaque signa manu, Nunc te prole tua iuvenem Germania sentit, Bellaque pro magno Cæsare Cæsar habet. Hoc idem lege apud eundem Ovi. in Consolatoria ad Liuiam, ibi, Quod semper domito rediit tibi Cæsar ab orbe, Gestat & invicta prospera bella manu, Quod spes implerunt, &c.

Hercynium saltum, &c.] Hercyniæ sylvæ roborum vastitas intacta & congenita mundo, prope immortali sorte miracula excedit. Vt alia omittantur fide caritura, constat attolli colles occursantium inter se radicum repercussu. At ubi sequuta tellus non sit, arcus ad ramos usque; & ipsos inter se rixantes curvari portarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant. Pli. c. 13. 16. Videtur autem nomen sumptum ex Græco: ἕρκος enim Græce, Latine circuitum septumque significat. Hercynia sylva, inquit Strabo in 7. proceris frequens est arboribus, & munitissimis in locis admittens ambitum, in cujus medio sita est ora ad habitandum accommoda. Sua enim magnitudine, quæ dierum 60. iter occupat, varias regiones ac gentes sepire videtur. Difficilius est provinciam obtinere quam facere. Claud. Plus est servasse repertum, quam quæsisse novum. Et Ovidius primo de arte amandi, Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri. Casus inest illic, hic erit artis opus. De cognomine ex provincia Druso a Senatu dato Ovidius 1. Fastor. Et mortem, & nomen Druso Germania fecit.

Nihil illa cæde per paludes, &c.] Quæ hic scribit Florus lege copiose apud Strabonem in principio septimi, Quibus, inquit, fides adhibita fuerat, ii magnas clades intulerunt, sicuti Cherusci, & eorum ditioni subjecti. In quibus tres Romanorum ordines militum cum Imperatore Quintilio Varo fœderibus fractis per insidias obtruncati sunt. Pœnas vero luerunt universi & Germanico iuniori clarissimum præbere triumphum, in quo illustrium virorum ducta sunt corpora, simul & fœminarum, Semiguntus Segesti filius Cheruscorum ductor, & soror ejus, &c.

Sub meridiano, &c.] Adduntur hæc a Floro in Augu. laudem, ut scilicet ostendat eum ex quatuor mundi partibus, id est, orbe toto victoriam reportasse. Sic Hora. ode 14. 4. Carm. Te Cantaber non ante domabilis, Medusque & Indus, te profugus Scythes Miratur, o tutela præsens Italiæ, dominæque Romæ. Te fontium qui celat origines, Nilusque & Ister, te rapidus Tigris, Te bellicosus qui remotis Obstrepit Oceanus Britannis. Te non paventis funera Galliæ, Duræque tellus audit Iberiæ. Te cæde gaudentes Sicambri Compositis venerantur armis. Idem ode 15. ejusdem 4. Solus Florus & Orosius c. 20. lib. 4. quantum memoriæ nunc occurrit, hos sub meridiano tumultus inter Augusti gesta enumerant. Sueton. tit. 21. 2. dicit Augustum alias item nationes male quietas ad obsequium redegisse. Ptolomæus & antiqua Plinii lectio cap. 4. sic nominant Musulamos. Castigandus Orosius ubi Vsulanos legitur.

Ad

Ad Orientem plus negocii &c.] Scribit Suetonius tit. 64. 2. Augustum ex Agrippa & Iulia tres habuisse nepotes, Cajum & Lucium & Agrippam. Cajum & Lucium adoptavit domi, per assem & libram emptos a patre Agrippa. Subdit Suet. sequenti titulo, Cajum & Lucium in 18. mensium spatio amisit ambos. Cajo in Lycia, Lucio Massyliæ defunctis. Adde tu ad hæc quæ scribunt Eutropius capite secundo septimi, & Orosius capite ultimo sexti.

Sub occasu pacata ferè erat, &c.] Gesta ab Augusto in Hispania scribit Livi. lib. 135. Iust. lib. 44. Suetonius tit. 20. & 21. li. 2. Eutro. c. 2. 7. Cantabrico bello per quinque annos acto, totaque Hispania in æternam pacem cum quadam respiratione lassitudinis reclinata ac reposita, Cæsar Ro. rediit. Quibus etiam diebus &c. Autor Oros. c. 22. 6. Lege Horat. ode 5. & 14. &. 15. 4. Carm. De his populis late Plin. & Strabo lib. 3. Scribit Pli. c. 69. 2. auspiciis Augusti totum Oceanum navigatum fuisse.

Natura regionis circa se omnis aurifer. &c.] Possidonius autor est, M. Marcellum tributum ex Celtiberia exegisse talentum DC. Ex quo conjecturam facere licet, quod Celtiberorum natio frequentissima fuerit, & auri atque argenti copia excellens, tametsi agrum incolentes sterilem. Strabo li. 3. Plin. multa de Hispaniæ fertilitate c. 3. 3. ca. 4. 33. c. ultimo libri ultimi. Solin. cap. 36. Claud. de laude Serenæ de Hispania sic inquit: Dives equis, frugum facilis, preciosa metallis &c. Chrysocolla, inquit, c. 5. 33. Plin. largissima in Hispania. De Minio, Plin. cap. 7. 33. De colorib. ca. 8. 21. cap. 6. 35.

Nam & Scythæ misere legatos &c.] Suet. tit. 21. secundi, Qua virtutis moderationisque fama, Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam, populique Roman. per legatos petendam. Parthi quoque & Armeniam vendicanti facile cesserunt, & signa militaria quæ M. Crasso, & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt &c. Idem scribunt Livius 139. Eutropius & Orosius ubi supra. Hos legatos apud Tarraconem citerioris Hispaniæ urbem, Augustum Cæsarem invenisse scribit Orosius. Lege ipsum in fine sexti: quoniam hanc cæteris copiosius narrat historiam.

Nihil magis, &c.] Distantiam a Gaditano freto quo legati ad Augustum venerunt, ad Orientem, Indos, Scythas atque Seres ponit Plinius c. 33. li. 6. Ab ortu ad occasum, hoc est, ab ipsius Indiæ extremitate usque ad Herculis columnas, Gadibus sacratas, octuagies quinquies centena septuaginta octo millia sunt. Lege Martianum Capellam cap. 5. & duobus sequentibus, libri sexti.

Septingentesimo ab urbe condita an. &c.] Legendum videtur, septingentesimo quinquagesimo, vel septingentesimo quinquagesimo secundo, ut ca. ultimo sexti habet Orosius. Nam, ut etiam supra tetigimus, anno 709. vel 710. ab Vrbe condita Octavianus Romano imperio potitus est. Pax autem de qua hic agitur, videtur accidisse circa annum 28. Imperii ejusdem. Anno enim 15. imperii Tiberii Christus dominus passus est, ut scribunt Tertullianus, Eusebius, La-

Lactantius c. 10. 4. Augustinus cap. ultimo 18. Civitatis: item ceteri. Tiberius autem anno 707. ab urbe condita Romanum imperium adeptus est. Præterea anno septingentesimo ab urbe condita Cicero consul fuit, adhuc Iulio Cæsare superstite, ut capite primo quarti hujus annotatum est. Lege quæ in principio quarti hujus scripsimus.

Tractatum etiam in Senatu, &c.] Quæ hic scribuntur lege late ex tit. 7. 2. Suetonii. Annotandum autem est, Idibus Ianuariis, quo die flamen Dialis in æde Iovis Capitolini vervecem mactare consueverat, Octavian. Augustum cognominatum fuisse. Aut. Ovid. 1. Fast. Quo cognomine sancta vocant Augusta patres. Augusta vocantur Templa sacerdotum rite dicata manu, Hujus & augurium dependet origine verbi, Et quodcunque sua Iuppiter auget ope. Hujus Augusti tanta fuit animi virtus atque morum sanctimonia, ut divinos honores vivus meruerit. Horatius secundo epistolarum: Præsenti tibi maturos largimur honores, Iurandasque tuum per nomen ponimus aras. Sed id excellentius multo, ut: Principe quo summo descendens Christus olympo, Virginis ingressus viscera factus homo est. Hæc pauca habuimus quæ tumultuarie, & unius mensis ocio, ad Flori ampliandam historiam elucubrata publicaremus. Sed vereor ne occasionem pluribus dederim obloquendi, qui ut suæ consuetudini satisfaciant, nostras has unimestres vigilias obnixe culpent. Quibus in præsentiarum non aliud respondemus, nisi ut ipsi Majores majora sonent, mihi parva locuto Sufficit in vestras sæpe redire manus.

F I N I S.

Digitized by Google

EX

IVSTI LIPSII

ELECTORVM


LIBRO II.

IN

L. FLORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google



EX IVSTI LIPSII ELECTORVM

LIB. II.

CAPUT. V.

Locus in Floro magis eximius correctus. Veterum fluctus & erratio super religione Iudaica. Vitis aurea in eorum templo, quid, quaque forma ea fuerit. Plinius explicatus.



Luc. Annæus Florus (ita enim indigetare cum priscis libris malim, quam Iulium: quoniam Hispana origine fuisse colligo, & nisi fallor ex ipsa Senecarum gente.) is inquam Florus compendium non tam Livii, a quo sæpe dissentit, quam rerum Romanarum scripsit; si quid mei judicii est, composite, diserte, eleganter. Subtilitas quidem & brevitas in eo sæpe mira: & sententiarum quædam gemmulæ cum judicio insertæ & veritate. Is liber & vulgi manibus tritus, & limatus nuper doctorum virorum censuris, probe & perite, fateor: nisi quod sordium etiam nunc aliquid superest, purgandum nobis. Inter eas locus de victoriis Pompeii Magni.

LIB. III.

CAPUT V.

Hierosolyma defendere tentavere Iudæi: Verum hæc quoque intravit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, sub aureo uti cælo.

 Nam

Digitized by Google

Nam quæ istæc comparatio patentis arcani, cum aureo cœlo? Inepta, & nulli rei. Quin si attendis, fatebere vere nos & cum historiæ momento emendasse, *sub aureo vitem cælo*. Ita scilicet res est. Vitis aurea magnæ artis & pretii, in Iudæorum templo fuit, quam Pompejus illic, sive repperit, ut Florus & Tacitus volunt; sive oblatam ab Aristobulo recepit, ut Iosephus & Zonaras narrant. In hanc vitem ludit & dentem stringit nunc Florus: & En, inquit, hoc illud secretum & grande arcanum, quod templi sui adytis Iudæi cælant & colunt. Nam Græci plerique & Romani, quoniam sacra illa gens aliena a ritibus receptis & profanis, nec statuas in templo haberent aut simulacra, mira & prodigiosa de religione eorum & mysteriis suspicati. Alii mundum ab iis coli, alii nubes, alii Bacchum: quidam asinum, & suem. At Florus quasi rem acu tangens, prodit de vite. De qua ipsa Tacitus: *Sed quia sacerdotes Iudæorum tibia tympanisque concinebant, vitisque aurea in templo reperta, Liberum patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati sunt*. ubi hoc amplius discis, vitem hanc tractam in argumentum Liberi culti. Quæ opinio item Plutarchi est, diffuse posita & firmata ab eo in libro IIII. Symposiac. quæstione v. Josephus de vite eadem. lib. Antiquitat. XIV.

Πομπηΐου δὲ εἰς Δαμασκὸν ἀφικομένου, ἧκον παρ' αὐτὸν πρέσβεις ἐξ ὅλης Συρίας, καὶ Αἰγύπτου, καὶ ἐκ τῆς Ἰουδαίας. ἔπεμψε γὰρ αὐτῷ μέγα δῶρον Ἀριστόβουλος, ἄμπελον χρυσῆν ἐκ πεντακοσίων ταλάντων. μέμνηται δὲ τοῦ δώρου καὶ Στράβων ὁ Καππάδοξ, λέγων οὕτως· ἦλθε δὲ καὶ ἐξ Αἰγύπτου πρεσβεία καὶ στέφανος ἐκ χρυσῶν τετρακισχιλίων. καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας εἴτε ἄμπελος, εἴτε κῆπος. τερπωλὴν ὀνόμαζε τὸ δημιούργημα. τοῦτο μέντοι τὸ δῶρον ἱστορήκαμεν καὶ ἡμεῖς ἀνακείμενον ἐν Ῥώμῃ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτολίου, ἐπιγραφὴν ἔχον Ἀλεξάνδρου τοῦ τῶν Ἰουδαίων βασιλέως. ἐτιμήθη δὲ εἶναι πεντακοσίων ταλάντων.

Id est: Pompeius autem cum Damascum venisset, legati ad eum venere ex omni Syria, Ægypto, Iudæa. Misit vero illi insigne donum Aristobulus vitem auream, pretii quingentorum talentorum. Cujus doni Strabo etiam Cappadox meminit, his verbis: Venit & ex Iudæa sive vitis, sive Hortus. Terpolem, id est delectamentum, vocabant id opus: quod vidimus etiam nos Romæ dedicatum in templo Iovis Capitolini, cum inscriptione Alexandri Iudæorum regis: æstimabaturque quingentis talentis. Et ex eo Zonaras: μετ' οὐ πολὺ δὲ Πομπηΐου ἀφικομένου εἰς Δαμασκὸν, ἧκον πρέσβεις πολλαχόθεν τε καὶ ἐξ Ἰουδαίας, δῶρον ἐξ Ἀριστοβούλου μέγα κομίζοντες, ἄμπελον χρυσῆν ἐκ πεντακοσίων ταλάντων. ταύτην ὁ Ἰώσηπος φησὶν ἐν Ῥώμῃ τεθεᾶσθαι, τῷ ἐν Καπιτωλίῳ ἀνατεθειμένην Διΐ. id est: *Non multo post Pompeio Damascum profecto, cum multis aliis ex locis, tum e Iudæa legati venerunt, vitem auream, munus Aristobuli, ferentes, quingentum talentum. quam se Iosephus Romæ vidisse asserit in Capitolio dedicatam.* Ad hanc ipsam nobilem vitem traho Plinii locum, sive Actorum potius, quorum verba in Plinii 37. cap. II. ubi inter dona, triumpho Asiatico, Pompejus intulisse fertur *Montem aureum quadratum, cum ceruis & leonibus & pomis omnis generis, circumdata vite aurea.* Quibus verbis apposite obserua, vitem hanc non simplicem fuisse, sed monti aureo implexam, totumque opus in formam horti flexum. Ideo in Strabonis verbis apud Iosephum, εἴτε ἄμπελος εἴτε κῆπος, ambigue positum. Ideo in Floro *vitis sub aureo cælo.*

Ex

Ex Libro Electorum II.

Caput. XV.

Multitudo & frequentia ergastulorum mira. Totam Italiam obtinebant, nec liberis capitibus jam in ea sedes aut locus. Livius jure queritur libro 6. *Olim multitudinem innumerabilem liberorum capitum in iis locis fuisse, quæ nunc, vix seminario exiguo militum relicto, seruitia Romana ab solitudine vindicant.* Et adposite Seneca, in verbis supra, *Greges vinctorum metari*, dixit: copiam hanc adspiciens, & quod iis tantum non per cohortes & legiones metanda velut castra. Sparsa etiam per provincias. Florus de Sicilia libr. 3. cap. 19. *Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana provincia, latifundiis civium Latinorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergastula, cathenatique cultores, materiam bello præbuere.* Quo loco parum mihi grati aut rati cives illi Latini. quis veterum ita loquitur? socios Latinos dicunt, non cives. Res ipsa non vera. certe enim Romani ipsi agros eos habuerunt, non Latini. Corrigo, nisi fallor, apte, *civium lautiorum.* Divites scilicet intelligit & lautos, qui per illam aliasque provincias late possidebant. In terra etiam Gallia ita crebra, ut M. Antonius ad Mutinam victus & fugiens, exercitum suum ex iis supplere conatus sit. D. Brutus ita scribit ad Ciceronem: *quacunque ivit, ergastula soluit, homines abripuit.* Nec aliam magis intimam caussam scio solitudinis & vastitatis inductæ per Romanas provincias: qua Barbaris deinde expositæ in direptionem & prædam.

Ex Eodem Lib. II. Electorum.

Caput XIX.

In Florum complura ab ingenio aut a libro emendata. Subrecti vel surrecti vox. Lucilius correctus & explicatus. Vmbri veteres Italiæ incolæ. Remos detergere nauticum verbum. Postpositio copulæ notata, & Agellii firmatæ scripturæ veteres. Perses rex templo receptus. Plebs hæreditatis jure poscebat agros. & notæ plures.

Annæus Florus, etsi acrium aliquot Criticorum manus subiit, non effugiet tamen meas. Medicinam a me aliquot locis accipiet, aut quis scit si novas plagas? Vere enim anceps nostrum auxilium, imo sæpe præceps: & conuenit illud Homeri in ista:

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Flo-

Digitized by Google

FLORIS LIB. I.

CAPUT XIII.

DE GALLIS.

Hi quondam ab ultimis terrarum oris, cum cingerentur omnia Oceano, ingenti agmine profecti.

Liber scriptus, qui apud me, hic melior: *ab ultimis terrarum oris & cingente omnia Oceano.* Magnum enim hoc nostrum mare intelligit, orbique circumfluum.

CAPUT XVI.

De Caudinæ Cladis detersa ignominia.

Et ultionem flagitans miles, Papirio duce, (horribile dictu) subjectis ensibus per ipsam viam ante pugnam furit.

Lege, *subrectis*: & acrem ardorem hunc militis pugnaturientis percipies. Eadem vox restituenda Lucilio, in hisce versibus:

Nam quid moetino subrectoque huic opus signo?
Ut lucraretur lardum & carnaria patrum
Furtim conficeret.

Non, ut viri docti etiam edunt, *subjectoque*. Nam subrectum illud signum, res turpicula est, quæ appendi contra fascinum solita. Plinius, *Contra fascinationes in remedio sunt Satyrica signa.* Satyri nimirum picti & ficti semper. rebus iis surrectis: sicut & hermæ illi viales aut hortenses. Macrobius lib. I. *Plerumque etiam simulacra Mercurii quadrato statu figurantur, solo capite insigniti, & virilibus erectis.* Hoc diduxi: quia doctissimo Turnebo hic nebecula: qui Mutinum etiam interpretatur in illisce versibus, silentii deum. At nos ex Festo & Arnobio longe alium eum scimus.

CAPUT XVII.

Hactenus populus Romanus bellum cum singulis gentium: mox acervatim, tamen sic quoque par omnibus. Etruscorum duodecim populi in tempus incitati, antiquissimus Italiæ populus Samnitium, reliqui in exilium Romani nominis repente coniurant. Hæc confusa, mutila, partim falsa. Corrigo & expleo a meo libro, *Etruscorum* 12. *populi. Vmbri in id tempus intacti, antiquissimus Italiæ populus, Samnitium reliqui in excidium, &c.* Omnino enim inserendum id de Vmbris, qui intacti, & ut Livius in hac ipsa re ait, *integri cladibus belli*: non autem Etrusci aut Samnites.

Sed

Digitized by Google

Sed & iidem Vmbri recte antiquissimus Italiæ populus: quod & Dionysius non abnuit libro primo.

Eod. Cap. de Fabio Maximo in Etruscos pugnante.

Nam subito inconditos atque palantes aggressus est, captisque superioribus jugis in subjectos suo more detonuit.

Quid illud, *suo more*? An sæpius id a Fabio factum? Parum aptum, & vanum est: scripserimque, *Iovis more*. Spectavit enim ad Detonandi verbum: & certe sequitur, *Ea namque species fuit illius belli quasi in terrigenas e cœlo ac nubibus tela mitterentur.* Itaque omnino cum Iove eum comparare voluit, & quidem gigantes ex alto attonante.

Caput XXII.

Cum senatu quoque de æquo bonoque certatum est: adeo ut relictis sedibus solitudinem & interitum patriæ suæ minarentur.

Certamina inter Senatum & plebem, at non de æquo aut bono. Scribe cum meo libro: *Cum senatu quoque vehementius æquo bonoque certatum est*, id est, *acrius quam æquum bonumque esset.*

LIBRO II.

Caput II.

De pugna Duilii navali: *Prælii vero fama mirabilis, cum illas celeres volucresque hostium naves, hæ graves tardàsque comprehenderent. Longe illis plus nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fuga rostra. Injectæ enim ferreæ manus, machinæque aliæ ante certamen multum ab hoste derisæ.* Locus non semel vitiosus. Primum lego, *prælii vero forma mirabilis.* non *fama.* De ipsa enim imagine habituque pugnæ loquitur, non de rumore. Deinde ex prisco libro, *longe enim nauticæ artes.* Omnino eleganter. Procul, inquit, Pœnis maritimæ suæ artes & sine usu, contra vim fortunamque Romanam. Genus dicendi elegans, huic nostro infra iteratum, & in Cæsare etiam corruptum, libro I. *Longe iis fraternum nomen populi R. afutirum*, scribendumque, *futurum.* Postremo iterum e conjectura, *detergere remos.* Quid enim artis in detorquendis remis? nec sane legi. At detergere nautica & maritima phrasi, nimis crebro, quod non aliud, quam transuersæ navis hostilis cum impetu & transcursu remos perfringere, auferre, & velut puram ab iis reddere, qua forma detergere palmites, scriptum Columellæ: Detergere pinnas muri, Livio. Cæsar de Massiliensibus: *Pluribus navibus adoriri singulas, aut remos transcurrentes detergere, si possent.* con-

Digitized by Google

contendebant. Livius 36. *Duæ regiæ unam circumsistunt, & ab utroque latere remos detergent.* Et exempla obvia.

Ibidem.

Metello igitur consule, spirantibus altius Pœnis & reverso in Siciliam bello apud Panormum sic hostes cecidit, ut ne amplius ea insula concitaretur.

Vetus, *ut nec amplius eam insulam concitarent.* Ego, *cogitarent*, rectum censeo.

CAPUT VI.

De Fabii legati animosa voce, & facto in curia Carthaginiensium: *Quæ, inquit, mora est? Fabius. in hoc ego sinu bellum affero & pacem. Vtrum eligitis, utrum placet, sumite cumque succlamatum esset, &c.*

Multo brevius & concinnius noster; *in hoc ego sinu bellum pacemque porto. Vtrum eligitis? cumque succl.*

Ibidem. De liberali studio Romanorum in patriam:

Opes suas libens Senatus in medium protulit, nec præter quod in bullis, cingulis, atque anulis erat, quidquam sibi auri reliquere. Apage aurum cingulare. non hoc Romanum. Scribe, *singulis atque anulis.* Augustinus 3. De Civitat. Dei, hac ipsa in re: *Præter singulos anulos aureos singulasque bullas, miserabilia dignitatis insignia nihil sibi auri Senatus ipse reliquit.* Corrumpendo loco transpositio illa copulæ fuit, priscis tamen usitata, & per me nunc revocanda. In Agellio lib. 1. cap. 11. *Totiusque villa venustate, aquis undique canoris atque avibus personante.* In eodem, libro 19. cap. 1. *Nihil de periculo, de sævitia atque remissum.* Et cap. 19. *poculis mox, sermonibus atque tempus fuit.* Quæ tamen omnia mutant contra libros & corrumpunt. Atqui in vetere etiam lege Mamilia clare: *Municipibus, eis atque in quorum agro id factum erit.* Notet, atque imitetur juventus.

Ibidem:

O populum dignum orbis imperio, dignum omnium favore & administratione hominum ac deorum! vetus, *admiratione hominum*, rectissime.

CAPUT VIII.

De Bello Antiochico,

Hoc velut sidere Asiatici belli mota tempestas, & maximus regum conventus fortiter indicto bello, cum ingenti strepitu ac tumultu movisset ex Asia, ocia & luxus tanquam victor agitabat.

Vetus,

Digitized by Google

Vetus, *indixisse bellum.* ex quo scribo, *maximus regum conventus fortito indixisse bellum.* Sententia plana & vera. Non enim tam gessit bellum quam movit.

CAPUT X.

De Victis Istris.

Ipse rex Æpulo equo impositus, cum subinde crapula & capitis errore lapsaret, captum sese vix & ægre, postquam experrectus est, didicit.

Falsum nomen regis nec a Floro positum. Scripserat: *ipse rex ab epulo, equo impositus.* Claudius enim eos epulantes invaserat, ut ante narrat.

CAPUT XI.

Gallogræciam quoque Syriaci belli ruina convolvit. Fuerant inter auxilia regis Antiochi. An fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos visos simulaverit, dubium. certe negatus est victori triumphus, quia causam belli non probavit Senatus.

Distinctione & correctione sententiam totam expedio: *fuerint inter auxilia regis Antiochi, an fuisse cupidus triumphi Manlius, ac eos visos simulaverit, dubium.* Rene ipsa auxiliatores Antiocho fuerint, inquit, an fama tantum & sermone Manlii, ambigitur.

CAPUT XII.

Multo vehementius sub hoc Macedones, quam sub patre consurgunt, quippe Thracas in vires suas traxerant. Atque ita industria Macedonum, viribus Thracum, disciplinam Macedonum temperavere. Plenius veriusque ista meus codex: *Atque ita industriam Macedonum viribus Thracum, ferociam Thracum disciplina Macedonum temperavere.*

Ibidem de Capto Perse: *Sed nec reverentior captæ majestatis alius Paullo fuit. cum in conspectum venisset hostis, in templum recepit, & in conviviis adhibuit, liberosque admonuit suos ut fortunam cui tantum liceret reverentur.*

Aliquantisper anxium me habuit locus. Quomodo enim in templum receptus Perses? quod nemo tradidit: imo omnes contra, in tabernaculum Pauli deductum & in castra. Vetus liber, *receperat*, non *recepit*, ex quo occasio mihi bellæ conjecturæ. *cum in conspectum venisset hostis (nam templo receperat) & in conviviis, &c.* Atque hæc ipsa res est. Perses in templum confugerat. inde ab Octavio eductus & ad Paulum in prætorium perductus, eodem die convivio comiter adhibitus, & ceteri honores habiti. Livium ac Plutarchum vide.

CAPUT XV.

De Carthaginis incendio.

Quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant, ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet.

Acumen & lucem scientiæ reddo: *quatenus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.* Carthaginenses, inquit, sua ipsi templa ædesque incenderunt: ut quoniam urbs eripi jam Romanis non poterat, saltem instrumenta triumphi & prædam non haberent.

LIBRO III.

CAPUT V.

DE BELLIS MITHRIDATAEIS.

Ictum cum Ponticis fœdus. recepit [*Sulla*] *Bithyniam a rege Nicomede, ab Ariobarzane Cappadociam. ac sic erat Asia rursus nostra ut ceperat.*

Hæc manifeste *παρὰ ἀληθινὴν ἱστορίαν*. Scribe vero, *recepit Bithyniam a rege Nicomedes, Ariobarzanes Cappadociam.* Non enim Sulla aut Romani sociis regibus & eo bello bene meritis, avita regna extorserunt, sed contra. Mitridati erepta reddiderunt. Appianus, Plutarchus, & alii clare *in hoc ipso* fœdere Sullano.

Ibidem, De Pompejo.

At in Septentrionem Schyticum iter tanquam in mare stellas secutus, Colchos cecidit.

Optime liber scriptus, *tanquam in mari, secutus stellis*, quasi vagum illud & ignotum Romanis iter ad stellas direxerit, ut cursum nautæ. Et statim, *excidit*, pro, *cecidit*. Vulgata lectio obscura & cum fluctu.

CAPUT VI.

Ipsas Propontidis fauces Porcius Cato, sic abditis navibus, quasi portam observavi

Lego illustri imagine, *obditis navibus quasi porta observavit.*

CA-

Caput XIV.

De seditionibus Agratiis.

Reduci plebs in agros unde poterat, sine possidentium eversione? qui ipsi pars populi erant. Et tamen relictas sibi a majoribus sedes ætate quasi jure hereditario possidebant.

Non ea mens Flori defensum euntis possessores. attende. sed contra quid pro ejecta plebe dici posset, adiecit. Itaque veteri libro recte abest, *ætate vi* quo duce conjicio deinceps, *hæreditario jure poscebant.* Plebs scilicet fraude, vi, pecunia potentium ejecta agris, &, ut ipse capite sequenti loquitur, laribus focisque exul; sedes veteres a majoribus relictas, ut hereditatem, repetebat.

Caput XVIII.

Ipse Iulius Cæsar exercitu amisso, cum in urbem cruentus referretur, miserabili funere mediam etiam urbem perviam fecit.

Sive de Julio hæc vere, sive potius de Rutilio (nam alii Annales aliter:) tamen de pervia Vrbe facta haud convenit. Omnino lego, *Vrbem permadefecit*, compulsis vocibus quæ male diductæ.

LIBRO IV.

Caput I.

De conjuratione Catilinæ.

Tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum, sed parricidii innocens. Tum Consul &c. Vetus, *sed parricidii innocens.* Lego *patriciis innocentius. Consul &c.*

Caput II.

Nunquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia, fuga victimarum, examina, insignes interdiu tenebræ. Auctore libro, *examina in signis*, verissime.

Ibidem.

Photinus atque Ganymedes, diversi per mare, & transfugio & morte consumpti.

Egregie idem liber, *divisa per mare & terras fuga, morte consumpti.*

Ibidem.

Quinam ille horror, cum eodem tempore fluctus, procella, armamenta confligerent?

Noster codex, *procella, viri, naves, scementa confligerent?* optime. sic tamen ut *elementa*, restituam, pro spurca ea Scementorum voce.

Ibidem de nece Iuliana.

Nec diutius dilatio donata est. sed Brutus, Cassius, aliique patricii, consenserunt in cædem Principis, Patriciine? Atqui Cassius ipse quem nominas & plerique conjurati alii, e plebeiis. Emendo, *aliique patrum*. E Senatu enim dumtaxat fuisse eos significat, non e patriciis.

CAPUT VLT.

Astures per idem tempus ingenti agmine a montibus suis descenderant. nec tenuere suos, ut barbari impares: sed positis castris apud Asturam flumen, trifariam diviso agmine, tria simul Romanorum agmina invadere parabant.

Longe diversa libri mei lectio. & palam probior: *nec temere sumpta, ut barbaris, spes: sed positis castris*. Non hæc descensio temeritatis fuit, inquit, quæ agnata barbaris: sed consilii & astutiæ. cum effectu quidem, nisi proditio intervenisset. Sed facio finem, cum pluria sane habeam in hunc scriptorem, verum hæc ipsa nonne nimia? quibusdam scio, qui ad Capita ista paulo pleniora nauseant & fastidiunt, ipsi rerum vacui. Quibus Critice hæc in speciem est, non in usum: qui in multas areas pedesque dividant unicum hunc agellum. At me diffundere & partiri hæc talia jam piget tædetque: admetiar ea potius perticis, imo jugeribus totis. Tibi autem, Lector, quantulum est, adnotare hæc ad oras tui libri? Laborem certe quærendi, cogitandi, non nihil minuit tibi labor noster.

FINIS.

Digitized by Google

IANI GRVTERI
NOTAE
IN
L. FLORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google



IANI GRVTERI NOTAE IN L. FLORI

LIB. I.

PROLOGVM.



SQVE *Cæsarem.*] Sic reposui, auctoritate vetustissimæ editionis, quæque ideo manuscripti codicis vicem suppleat. post cusi, *in Cæsarem.* ut & noster initio libri secundi: *quum a terra fretum usque venisset.*

Late ubique per orbem.] Ita v. e. illud *ubique* aliis abest edd.

Contendisse Virtus & Fortuna.] Non tempero mihi, quin appingam Ammiani verba lib. XIV. *Tempore quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura dum erunt homines Roma, ut augeretur sublimibus incrementis fœdere pacis æternæ, Virtus convenit atque Fortuna plerumque dissidentes: quarum si altera defuisset, ad perfectam non venerat summitatem. Ejus populus ab incunabulis primis adusque pueritiæ tempus extremum, quod annis circumcluditur fere trecentis, circummurana pertulit bella: deinde ætatem ingressus adultam post multiplices bellorum ærumnas, Alpes transcendit & fretum: in juvencm erectus & virum, ex omni plaga quam orbis ambit immensus, reportavit laureæ triumphos: Iamque vergens in senium, & nomine solo aliquoties vincens, ad tranquilliora vitæ discessit,* &c. hæc omnia clarissimam toti prologo aspergant lucem: quibus addatur licet Plutarchus lib. de Fortuna populi Romani.

Sicut cætera] ait Vinetus mss. plerisque abesse bigam verborum istorum. at habentur in v. e. & aut suspicans fallor, aut auctor intelligit reliqua imperia, quæ præcessere Romanum.

Atque in semet.] Quum extet in mss. nonnullis Vineti, *atque insemel*; fere id admiserim.

2 *In seculum nostrum haud multo.*] Sic restitui, manuducente v. e. quæ habebat, *nostrum haud non multo*, post excusi, *nostrum sunt non multo*.

Movet lacertos.] Miror cur summæ diligentiæ & emunctæ naris vir Camers, tentet legere, *movit.* quum de præsenti loquatur auctor, idque vel probet quod modo præcessit, *in seculum nostrum*, huc faciunt illa Prudentii lib. posteriore contra Symmachum:

——Nec enim spoliata prioris
Robore virtutis senuit, nec secula sensit,
Nec tremulis, quum bella vocant, capit arma lacertis.

Quasi reddita juventute reviresscit.] Simile quid de suo ævo Curtius lib. x. *Non ergo reviresscit solum, sed etiam floret imperium*, &c. de suo Prudentius eodem libro, ubi introducit Romam loquentem:

O clari salvete Duces, generosa propago
Principis invicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, vidique meam flavescere rursus
Canitiem. nam quum mortalia cuncta vetustas
Imminuat, mihi longa dies aliud parit ævum;
Quæ vivendo diu didici contemnere finem. &c.

sed abrumpam melius est, nam omnia talium plena, nec mihi nunc propositum scribere commentaria; cui vix temporis superest punctum, conferendi isthæc cum principe editione.

CAPUT I.

Hoc de sesacerdos.] Editi, *Vestæ sacerdos*; sed quum absit ea vox & mss. doctissimi Vineti, nec compareat in nostra editione, deleri posse putavi, quum id ex aliis historiis facile scirent lectores, neque auctor noster instituisset exactam rerum narrationem: punctis tantum omnia signat.

3 *Iam bis septima sobole.*] Sic juxta historias Camers. abest tamen Vineti mss. vocula *bis*. noster editus, *jam septimus sobole.*

Hic palatium occupat.] Sequutus sum mss. Vineti. typis enim cusi omnes *Palatinum.*

Assueta sanguine & præda.] Ita Vineti mss. noster *consueti.*

4 *Hinc templum, & Stator.*] Sic præter Iornandem & lectionem codd. Vin. etiam Vetus noster: & recte: nam aliæ edd. *Hic templum esto, inquit Stator Iupiter*; aut *hic templum est*, &c.

Imposuit juventus.] Ita distinxi, ita scripsi, suasu v. e. posteriores, *imposuit, ut juventus.* &c.

Cui mox.] Editio Vineti, *cui rei mox.* quam extrudi posse putabam quum abesset & mea & reliquis edd.

Quirinum in cælo.] Abest meo præpositio, *in* recte.

Vt gen-

Digitized by Google

Vt gentium Roma potiretur.] Veriſſima certe quam prodidit quidem Vinet. fuiſſe in mſſ. & Iornand. ſed tamen retinere non auſus eſt. ante cuſi, *ut gentium imperio Roma potiretur.* perperam. abeſtque & meo illud *imperio*, qui tamen, *ita gentium*; quomodo & Camertis editio, niſi quod etiam is addat *imperio*. at non aliter Cicero lib. III. de Repub. *Noſter populus ſociis defendendis, terrarum jam omnium potitus eſt.*

CAPUT II.

Ceteraque ſacerdotia.] Ita Vin. editio, aliæ *ceteroſque per ſacerdotia.*

Vt quod vi & injuria occupaverat. &c.] egregia vero laus; quamque ſugillat plus uno loco Lactantius, Auguſtinus, alii.

CAPUT III.

Exercita juventute.] Ita malui cum v. c. & mſſ. quam quod præferunt vulgati: *exercitata.* Virg. I. Georg. *Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.* Saluſt. bell. Iugurth. *forte Nabdalſa exercito corpore feſſus, in lecto quieſcebat.*

Sic (rarum) unius manu. &c.] Ita antiqua noſtra editio, niſi quod, *Sic rerum unius manu.* &c. vulgati, *Sic (rarum) aliàs decus unius*, &c.

Sed facinus intra gloriam fuit.] Ita malim quam quod edidit ex Iornande Vinetus, *infra gloriam.* rationes promſi Suſpicionum lib. VIII. cap. X.

Nec diu in fide Albanus] Ita v. c. aliæ, *Nec diu in fide manſit Albanus.*

6 *Metium Fuffetium.*] Ita etiam v. c. non ut olim vulgati *Suffetium.*

CAPUT IV.

Nepos Pomponii.] Ita v. c. aliæ, *nepos ex filia Pomponii*, quod ambigo an conveniat compendioſæ narrationi auctoris.

CAPUT V.

Quippe qui Corintho oriundus.] Non agnoſcit v. c. dictionem *oriundus*; & per me ſpuria ſit licet. ſic Livius lib. I. *Turnus Herdojonia.* Plautus Mercatore, *hoſpes Zacyntho.* deſtitutus tamen præſidio membranarum, nihil mihi tribui cupio meæque cenſuræ, niſi quod jus fas poſtulat. quod ſemel dictum volui.

7 *Sacer auguratus.*] v. c. *auguriatus.*

Inde quod aureo.] v. c. *indeque aureo*, non omnino male.

CAPUT VI.

Nam eximiam indolem.] Ita v. e. aliæ, *nam ob eximiam.*

Sic egit industriè.] Ita ed. Vineti. priores, *industria*, nescio quid præferam: inclino tamen magis in prius.

CAPUT VII.

8 *Regem salutaret super.*] v. e. *salutasset supra*, &c.

Sævitiam jam domi.] Adverbium *jam* abest v. e. nec multum habet quod hic agat. haud tamen temerè abegerim.

Virgula decussit, quum per hoc.] Ita editus à Vineto. antea erat, *virgula excutiens*, quum &c.

Quæ superbia sic respondit.] Clara hic mihi omnia, si modò animentur interrogationis nota: itaque non erat cur Stadius ista editione sua excluderet, aut de earum sanitate ambigeret Vinetus.

Quæ superbia sic respondit.] Sed Andr. Schottus sic interpungit, ut (*quæ superbia*) parenthesi cum admirationis nota includatur, sitque exclamatio declamatori huic, ut gentis Anneæ familiaris, quales & in Valerio Max. occurrunt plurimæ. Est enim superbia & interrogantis interrogatum respondere nolle. Cicero initio Topicorum ad Trebatium; *Ne aut ingratum id aut superbum videretur.* Et ex ea Id. lib. I. ad Famil. M. Valerio Iurisconsulto. *Qui istinc nunc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas, partim contumeliosum, quod male respondeas.* Et I. Tusculana. *Quod si te interrogavero aliquid, nonne respondebis? Superbum id quidem est, sed nisi quid necesse erit, malo non roges.*

Tamen non de manubiis.] v. e. *Tum de manubiis.*

CAPUT VIII.

9 *Ita res poposcit.*] Sic scripsi cum v. e. reliquæ, *talem res pop.*

Ipsa se noscoret.] *Nosset.* v. e.

CAPUT IX.

Mutato tamen & indice & nomine.] Ita rectè Vinetus. priores, *Judice.* Jornandes, *jure.*

10 *Pro concione.*] Ita scripsi, auctore v. e. alii, *pro libera concione*, quod quid sibi velit, non divino.

Sibi populum videretur.] Et hic sequutus sum v. e. nam retro cusi, *sibi populum Romanum videretur*; quod vel displicet, quia statim repetitur.

Gleba nulla, sed statim.] Sic v. e. ante editi, *gleba nulla esset*, sed ex supervacuo.

Sub se redigeret.] v. e. *redegerunt*; neque sugillaverim.

CA-

Digitized by Google

Caput X

11 *Injicit manum.*] v. e. *inicit*, ut certius nihil sit, quam unica semper litera scribendum id vocis.

Elapsa custodiam.] Jure istud probat Vinetus, ante enim *custodia*, intruseratque Camers, *elusa custodia*.

Territus monstris.] Ita edidi auctore Iornande. nam vulgg. omnes *monitis*; interpretamentum scilicet alterius vocis. at *monstrum* etiam in bonam sumitur partem, ut alibi ostendi.

Caput XI.

Manilio.] Ita bene sed tamen v. e. & alii *Manilio*.

12 *Ea demum atrocitas.*] v. e. *eademque atrocitas*. non ineptè, si modo pendeat adhuc à superioribus.

Nemo dubitavit.] Ita olim cusi. Vinetus, *dubitarit*.

Pactusque victoriam.] Sic & noster vetus, ne cui adhuc placeat Camertis, *nactusque*.

Et sine intermissione.] Divinavi in suspicionibus alibi, *& sine missione*, neque nunc muto sententiam, etsi non adstipulentur libri.

Quod Carræ nuper.] Adhæreo hic Vineto, qui sic edidit ex Iornande. nam & v. e. *Capreæ*.

Gesoriacum.] v. e. *Gersoriacum*.

Tiberis quod Euphrates.] Et illud est à Iornande. impressi ineptè, *quod Tigris, quod Euphrates*: opponit enim nemora, urbes, flumina.

Nomen induerit.] Ita lego cum v. e. alii enim, aut *nomini induerit*, aut *nomini induceret*.

Lucius Quinctius] v. e. *Titus Quinctius*.

M. Minucii] mss. Vineti & v. e. *M. Manilii*; de quo cogitabo alias.

13 *Peractumque bellum: prorsus.*] Reduxi distinctionem Camertis. nam postea Vinetus, *bellum prorsus: ut festinasse*. sic supra capit. 3. circa finem; *prorsus ut consanguine &c.* videatur locus. & c. 10. fine ipso: *plane quasi adulterum ad inferos usque sequeretur*.

Caput XII.

Ab Hetruria Vejentes.] Retro impressi, *ab Hetruria fuere Vejentes*. Sed verbum medium non extat in v. e. nec eo opus.

Trecenti.] Ita feci, quum antea legeretur, *trecenti & sex*, quia rotundus iste numerus in v. e. & antiqq. Vineti libris, & decet Annæum nostrum.

Digitized by Google

Signatur.] v. e. *signatum.*

Quos eduxerat.] Ita v. e. ante erat *adduxerat*: minus recte.

Eam namque vir sanctus.] Ita & Vin. vet. & editio antiquissima. ceteri enim cusi, *ea namque Furius Camillus vir, &c.*

Veram sciebat victoriam.] Ita v. e. sequentes, *sciebat veram esse victoriam.* minus compendiose.

Taxata stipendio.] v. e. *stipendia.*

Caput XIII.

14 *Virtutum experim.*] Ita v. e. vulgo, *virtutis.*

Ad hoc.] v. e. *ad hæc.*

Perinde armis.] Placuit istud v. e. præ vulgato, *perinde ac armis.*

Et cingente omnia Oceano.] Sic Vinetus, sic quoque v. e. sic Lipsii scriptus, quem consule lib. 2. cap. 19. Elector. inepte alii, *quum cingerentur omnia Oceano.*

Tum Clusium obsidebant.] Et sic noster. nam Camers, *Tum Clusium oppidum obsid.* Vinetus, *Tum Clusium Tusciæ urbem obsid.* non tam verbose debuit Florus.

Ferocius agunt, exinde certamen.] Est hæc quidem scriptura v. e. item Iornandis & mss. Vineti: at distinctio mea est, aliter enim non videbam qui in verbis sensus. sic idem cap. XVIII. *legationem per obscœnam contumeliam violant, ex hinc bellum, &c.* loquitur autem hic de certamine quod inter legatorum manum & Gallos. de quo satis clare Livius lib. 5. ad illa verba: *accensis utrinque animis, ad arma discurritur, &c.*

Non Cremera fœdior.] Ita cusi omnes: nec sine eleganti sensu quare exclusi mss. Vineti & Iornandis illud, *Non temere fœdior, &c.* & si & ei sua gratia

15 *Quam primum majores.*] Repræsentavi lectionem v. e. utique quum & ita in nullis Vineti mss. impressi reliqui, *Iampridem majores.* absurde.

Quicquid religiosissimum.] Ita quoque v. e. alii *religiosissimi.* *Obsessata ipsum.*] v. e. *obsessam.*

Curulibus sellis.] v. e. *curulibus suis*, quod non rejecerim, si confirmaretur auctoritate ms. alicujus. nam absolute sane dicitur.

Et totam urbem.] v. e. verbo auctior, *& totam deinde urbem*, oppido bene.

Solo exæquant.] Non apparet in v. e. dictio *solo*, & abesse forte posset; sed forte inquam.

16 *Obsidio sua barbaros.*] Ita & v. e. noster cum Iornande & vert. Vin. vulgo, *obsidione sua*; non recte.

Recessum suum vindicantes.] v. e. *reditum suum.* quod non sine sensu.

Superbe victis increparent.] Eleganter nec aliter mss. Vineti qui tamen con-

conjicit, *superbe vae victis increp.* frustra. nam ista intelliguntur tamen quamvis non expressa, cusi fere *victos*. at v. e. alterum retinet.

Sed expiata potius, sed lustrata.] Ita v. e. quomodo fere etiam Vinetus, nisi quod is, *& lustrata*. nam Camertis ed. *& illustrata*.

Iterum Pomptino agro.] Sic edd. antiquae. *non iterum in Pomptino agro*. quomodo editio Vineti.

17 *Sequente Gallo, sacra alite adiutus.*] Ita ex libris suis religiosissimae industria Vinetus, nam ed. vetustissima *insidente galea sacra alite adiutus*; quomodo & Iornandes. Nam ridicule alii, *insidente galea satyria alite*.

Tandem post aliquod.] Est a libris Vineti mss. nam v. e. *Tamen post, &c.* Posteriores edd. verbis duobus praemissis, *Nec non tandem post, &c.* uti & expressit Iornandes.

Caput XIV.

Decio Mure.] Exoletae edd. *Murena*. minus vere.

Aemulatione imperii infestos.] Adhaesi v. e. nam publicati deinde amplius, *aemulatione imperii & magistratuum infensos*.

Se hostium tela.] Prima vox non habetur in v. e.

Caput XVI.

18 *Nihil mollius caelo: denique bis floribus vernat.*] Rara notio vocis *denique*, cui vis inesse videtur eadem quae in *inde*. amicus tamen quidam meus suspicabatur, *caela dinque: bis fl. &c.* acute; sed forte non vere.

Quaedam maris otia.] Ita ausus sum reponere, suadente v. e. quodque annotasset Vinetus, ita quoque habere aliquot mss. nihil enim verius aut elegantius dici potest, sicuti pluribus ostendo in Opinionum libellis. Vineti editio, *ostia*; quod quomodo concoquant viri eruditi. nescio.

Vesuvius.] v. e. *Vesevus*.

Inter tres maximas.] Quod & voluit praeter alios Ausonius libello de urbibus, qui amplius canit:

Heu nunquam stabilem sortita superbia sedem!
Illa potens, opibusque valens, Roma altera quondam,
Comere quae paribus potuit fastigia conis,
Octavum rejecta locum vix pone tuetur,

19 *Caudinas furcas.*] v. e. *furculas*, haud inepte. neque aliter quoque mss. Vineti.

Strictis ensibus.] Ita & Vinetus & noster vetus. Camertis editio, *subjectis ensibus*. unde fecit Lipsius *subrectis*, lib. 2. cap. 19. Electorum.

C A-

CAPUT XVII.

Samnitium reliqui, &c.] Ita omnino v. e. quomodo & prodidit ex suo msſ. Lipsius d. c. 19. proximeque accedit Vinetus. nisi quod cum copula, *Samnitium, & reliqui*, at hoc falsum. nam Vmbri de Samnitibus non erant: cæteræ edd. mutilæ sunt.

A latere Etruria, infesta, &c.] Sic msſ. Vineti & editi ante ipsum nam recepit ille lectionem quæ in Iornande, *Late per Etruriam infesta &c.* adhæserim fere scripturæ priori.

Ciminius interim.] v. e. *Geminius.*

20 *Refert totum iter.*] Ita accurate ex Iornande Vinetus, nec abit nimium v. e. nisi quod truncate, *refert, tum iter.* at aliæ edd. *refert. Tum sic Fabius, &c.*

Suo more detonuit.] Iornandes, *suo jure.* msſ. Vineti propugnant vulgatum, a quo & stat editio illa nostra. Lipsius d. cap. 19. scribendum autumat. *Iovis more detonuit*, tanquam *suo more* inferat tale quid a Fabio sæpius factum, non carpo, sed tamen *suo more* figuram notare potest, ut detonuerit, non Iovis quidem modo, sed eo quo Iovem utcumque imitantur belli duces. Certe Silius lib. 12. Punic. de Hannibale:

Rursus in arma vocat trepidos, clipeoque tremendum
Increpat, atque armis imitatur murmura cæli.

Et lib. 13. *concussa est Daunia tellus*
Armorum tonitru. Plura nos in suspicionibus.

CAPUT XVIII.

Vela dimittit.] v. e. *vela mittit.*

Majus theatrum.] Quum ita esse in msſ. suis prodidisset Vinetus, id fidenter recepi in contextum, quandoquidem restaret quoque in v. e. hactenus excuditur *urbis theatrum.*

21 *Nec satis norant.*] v. e. destituitur illo *norant*, proque, *qui autem* quod præcessit, retinet, *qui enim.*

Nec ante cladi.] Ita v. e. retro editi, *nec alius cladi.* quod quomodo cohæreat seqq. non video.

22. *Quum per stragem suorum percurrens.*] v. e. abest illud *per.*

Quasi vindicatura.] v. e. *vindicaret.*

Gravi timore.] v. e. *gravi mole.*

Obtritos accepimus.] Ita v. e. nam aliæ *obrutos.* Vineti *obruptos.*

Mihi Romanis.] v. e. *mihi cum Romanis.*

13. *Quum medicum.*] v. e. *quod medicum.*

Virtute, militia.] v. e. *virtute militum.*

In ditionem redegisse.] Alii partim, *deditionem*, partim *dedicationem.*

Et tanta adeo.] Dictio *adeo*, non comparet in v. e.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Ac ferbuit.] v. e. *ac viruit*, perperam. nam id præcesserat.

25. *Obsessis in capta Vrbe consuluit.*] v. e. *consenuit*, neque habet vocem *obsessis*.

Vehementius æquo bonoque certatum est.] Sic editio Vineti, nec aliter v. e. quomodo etiam invenerat in mss. suo amicus noster Lipsius, uti videre est lib. II. cap. 19. Electorum.

CAPUT XXV.

26 *Matrimoniorum dignitas.*] Ita malui cum v. e. & mss. Vineti, quam quod ipse edi curavit, *indignitas*. sic capite seq. *bonorum cupido*. enarrat enim ea ad quæ aspirabant.

CAPUT XXVI.

Vt plebeii quoque magistratus crearentur.] v. e. *plebis*, ut forte scribendum sit, *ut plebes quoque*, pro *plebs*, mutaverintque qui nolebant conjungi singularem numerum cum voce *crearentur*.

27. *Tum natalium dignitatem.*] v. e. *nunc* quod si placet iterabitur etiam quarto mox, *nunc bonorum decora*, &c.

At de Spurio quidem.] Abest illud *quidem* v. e. proque *Spurio* habet *Malio*.

LIBRI II.

CAPUT II.

28 *Nec mole jungi.*] Retinui conjecturam viri ingeniosissimi Simeonis Bosii; etsi mss. Vineti & libri cusi; *nec mare jungi*; quod hic minus convenit.

Continentem suum.] Ita malui cum Vineti mss. & v. e. quam quod ipse edidit aliique ante eum, *suam*.

Sed ecce ultro.] v. e. *Sed ecce se ultro.*

Vereque terester.] Sic Vineti mss. sic v. e. non *terrestris*, quod in aliis.

Fretum ingressus est.] v. e. *fretum tum ing.*

29 *Victoriæ auspicium fuit.*] Abest v. e. vox *victoriæ*.

Forma mirabilis.] Sequutus sum Lipsii conjecturam quæ extat lib. II. Elect. cap. 19. ante editi, *fama*.

Longe illis nauticæ artes.] Sic Vineti mss. & miror cur eis non auscultaverit.

Digitized by Google

taverit. Lipsius certe id arripuit d. cap. 19. indicio mſ. ſui. nec aliter edito vetus. aliæ, *Longè illis plus nauticæ artis.* male. ſic Virg. lib. 12. Æneid. *Longè illi Dea mater erit, &c.* Imo ſic noſter infra, cap. 6. *Longè illi triplex murus.*

Detorquere remos.] Ita & v. e. conjecit d. c. 19. Lipſius, *detergere remos*; appoſite admodum: ſed non auſus ſum ei dare locum quod & alteri verbo ſuus ſenſus. *detorquetur* enim, quod in aliam partem torquetur. id ſi remis fiebat; ecce jam eos inutiles.

30 *Licet nihil ſcripſit ſanguine*] Camers & Stadius putant Leonidæ tribui, quod Othryadis proprium erat.

In Sardiniam.] v. e. præpoſitionem omiſit; neque neceſſaria eſt: uti & mox ubi legitur, *ei Corſicam*, abeſt eidem pronomen.

Vbi & ſic Calare.] v. e. *Vbi & hic halena.*

Punico maris nomine.] ita v. e. hactenus impreſſi, *Punici, &c.*

Cum hominibus, ſed &c.] Sic v. e. aliæ auctiores fuerant, *Cum hominibus modo, ſed, &c.* quæ ſane ſuperflua.

Par tantæ calamitatis.] Ita v. e. quod cur non probem, quum accedat mſ. Vineti. vulgatur paſſim, *calamitati.* at alterum, componit Regulum calamitati, tamquam athletam aut gladiatorem.

Nec ultimo ſive carceris.] v. e. *nec in ultimo ſive carcere.*

Vt nec amplius eam inſulam concitarent.] Ita edidit diligentiſſimus Vinetus, nec aliter v. e. aut mſ. Lipſii; qui rectum cenſebat d. cap. 19. *eam inſulam cogitarent*: admodum veriſimiliter proletariæ edd. *ut ne amplius ea inſula concitaretur.*

Si gregem.] v. e. Præponit, *ac ſi gregem.*

P. Claudio Coſ.] mſſ. Vineti & v. e. *Appio.* non fuit otium inquirere utrum verius.

Interceptam tempeſtate victoriam, &c.] Sic Vinetus, ſic v. e. & recte. vult enim eo tolerabilius damnum, quod a vi majore proveniſſet, non ab hoſtibus.

32 *Inſuliſque fruſtrarentur & fluitarent.*] Ita v. e. quod non nemini placebit, imo pleriſque, imo omnibus; niſi quibus nullus acutorum guſtus. hactenus vulgati non habuerunt illud *fruſtrarentur*, in quibusdam vero erat loco *alliſa.*

Pop. R. triumphavit.] v. e. interſerit, *pop. Ro. & ſic triumph.*

Caſtrenſis: ad ſimilitudinem.] Ita v. e. & aliæ. nam Vineti, *caſtrenſi ad ſimilit.* quod non improbo quidem, ſed tamen alteri poſthabeo.

CAPUT III.

De *ſub ipſis Italiæ faucibus gentes.*] v. e. *gens*, qui etiam deſtituitur illo *ipſis.*

Denique ita quotidiani.] v. e. *denique utrique quotid.*

33 *Tutum loci.*] v. e. *Tuti loci.*

Eude-

Eluderent Salyi, Deceates, Oxypij, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius.] Repræsentare libuit lectionem Vineti. variantes mss. videantur in castigationibus ejus. v. e. servat, *eluderet saltus. de trate. buriates sexule. incognitas tandem Fulvius, &c.* quæ examinare non est istius temporis.

Vt vix reliquerit.] v. e. *relinqueret.*

Caput IV.

Sed *experimento deprehensum est.*] Si ulla velificaretur mihi aura libri ms. pronunciarem quadrigam istam verborum spuriam; quod appareret magis, si *sed*, mutaretur in *scilicet.* possunt tamen aliquid habere sensus, si vox prior transformetur in *id, &c.*

Astrionico.] alias *Ariobisto.* v. e. *Ariojusto.*

Caput V.

34 Teuta *muliere.*] v. e. *Teutane,* Ut & Iornandes.

Vt Victimas securi percutiunt.] Elegans locus, qui notandus circa sacrificia.

Caput VI.

Sit *populus qui vicit.*] v. e. *fit victor populus*; quæ vox media aut glossatoris; aut illa, *qui vicit.*

Pudebat nobilem populum ablatum mare, capta insula dare, &c.] Ita distinxerim. ita legerim. nam talis prorsus scriptura in v. e. nisi quod illa *ablato mare.* Stadius excudit; *Pudebat nobilem populum, ablato mari, raptis insulis, dare, &c.* non male, nisi nimium sic abiretur a libris. Vineti edito: *At urebat nobilem populum, ablatum mare, raptæ insulæ, dare, &c.* quæ scriptura si est membranarum, oppido probanda. adhibita tantum ea, quam dixi, interpretatione.

Hinc ultionem.] v. e. *Hinc in ultionem.*

Igitur in causa belli.] Quid si ejiceretur illud, *in*? Stadius habet, *in causam.*

Ferro & igne.] Illud *& igne* abest v. e. forsan recte.

35 *Bellum pacemque porto: utrum eligitis, Succlamantibus; bellum. Bellum igitur.*] Ita restituo hunc locum, suadente & persuadente non tam mea veteri editione, etsi & ea quoque, quam ipso Iornande, & mss. Vineti pluribus eam confirmavi in Suspicionibus. vulgo legebatur, *bellum affero & pacem, utrum eligitis, utrum placet, sumite. Quumque succlamatum esset, utrumvellet, daret: Bellum igitur, &c.* Lipsius d. e. 19. restituebat ex suo cod. calamo exarato; *bellum pacemque porto. utrum eligitis? Quum succlamatum*

matum esset, utrum vellet daret, &c. quæ lectio nostram utcumque firmat.

36 *Tota denique rerum*] Non habetur *denique*, in v. e.

Quasi secundum cælum.] Ita v. e. nam Vineti *quasi secum cælum*, etsi non neget alterum fuisse in mss. suis, nec aliter quoque Iornandes, nisi quod ille omisit particulam *quasi*.

Torrente Vergelli.] Sic v. e. sic Vineti calamo exarati omnes. Pighio placuit *Vergello*, idemque nomen reponit Valerio lib. 9. cap. 11. at Mitallerius utrobique legendum potius putat, *Cerbalo*: qui Apuliæ amnis, ut docet Plinius.

37 *Adherbalem.*] Ita mss. & v. e. alii editi, *Meherbalem*, sequuti judicium Camertis.

Quis crederet.] v. e. *credet.*?

Quod in bullis, singulisque anulis erat.] Emendatio est a veterrima editione, sequentes enim falso, *quod in bullis, cingulis, atque annulis erat.* Vnde conjecerat Lipsius d. cap. 19. *singulis atque anulis*, ut fuerit loco corrumpendo copulæ transpositio.

38. *Nam huousque tot mala &c.*] Duodecim istas voces adulterinum & barbarum mihi sapere diximus in Suspicionibus: neque nunc aliter sapit palatum.

Divisa per orbem.] Ita v. e. & confirmavi eam loquutionem in Suspicionum libellis. vulgatur passim *diversa*, quod nec malum tamen.

Nisi quod hactenus, &c.] Restitutio hæc debetur cascæ illi editioni. aliæ enim per interrogationem; *quid nisi hactinus profuere, ut pulcritudini victæ urbis parceretur?*

Pæne totam Pœnis.] Aliæ edit. præponunt, *spem pæne*, quæ nata ex utriusque vocis intermediæ literis.

39 *An facilius.*] v. e. *an felicius*. & mox *feliciter*, pro *facile*; sed meo animo male.

Saltem oculis.] Ita ex Iornande Vinetus, nam exempp. ejus mss. ut & editi ante: *saltem vel oculis.*

Totis viribus Romam.] Ita ex v. e. edi curavimus. nam vulgg. antea, *totis viribus in Romam.*

Et admiratione hominum ac Deorum.] Ita dudum editio accuratissima Vineti, quomodo postea legendum monuit ex veteri suo codice Lipsius d. c. 19. nec aliter sane v. e. aliæ, *& administratione*: ridicule ceterum sciat lector, illa quæ præcedunt, *dignum orbis imperio*, omissa in v. e. cui ansam dedit repetitio vocis *dignum*.

40 *Non a cælo, sed &c.*] v. e. paulo aliter, nec tamen usquequaque bene, *nec cælo, sed ab urbis ipsius mœnibus in Capitolio ferri videretur.*

Tantum non adoratam.] Quum fateretur Vinetus ita concipi in omnibus mss. Id ausus sum renotare; rationibus iis motus quas posui in Suspicionum libellis. vulgo erat *adortam* Iornandes, *adornatam*.

Si-

Digitized by Google

Siquidem Hasdrubal.] Aliæ edd. *siquidem ab Hispania Hasdrubal*, sed absunt illa v. e.

In ultimos Italiæ &c.] Sequutus sum editionem Vineti, tamquam maxime sanam v. e. consentit cum vulgg.

41. *Atque incubantem.*] v. e. *incumbentem.*

Ducum maximi.] v. e. Addita altera adhuc voce, *ducum clarissimi duces.*

CAPUT VII.

Affectator imperii.] Sic v. e. nam aliæ voce auctiores, *affectator quondam imperii*, non male tamen, si adstipulantur mss.

Quam exspectatione.] v. e. *spectatione*, quod ipsum Latinum esse ostendi alibi ad Senecæ Animadversiones.

Quibus a mari &c.] Videtur juvandus locus & distinctione, *Nauticus populus; quibus mari Consul; terris omnia equis* &c.

Vltra mortem patebant.] Ita malui, quam ut edidit Vinetus Iornandi libros sequutus, *morem*; tum quod illud *mortem* & defendant aliæ editt. (quæ tamen perperam, *petebat*) & imprimis ratio. de ea loquutionis elegantia nos alibi in Opinionibus nostris.

Aoumque amnem.] Ita verisimiliter Vinetus v. e. *Nidumque amnem*, ut & antea, *Achaoum*, pro *Chaonum*.

Ausus congredi rex.] v. e. non agnoscit dictionem *ausus*, si abesset etiam mss. non gravate ejicerem; ut infinitivus ponatur pro imperfecto.

43 *Sub Nabide suo.*] v. e. *summa vi de suo.*

CAPUT VIII.

44 *Illinc Thoas.*] Haud habetur in v. e dictio *illinc.*

Et maximus regum contentus fortiter indixisse bellum, quum.] Reduxi scripturam v. e. quomodo pridem etiam legendum conjecerat Lipsius d. c. XIX. quum offendisset in ms. suo, *conventus fortiter indixisse* &c. nam vulgg. *tempestas, & maximus regum conventus: Fortiter indicto bello, quum* &c.

Tam præcipitem.] v. e. *Tum.*

45 *Themistoclem æquavimus.*] v. e. *Alciabiadem æq.* non valet perpendere utra melior lectio.

Qui subito superfusus mira facilitate.] Sic editt. priscæ omnes: at Vineti *qui subito perfusus, mira felicitate.* illud *felicitate* non displicet.

CAPUT X.

46 *Adiverant initia.*] Ita v. e. aliæ enim, *adjuverant*, & *initia* quod sententiam reddebat ambiguam.

Ipse rex Apulo.] Ita v. e. aliæ *Æpulo*. Lipsius d. c. xix. non vult hic ullum regis nomen positum a Floro, sed scripsisse, *ab epulo*, quod scilicet Claudius eum epulantem evasisset. defendi ego illud Æpulo in Suspicionibus meis, quæ videantur si cui tanti.

Caput XI.

Fuerant inter auxilia.] Ita nulla litera minus v. e. si quod distinctiones ei aliæ. & hanc puto verissimam scripturam; ut velit eis illatum bellum fuisse, quod auxilia tulissent Antiocho. Illud tamen, inquit auctor, an prætextus fuerit tantum, an veritas ipsa, ambigitur. verum de eo loco nos quoque certiora in Suspicionibus. Lipsius d. c. xix alia distinctione & correctione sententiam ita ait expedire: *Fuerint inter auxilia Regis Antiochi, an fuisse cupidus triumphi Manlius, an eos visos similaverit, dubium.*

Non approbavit] Ita rursus v. e. sine dictione sequenti, *non approbavit Senatus*. approbat enim & is qui causam suam ita aliis probat, ut eidem acquiescat, & ratam habeat.

Mixta, & adulterata reliquia.] Et hoc est a veteri editione nostra aliæ enim *mixta & adulterata est, reliquia* &c. minus concinne.

Qui Brenno duce.] Non aliter v. e. sequentes, *quibus Brenno* &c.

Quos Toloftbogi, Tectosagique iam insederant.] Pro his omnibus v. e. repræsentat, *solo stologiorum recte sagaciam insederant*

Caput XII.

47 *Industriam Macedonum.*] Ita & Vineti editio & nostra, quomodo & monuerat ex msf. Lipsius d. c. xix.

Summo speculatus Hamo.] Ita v. e. sequentes, *de summo &c.*

Astrudem.] v. e. *Astundam.*

Accessit ; regemque.] Ita v. e. sine dictione intermedia, *accessit via; regemque.*

Macedonia deprensa est.] Hæc vera est lectio, nec aliter v. e. nam aliæ *depressa*? de voce *deprehensa* dictum quoque nobis in Suspicionibus.

48 *Alia minatus, alia irrepsisset.*] v. e. *alia eminatur, alias irr.*

Adeo terribilis.] sic v. e. aliæ, *eo terrib.*

In templum recepit, & conviviis adhibuit.] Ita v. e. nam aliæ, *& in conviviis* Lipsius d. cap. xix. Elect. scribit msf. suum habuisse *receperat*. ex quo inquit occasio mihi bellæ conjecturæ, *venisset hostis (nam in templum receperat) & in conviviis* &c. at eam divinationem fere destruit compendium scriptionis, quo usus Annæus noster; bis enim supra nullo intervallo fere templi hujus meminerat. suspicatus sum aliquando, illud *templum* mutandum in *tabernaculum*. nunc suspicor excidisse sive *auguraculum*, sive *augustale*, quod cum minus caperent exscriptores, interpretationis loco

loco addidere *templum*? quod postea, ejecto legitimo verbo, locum occupavit non suum.

Epistolis victoris perceperat.] Ed. Vineti *praeceperat* non male.

CAPUT XIII.

49 *Scordam.*] ita membranae Vineti. editi vulgo, *Loscordam* v. e. *Lescordam.*

CAPUT XIV.

In malis indulgente.] Sic vet. edit. aliae, *im malis suis indulgente.*

CAPUT XV.

Tempore exiguum.] Ita v. e. sine verbo *fuit*, quod sequebatur in postea vulgatis.

Patratum est.] v. e. *peractum*; interpretamentum nempe prioris.

50 *Labore: non enim.*] Ita distinxi suadente sententia. at, *plane maximum eventu*, hausi e v. e. sententia prorsus volente; vt fuerit bellum tempore quidem exiguum laboreque, sed tamen maximum eventu. editi, *maximo eventu*; inepte.

Territaret.] v. e. *territabat*, quod & hic consistat.

51 *Triumphus arderet.*] Ita Vineti editio, nec aliter vetus: quomodo & fuisse in msf. suo prodidit lib. II. cap. XIX. Elector. lectissimi ingenii Lipsius vulgo, *triumphis.* nullo sensu.

CAPUT XVI.

52 *Metello ordinanti, tum.*] Ita omnes editi ante Vinetum: is enim voce auctior; *ordinanti cui tum.*

Permixtis.] Sic & v. e. aliae enim fere, *perustis.* postea Vineti editio omiserat vocem *vena*, quam revocavi suasu ceterorum impressorum.

CAPUT XVII.

53 *Provinciam fecit.*] v. e. *urbem fecit.*

54 *Cognomen meruit, quum.*] Sequutus sum vetustissimum exemplar Vineti. vereor tamen vt adhuc locus mendosus v. e. *cognomen meruerat & Celtibericus filius, quum Cetrebriam* &c. Camertis: *cognomen meruerat & Celtibericus fieri, quum Contrebiam*; nec aliter Stadii, nisi quod is *cui ex Macedonia*, pro quo alii, *qui ex Maced.* divinabam quondam, *cui ex Macedonia cognomen, merueratque Celtibericus fieri*; sed sic tamen sequentia laborant, quae sanent quibus otium est quo careo.

Quum a rege fuisset provocatus.] Nescio quid sibi velit v. e. in quo *quum Rex fuisset prov.*

Ss

Si res cessisset.] Editiones fere, *si recessisset.* Vinetus verisimiliter valde emendabat, *si res cessisset.*

55 *Insignia trabeis*] Ita v. e. aliæ, *insignia.*

Tandem etiam.] Ita v. e. & codd. quidam scripti Vineti. aliæ editi, *tandem eum.*

Pompilio.] Sic mss. quinque Vineti. nam v. e. nostra *Popilio.* Critici intruserant *Servilio.*

Caput XVIII.

Apud flumen Durium sita.] Sic quidem recenter editi, aut *situata.* at noster antiquus tantum habet, *apud flumen sublata.* & vero mss. Vineti aberat etiam vox *Durium*, eratque in plerisque, *apud flumen silata.*

57 *Etiam exitu.*] Non habet illud *etiam* v. e.

Caput XIX.

58 *Et Cæsaris manibus.*] Non extat *manibus* in v. e.

Etsi involuta.] v. e. *juncta.*

Caput XX.

Victa ad occasum.] v. e. Orditur ab hisce librum tertium. non male. sed retinui tamen vulgatam distinctionem ob hujus superiorisque seculi viros, qui in scriptis suis capitum numerum alterum producunt allegantque.

59 *Amiserit an recuperaverit.*] Sic v. e. nam sequentes interserunt, *amiserit populus Romanus an recuperaverit:* non necessario, quum proxime eædem voces præcesserint.

Cecidit exercitum.] v. e. *Cæde exercitum.*

LIBRI III.

Caput I.

60 *Sed Rex peritus.*] Reduxi in possessionem antiquam veteris editionis lectionem, eo magis quod & illam invenisset in membranis suis Vinetus. vulgabatur antea, *sed rex præmonitus;* quod hic non consistit, quum expertus esset ipsemet quid posset aurum. notet ergo Criticus *peritum* etiam poni pro experto, pro eo qui didicit, qui periculum fecit. nam & noster infra cap. v. *Rex callidus Romanæque avaritiæ peritus.*

Salutis, quod prius emerat.] Ita Vineti editio, ita vetustissima. aliæ *salutis, quem quod prius &c.*

Jam

Jam simulata, jam quasi vera fuga.] Repræsentavi editionem Vineti, ad quam proxime accedit v. e. nihil enim demutat nisi quod pro *jam quasi* præferat *jamque.* reliqui editi, *jam quasi simulata vera fuga:* aut, *tam simulata quasi vera fuga* &c.

61 *Populatione non contentus.*] v. e. omisit negativam, *non.*

Quam integrum.] Sic v. e. aliæ seqq. *quam si integrum.*

Alienæ cladis accessio fieri timet.] Ita prorsus v. e. egregia & clara sententia. at Vineti editio: *al. cladis accessionem timet.* Stadii; *al. cladis accessione fieret timet.* Camertis; *al. cladis accessionem fieri timet.*

Tamen ut venalis, &c.] Ita vulgo. nam. mss. Vineti, *jam ut venalis,* &c. v. e. *Nam ut,* &c. nisi judicans fallor, tota ista periodus barbari est additamentum, quemadmodum prodere memini in Suspicionibus.

CAPUT II.

A septentrione sævitum.] Turbat hic v. e. quem loco ultimæ vocis servat, *venientem.*

62 *Perinde ingenio.*] Hæc lectio v. e. nuperæ enim *pervicaci ingenio.* scias non percepisse vim vocis *perinde.*

Varusque victoriæ testis Isaraque.] v. e. *Varusque victoriæ testis Isauria.* aliæ quædam *variusque victoriæ testis Isaura.*

Rex ipse Bituitus.] v. e. & aliquot seqq. *rex ipse bis visus.* male.

CAPUT III.

In Italiam remigarent.] Sic & nostra editio vetus. aliæ, *remigrarent,* absurde.

63 *Illi seculo contigisset.*] Ita v. e. nam Camertis & Vinet. *illo.* restat tamen altera in Stadiana.

Qua fide numinum.] Ita & v. e. & seqq. nam Stadiana *quo, fide numinum.* Vinetus divinabat, *quo (fides numinum) prælio oppressit;* sed id tamen timide, quod in Iornande etiam extet, *fide,* non *fides.*

Necessitate aucta virtus.] Sic non male Vineti editio. priores tamen, *acta.*

Viri, inquit, estis.] Si per alios liceret, interrogationis notam istis apponerem, hoc modo: *viri, inquit, estis?*

64 *Super trophæa ipsa.*] Sic quidem edd. Camertis, Stadii, Vineti. verum antiqua nostra, *inter trophæa sua.* si consuluissem libros calamo exaratos, sententiam ferrem pro hac vel illa lectione. nunc suspicor veterrimam meliorem.

Quem Raudium.] ita mss. Vineti. vulgati antea *quem Claudium.* nostra vetus, *quem Randium.*

Millia inde ad sexaginta ceciderunt. Hinc tertio minus, per omnem diem.] sic Vineti mss. nisi quod quidam pro *sexaginta* servent *quadraginta,* quomodo excudit Vinetus. vetus editio: *campo concurrere, millia inde LX. ceciderunt. Hinc trecenti minus. per totum,* &c. Camertis, *milia deinde ad XL. concidere. Hinc campus tertio, per omnem diem concidetur barbaris.* Stadii: *millia inde CXL. ceciderunt, hinc tertio minus, per totum,* &c. lectiones omnes nihili: quibus tamen ego nihil melius possum.

Perinde speciosa mors.] Ita postremae edd. at Camertis, *Perinde plus speciosa.* vetus nostra; *Perinde speciosior mors.*

65 *Victoria Cimbrica, Feliciter.*] Distinxerim; VICTORIAE CIMBRICAE FELICITER, ut tria ista verba in theatro sonuerint.

Caput IV.

Si Diis placet.] Vetustae edd. etiam nostra, *sic Diis*; sed male.

sanguinem humanum.] Sic vett. libri Vineti, sic editio exoleta. alii, *sanguine humano.*

66 *Sed simili prodigio.*] Sic quidem etiam Vineti editio, & nostra. verum placet quod inueni in Stadiana, & quomodo legendum ante eam visam, dudum conieceram in Suspicionibus, *sed (simile prodigio.)*

Dum perfidum glacie flumen equitatur.] Reduxi lectionem priorum temporum. nam Vinetus vulgarat, *dum per perstrictum glacie flumen eq.* si non e libris, male.

Poena sua jubebantur.] Ita Vineti editio. & placet prae aliorum, qui, *videbantur.*

Caput V.

Rex antiquissimus Atheas.] v. e. *Ethas.* libri mss. Vineti *Etbas.*

Decem & septem anni Annibali.] v. e. *quatuordecim anni An.* quomodo & mss. Vineti.

67 *Ostentabant.*] Ita v. e. sequentes, *ostendebant*; quod minus videbatur efficax.

Aderat, instabat saevitia.] Vox *Aderat*, adest quidem editt. quamplurimis, sed non extat in vetustissima.

Et amplius muris, postquam.] v. e, auctor, *muris munitum, postquam.*

Et debellatum foret.] Sic v. e. reliquae, *& debellatum etiam foret.*

Bithyniam a rege Nicomede, ab Ariobarzane Cappadociam.] Lipsius bene emendat lib. 2. c. 19. Electorum. *Nicomedes, Ariobarzanes Cappadociam.*

Quasi raptam.] aliae edd. *captam.* sed meam comprobauit Vinetus.

69 *Sequentes moraretur.*] v. e. *morarentur.*

A tergo se hostibus, a facie Romanis praebuisset.] Ita v. e. aliae illud *se* collocant ante *praebuisset.* Lipsius comment. ad lib. 3 histor. Taciti, emendat, *a tergo Romanis, a facie hostibus se praeb.* & postea delet *suas*, recte ad historiam, & rationem.

70 *Tanquam in mari stellis.*] Ita & v. e. quomodo etiam ediderat Vinetus. aliae edd. *stellas.* prius e libro suo item prodidit Lipsius d. c. XIX. & nonnulla ego de eadem re Suspicion. lib. XXVIII. cap. XI.

Arthocem.] v. e. *Adorthocem*; nec secus mss. Vineti.

Patens sub aureo viti caelo.] Ita & v. e. sed nihil certius coniectura Lipsiana, reponente *aureo vitem caelo*, quam vide lib. 2. Elect. cap. V.

Quia

Quia renovabat eam rem.] Restitui lectionem v. e. nam seqq. *quia remeabat*; quod hic vix toleret Latinæ linguæ peritior; certe historiæ Iudaicæ.

CAPUT VI.

72 *Sic obditis navibus, quasi portam observavit.*] Ita & v. e. nam Camertis *portum*; Stadii *obseravit*. Lipsius d. cap. XIX. dicit legere se illustri imagine, *sic obditis navibus quasi porta, obseravit.* non male. vulgato tamen patrocinatus sum alibi in suspicionibus.

Ciliciam versus est.] Illa, *versus est*, non adsunt v. e.

Mediterraneis agris.] v. e. *aquis*, pro *agris*.

CAPUT VII.

Si vera volumus noscere.] Displicet mihi vox *noscere*, extat tamen etiam in v. e. line ea alterum protulit cap. 18.

73 *In aliena provincia inclitus fuit.*] Est a v. e. aliæ enim *irrisus fuit*: Vineti, *irritus fuit*. omnes præter sententiam auctoris, qui vult Pompeium clarum factum in provincia non sua.

Victisque Lasthene.] periodus ista non adest v. e.

CAPUT IX.

74 *Ptolomæus regebat. Sed diuitiarum.*] & hoc est ab antiquissima editione. seqq. perperam; *Ptolomæus regebat: & diuitiarum, &c.*

CAPUT X.

Reliqua quæ restabant.] v. e. *reliquias.*

75 *Sedes petitum.*] v. e. *sedem.*

Sequens longeque cruentior] Ita Vineti editio. aliis abest copula, *que.*

76 *Ariovisti superbia.*] Ita v. e. aliæ amplius, *Ariovisti regis superbia.*

Passim & in principiis scriberentur.] v. e. *passim etiam principibus scriberentur*, sed perperam.

Se veluti testudine.] *Veluti*, non comparet in v. e.

Mosulam.] Ita reposuit Vinetus, quum servarent mss. eius *Massiliam*; quod & in v. e.

Britanniam transit.] Sic erat in v. e. recisis reliquis. aliæ enim, *Britanniam petit. In Britanniam transit, &c.* quæ sane superuacua.

Quippe quum tertia vigilia.] v. e. *quippe qui tert.*

77 *Auctisque admodum copiis.*] Illud *admodum* additum a me ex v. e. aberat alijs.

Calidonias sequutus in silvas.] v. editio, *sequutus insulas.*

Nomine etiam quasi terrore composito.] Stadius, *terrori*. v. e. *nomine atque terrore etiam quasi composito*

Digitized by Google

Et comitialibus.] v. e. *&conciliabulis.*
Ingentique quasi lorica.] *Quasi* non est in v. e.
Tum & phaleras.] v. e. non habet *tum &*.

CAPUT XI.

Cum Pompeio fœderum, Syllaque.] Ita v. e. aliæ, *cum Syllaque.*
79 *Hosti exponeretur.*] v. e. *opponeretur.*
Auro ureretur.] Ita editio Vineti, neque secus antiquissima intermediæ *uteretur.*

CAPUT XII.

80 *Vt claritate rerum bellicarum.*] v. e. *ut celeritate.*
Luxus fecerat.] v. e. *luxu.*
81 *Hæc Catilinam patriæ suæ impegit.*] Expunxi vocem quæ erat in aliis edd. suasu v. e. nam ante, *hæc Catilinam hostem patriæ suæ.*

CAPUT XIII.

Seditionum omnium.] Orditur ab his librum quartum editio antiquissima, nec male.
82 *In agros unde poterat.*] v. e. *in agros non poterat.*
Ætate quasi hereditario jure possidebant.] Lipsius d. cap. 19. dicit abessemos suo dictionem *ætate*; quo duce deinceps conjicit, *hereditario iure poscebant* tamquam Florus exponat quid pro eiecta plebe dici posset. at ego alibi in Suspicionibus lib. 29. cap. 7. defendo lectionem vulgatam; certe puto omnino propugnari a Floro possessores; quum plebis ius supra explicuerit, illis: *quid enim jam justum, &c.*

CAPUT XIV.

Ne populus gentium.] Miror tot hujus auctoris correctores, tot editores ne suspicatos quidem & verbulo uno indicasse, totam hanc periodum transcriptam fere verbotenus ex præcedenti capite. ego sane id jam nunc enuncio: obelo etiam fixurus nisi festinatio isthæc vetaret.
Sic Triumviratus creatus, &c.] Ita scripsi, ita distinxi auctoritate v. e. nam vulgatæ reliquæ: *Sic Triumvir creatus.* quod quamvis haud improbem, altero tamen non præposuerim.

CAPUT XV.

83 *Altero tribunatu, secunda plebe, &c.*] v. e. habet *altero tribunatu fretus, comitum manu, &c.* exclusis intermediis.
Cæde pulsus] v. e. *cæde depulsus.*

C &

CAPUT XVI.

Occiso palam comitiis.] Sic v. e. aliæ, *occiso palam in comitiis.*

Ipse se adoptabat.] Et sic quoque v. e. aliæ, *adoptat.*

84 *In verba sua.*] Vox *sua* non conspicitur in v. e.

Cum ducibus factionis receptus in curiam est.] v. e. *factionis in curiam aggressus est.* ut forte fuerit, *congressus est.*

CAPUT XVII.

Vt nec prima illius flamma.] v. e. *illa.*

85 *Vt qui fata fortunasque patrum, vitasque principum haberent.*] Est ea quidem scriptura vulgg. at nostra vetus brevius, & nescio an non quoque verius, *ut qui fata fortunasque principum haberent.*

Pecularentur suo jure Remp.] v. e. *peculabantur suo jure Reip.*

Nobilitatis elegit.] Aliæ ed. aut *elegit*, aut *egit*. vetus vero, *abegit.*

In ora & oculos.] Ita v. e. reliquæ, *& ora & in oculos.*

CAPUT XVIII.

Sociale bellum, &c.] Ita editt. antiqq. nam Stadiana & Vineti præponit; *Bellum, quod adversus socios gestum est, sociale bellum, &c.* sed iis resectis, suus tamen constat auctori sensus.

86 *Et oppugnationem urbis.*] Ita v. e. seqq. enim, *& in expugnationem.*

87 *Vrbem perviam fecit.*] Ingeniose Lipsius d. cap. 19. emendabat, *urbem permadefecit.*

CAPUT XIX.

Latifundiis civium Latinorum tenebatur.] Lipsius lib. 2. Elector. cap. 15. illud *Latinorum*, mutabat in *lautiorum*, admodum dextre mss. Vineti, *civium Romanorum.*

Syriæ deæ comas jactat] Passim edd. *ceremonias.* at vetus, *comas* utrumque quomodo defendatur habet. Sed admisi illud *comas*, quod ita quoque extaret in mss. Vineti.

88 *Sexaginta*] Sic v. e. vulgg. *quadraginta*, quod rejeci ob mss. Vineti qui alterum firmabant.

Quin illud quoque (ultimum belli dedecus!) capta, &c.] Ita distinxi, quod totidem literis verba invenissem in v. e. nam Camers & Stadius, sine voce *Quin*, habebant, *illud quoque in ultimum belli dedecus, capta &c.* Vinetus; *Quin illud quoque in ultimum belli dedecus, castra, &c.*

89 *Dum circa deprehendendum.*] v. e. & aliæ, *dum circa ad deprehend.*

CAPUT XX.

Cum triginta.] Ita mss. Vineti & v. e. ideoque malui, quam quod hactenus cusi, *cum septuaginta;* etsi ita plerique scriptorum.

Seruisque ad vexillum, & ad auxilium vocatis.] Ita quidem editt. pleræque. at vetustissima tantum habet, *seruisque ad auxilium vocatis.* divinabam in Suspicionibus alibi, *servisque ad vexillum, ut ad pileum vocatis,* neque adhuc displicet; etsi invenerim in Val. Max. lib. 8. cap. 6. *a quo in modum vexilli pileum servituti ad arma capienda ostentatum erat.* si quis tamen tantum malit, *servisque ad vexillum vocatis,* resectis *& ad auxilium,* tanquam si a glossa essent, ei non refragabor.

Jam vindicare volebant.] Est a v. e. sequentes; *jam vindicari etiam volebant.*

Exitu invio.] Steph. Pighius in Hercule Prodicio pag. 469. legit (Inviso) ex vet. codice. Utitur in eadem significatione voce (inviso) pro non viso M. Tullius apud Quinctilianum; Invisa visa res est. De Aruspicum Responsis & alibi.

90 *Vitineis dilapsi vinculis.*] Et ita v. e. nec non mss. Vineti vulgati, *alias, vitigineis.*

Ille de stipendiario.] v. e. *ille sed de stipendiario.*

CAPUT XXI.

91 *Dignitatem præbuerunt.*] v. e. *præbuerint.*

Tumultu magis quam bello.] Ita v. e. nam seqq. *tumultu majore quam bello.* at & lib. 4. cap. 12. *sub Meridiano tumultuatum magis quam bellatum est.* Imo hoc libro capite 19. *sed hic tumultus magis quam bellum.*

Vnde quum subito Sulpitius.] v. e. *unde quum consulto Sulp.*

92 *Horrificaverant dignitatem.*] Retinui istud Vineti etsi editi omnes *honorificarant.* imo & mss. quod videretur sententia postulare alterum. simili fere loquutione Otho apud Tacitum lib. primo historiar. inter metus sui caussas numerat, *principis ingenium longo exitio efferatum.*

In principum cædem.] v. e. *ad principum cædem.*

93 *Scipione Narboneque Coss.*] v. e. *Scip. & Norbano quinto Coss.*

94 *Præneste, Fluentia.*] Abest v. e. *Præneste,* servatque *Florentia* pro *Fluentia.*

Sic damnatam] v. e. *sed damnatam,* ego istam periodum habuerim pro spuria

CAPUT XXII.

Etiam Africæ, jam Balearibus.] Ita v. e. seqq. *& in Africa jam & Balearibus,* ut forte legendum sit, *& jam Africa jam Balear.*

Viro cum viris.] Sic v. e & mss. aliquot Vineti: aliæ edd. præponunt; *ubi viri, &c.*

Digitized by Google

95 *Et cohortes inde Herculeii proluderent.*] Ita edidi, etsi v. e. *& horius, inde Herc. &c.* Vineti mss. habuerant quoque *Ethorius*, pro *& cohortes*; unde Stadii editio, *& Thorius præluderent*; vulgo erat, sed alterum restabat & in v. e. & in membranis Vineti.

Et in fame nihil non experta.] Ita Vineti mss. quidam. editi enim omnes, *& infame*, unica dictione, quod tamen non omnino damnaverim.

Caput XXIII.

96 *Fuga, Etruriam.*] Ita v.e. aliæ, *fuga, in Etruriam, &c.*

Quod non temere alias in civilibus.] Sic v. c. & novisſimæ aliquot antea inepte legebatur, *quod non tenuere aliis in civilibus*, &c.

LIBRI IV.

Caput I.

Catilinam.] Continuat ista cum præcedentibus v. e. recte. neque enim hinc ordiundus liber novus.

Quæ omnia quibus (o nefas) sociis; &c.] illa, *Quæ omnia*, non sunt in v. e. ut nec in seqq. qui tamen, *Quibus id nefas sociis*.

Sed in patriciis innocens.] Sic vetustisſima editio, sequentes enim, *sed parricidii innocens*. Lipsii ms. habebat, *sed patriciis innocens*: unde fecit, *Sed patriciis innocentius*, lib. 2. Elect. cap. 19. nascebatur mihi sub calamum, *Sed præ patriciis innocens*. verum latet aliud quid.

98 *Quem quis in pugnando.*] Non aliter v. e. & mss. Vineti. editi alii, *quem quisque in pugn.*

Caput II.

Intra urbem se præcluserat.] Ita etiam quidem v. e. at Camertis, omisit illud *se*; unde orta mihi dudum suspicio, restituendum, *intra urbem præcluserat*; eleganti metaphora, & qua si usus non est Florus, uti potuit.

99 *Græciæ, Ætoliæ.*] Ita primus restituo, suasu v. e. aliæ namque, *perperam Græciæ, Italiæ.*

In Hispaniam remigravit.] v. e. *regiravit*; quod sane non displiceret, si accederet auctoritas alicujus manuscripti codicis.

Tantæ calamitatis.] v. e. *tantæ necessitatis.*

100 *Non se remittere exercitum.*] Sic v. e. & mss aliquot Vineti; alii habebant, *non se dimissurum exercitum.*

Opprimere potuisset, & cæperat; sed.] Ita v. e. admodum eleganter, reliquæ, *opprimere ut cæperat; sed, &c.*

101 *Et cruentum in Hispania bellum.*] v. e. *& incruentum.*

Hic

102 *Hic Corcyreo littore.*] v. e. *hic oristico littore.* mss. Vineti; *hic curristio.*

Repente legatus ejus, &c.] Ita v. e. sine voce *castra*, & *utrumque* pro *utrimque.*

Nec Cæsar moratus.] v. e. *moratur.*

103 *Contractis in unum undique copiis.*] Ita v. e. aliæ amplius; *undique omnibus copiis.*

Quæ sedecim millium vallo obduxerat.] Et hoc est a v. e. aliæ quippe, *quæ erant sedecim millium vallo obducta.*

Centum atque quadraginta.] Ita v. e. aliæ, *viginti* pro *quadraginta.*

Inopia commeatuum tereret.] Ita malui, cum editione Stadii, quam Vineti aliorumque, *terreret.*

Examina in signis,] Ita etiam v. e. neque aliter ediderat Vinetus; quomodo postea ex ms. suo legendum ostendit Lipsius d. cap. 19. lib. 11. Elect. antea vulgati, *examina, insignes interdum tenebræ.*

104 *Equo fugeret; ut una navicula Lesbon applicaretur: pulsus Hedris in deserto.*] Revocandam putavi lectionem primæ editionis, confirmatam mss. Vineti; etsi non me expedio ex illo *Hedris.* pro eo cupiebat Vinetus, *Synedris.* editio ejus aliæque tantum habebant; *equo fugeret pulsus Larissæ in deserto.*

105 *Ultionem tanti viri Manibus.*] Ita v. e. reliquæ hactenus, *ultionem clarissimi viri Manibus.*

Debellata perfida gente.] Admisi lectionem v. e. & membranarum Vineti. publicabatur passim *de imbelli & perfida gente.* non male; nisi obstarent mss.

106 *Diversa per mare & terras fuga & morte.*] Est a v. e. nam vulgg. *diverse per mare & transfugio & morte &c.* Lipsius d. cap. 19. emendabat e libro calamo descripto, *divisa per mare & terras fuga* &c. bene, *diversa* tamen restabat quoque in mss. Vineti.

107 *Supra Thessaliam, tanto.*] Ita v. e. nam cæteræ, *supra Thessaliam fuit, tanto.*

108 *Subito ingens inter virosque silentium.*] v. e. non agnoscit verbum *ingens.*

Nisi cohortes hostium quinque.] v. e. *nisi quod cohortes.*

109 *Et hostes perculit.*] v. e. *hostis.*

Et his subactam ostendebat Hispaniam.] Ita & vetus, & Stadiana editio, nam Vineti, *& hic subactam.* Camertis, *& his subactam,* &c.

Didicerat generum timere.] Ita & v. e. pleræque, *didicerat generosum timere.*

110 *Aliique patricii consenserunt.*] Ita & v. e. Lipsius d. cap. 19. emendat *aliique patrum*: quod plerique conjurati e plebeis.

CAPUT IV.

111 *Juvenem videret; se plena ex commilitio Cæsaris dignitatis.*] Ita plane erat in mss. Vineti & v. e. nisi quod ibi *plene* sine dipthongo. vulgo cusi, *juvenem videret, ipse plane & convitiis Cæsaris dignitatem, &c.*

Quum

Digitized by Google

Quum adoptionem Iuliæ gentis inhibere.] Ita rursus mss. & v. e. omnino recte.

CAPUT V.

112 *Alterum bellum.*] Camertis, Stadii, aliorumque aliquot editiones caput istud subjecere capiti, cujus finis, *scelere alieno uterentur.* at ordo quem servamus remanet in editione primaria, expressitque optimus Vinetus.

L. Antonii pessimum ingenium.] Assentior amico meo Casaubono, rescribenti *piissimum*, quem vide ad Sueton. August. cap. 14.

Fulvia, gladio cincta virilis militiæ uxor, agitabat.] Idem Casaub. addendum putat, *uxor Antonii agitabat.* at ego potius adhuc deleverim vocem *uxor;* tamquam satis constaret Fulviam esse M. Antonii, dum dicit *cinctam virilis militiæ gladio*, tamquam mutasset sexum cum viro.

Jam non privatis.] v. e. *jam privatus.*

CAPUT VI.

113 *Nullo more.*] Ita ex suis Vinetus. ante impressi, *Nullo bono more*, minus recte.

Quis pro dignitate res ingemiscat.] Ita v. e. cæteræ omnes; *quis pro indignitate rei ingemiscat.* utrumque habet quo se probet.

CAPUT VII.

115 *Ita enim par superesse bello convenerat.*] Vetus editio non præfert vocem *par*, extat tamen in Camerte.

Vni comitum suorum præbuit latus.] Ita v. e. nam reliquæ amplius.

Confodiendum præbuit latus.] Supervacue.

Nisi si hoc quoque ex persuasione defuit.] Sic prorsus v. e. ut velit hoc defuisse ipsis ex sectæ Stoicæ disciplina, non quod non auderent. vulgati, *nisi hoc quoque ex persuasione non defuit.*

Piissimarumque.] Aliæ *pientissimarumque*, sed prius habet v. e. & nonnullæ priorum.

CAPUT VIII.

Asiamque velis petit.] v. e. *Asiamque petiit*; sine verbo *velis.*

CAPUT IX.

116 *Toto inter Orontem.*] Vetus e. non agnoscit illud *toto.*

Digitized by Google

Caput X.

117 *Integrata amicitia.*] Est a v. e. aliæ, *integra amicitia.*

Sub imaginibus suis legi concupisfit.] Ita v. e. & seqq. Vineti *suis labi*, quod & ad oram Camertis. utrumque habeo quomodo defendam. arrideret tamen magis *labi*, si stabiliret id aliquis manuscriptorum.

Imaginaria quidem belli indictione.] Sic v. e. seqq. omnes, *belli conditione.*

Quæ gens præter armorum fiduciam callida.] Ita v. e. nam reliquæ non habent primam ultimamque dictionem: *Quæ*, inquam, aut, *callida.*

118 *Excepta clades.*] Ita v. e. Vineti omisit illud *excepta*, suasu mss. & poterat abesse.

Cæli subita mutatio.] vox *subito* non habetur in v. e.

Ibique incredibili.] Ita v. e. nam pleræque; *ubi incredibili.*

Caput XI.

Ambitu non interiret.] v. e. *per ambitum non int.*

119 *Aperta in Oceanum fuga.*] Est a v. e. Camertis enim *præparata in Oc.* &c. Vineti *parata in*, &c.

120 *Ibi maximos,*] Sic v. e. aliæ, *ubi.*

126 *Serpentibus, quasi somno soluta.*] ita v. e. aliæ præterea; *serpentibus, sic morte quasi somno soluta est.*

Caput XII.

Quo bellum non posset ascendere.] Ita v. e. item Stadiana, Camertis & Vineti, *quod bellum.* non placet.

121 *Fierique pontes imperavit.*] Ita mss. at v. e. nescio quid atterit, *fierique pontes & aquis imperavit.*

Quasi detruncaverat.] Illud *quasi* abest v. e.

Domitius Centurio.] v. e. *Canidius.* mss. Vineti, *Domdius*, & *Domidius.*

122 *Ante hos Thracum.*] v. e. *apud hos Thracum.*

Decurrere solebant.] v. e. & aliquot aliæ, *discurrere.*

Ponte Rheno.] Ante editi omnes *Rheni.* alterum est a Vineto.

Quam imperia ferre potuissent.] v. e. *ferre maluissent.* nec improbarem, si ita quoque aliquis ms.

123 *Bononiam & Gesoriacum.*] Ita volunt recentes Historici, nam mss. *Bonnam & Genosiam.* v. e. *Bonnam & Gesoniam.*

Invisum & inaccessum.] Non dubitavi admittere scripturam veteris nostræ editionis, quum eam roborarent mss. Vineti. *invisum* enim etiam id, quod nunquam antea vidimus. vulgabatur antea, *invium* &c.

Quod nunquam alias, Senatus, &c.] Ita v. e. seqq. *quod nunquam alteri.* Vinetus utrumque admisit, *quod nunquam alias alteri, Senatus.*

Breve id gaudium.] Sic prima editio: aliæ subnectunt, *gaudium fuit.*

Inertesque mœrerent equos.] Non aliter erat in v. e. nisi quod illa *mererent.* ceteræ edd. inepte hactenus prætulerunt, *cernerent equos.*

Duce

Duce Arminio.] v. e. mss. Vineti *Armenio* quod cur non revocamus?

124 *Vnum principum, conjuratione,*] Ita, v. e. nam mss. Vineti *unum principem, ducum conjur.* vulgg. *unum ducum conjuratione.*

Quum ille (o securitas.) ad tribunal:] v. e. *quum ille ad secures & ad tribunal.* non inepta quoque lectio, & præ qua alteram fere habuerim inferiorem.

Vnde illi Getulici nomen.] Ita v. e. aliæ *cognomen.*

Gerinthosubigendos.] Ita v. e. & mss. Vineti. *Quirino* Iornandes. vulgg. *Turmio subig.*

Massiliæ quippe.] v. e. *Masfiniæ.*

125 *In Syria Cajus.*] Reposui lectionem veteris editionis, & omnium mss. securus opinioni aliorum auctorum, qui *in Lycia* factum prodiderunt: unde & editt. posteriores id substituerunt.

Stricto ferro cruentat vulnere in tempore.] Ita reposui ex æquo & bono; Vineti mss. *strictus ferre creatus ex vulnere in tempore.* ex quo ipse fecit: *Strictus, sed recreatus ex vulnere in tempus.* v. e. *stricto sarre cruentus ex vulnere in tempore.* Quod hic publicavi, debetur fere editioni Stadianæ, nisi quod illa, *in tempus.* nam Camers, *stricto ferro cruentus ex vulnere in tempus.*

Fere omnis Hispania.] Ita v. e. aliæ, *fere erat omnis, &c.*

Citerior alluebat Oceanus.] Vox *citerior* aberat v. e.

Sub mœnibus Belgicæ.] Ita & mss. Vineti. nostra editio, *sub hostibus, mœnibus Belgicæ.* Stadius; *sub mœnibus Vellicæ.*

126 *Ex arboribus taxeis.*] Ita mss. Vineti, & ita v. e. aliæ, *taxis.*

Sed jam Cæsar.] Sic plane v. e. male vulgg. *& jam Cæsar, nec temere sumptus, ut barbaris impetus:* sed ita scripsi, partim ex v. e. partim ex conjectura; habebat ms. Lipsii; *nec temere sumpta, ut barbaris spes: sed,* &c. quod idem probabat d. cap. XIX. at v. e. *nec temere sumptus, ut barbaris, impes. & positis.* meum ergo facinus solum est, *impetus*, pro *impes*, quod tamen prorsus non damno, sed auctori nimis arbitror antiquum. vulgg. aut, *nec tenuere suos ut barbaris impares. sed*, aut, *nec timuere sumptus ut barbaris impares; &.* aut: *nec temere subtus, ut barbaris impares: &.* &c.

Apud Asturam flumen.] v. e. *Scura* habet, ut & mss. Vineti.

127 *Ingentis esse consilii illud observari cœpit Natura, &c.*] Sic vulgati & editio nostra obsoleta, *Ingentis esse consilium illud observari caput consilio. Natura.* quibus quid faciam, hoc puncto temporis non occurrit.

Intra Taurum & Euphratem.] v. e. *intra Trigim*: neque ita displicet. otium tamen non est perpendendi utrumque.

Ab alio venire cælo.] Ita v. e. aliæ, *venire sole.* Hæc habui quæ transcursu primæ editionis sublegere licuit per animi & per corporis morbum. ea si cui exigua videbuntur; quid mirum? non totum impendi triduum. Et sic tamen audeo dicere; exhibere me Annæum Florum non paulo coloratiorem honestioremque quam hactenus prodiit. verum quod primo isto impetu non præstiti, præstabo forsan alio tempore; si modo tamen.

—— *Adjicient hodiernæ crastina vitæ Tempora Dii superi.*

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. STADII

IN L. IVLII FLORI

HISTORIARVM

LIBROS IV.

COMMENTARII.

Digitized by Google

Digitized by Google



ARGVMENTVM

PROLOGI

IN

LVCIVM IVLIVM FLORVM.

Quod virtute duce, comite fortuna populus Rom. per bellicam virtutem multum, per disciplinam rei militaris ut plurimum, ita ad orbis imperium excreverit: ut animo concipere ejus vicissitudinis & progressus memoriam nemo queat commodius, quam qui imagine ab hominis ætate desumpta; eam distribuat per infantiam, adolescentiam, virilitatem, senium: ut pote qui ordine tali & distributione rerum gestarum magnitudinem conceptam facilius, imperii molem subtilius, temporum intervalla sit distinctius comprehensurus.

COMMENTARIUS.

Pop. Romanus.] Laboriosos populi Rom. progressus & incrementa illa quibus militari virtute & disciplina orbis imperium acquisiverit, quatuor libris prosequuturus, prudenter sane & ordine & imagine ab hominis ætate desumptis, confusionem evitare studet, quæ alioquin lectoris memoriam, tanta rerum gestarum amplitudine, ætatum serie, variantisque fortunæ vicissitudine turbatura fuerat. Vt enim ætati ætas ad quartum usque gradum succedit; ita populi R. ab exiguis initiis progressum, per quem urbis unius Respublica, orbis imperium, rei militaris disciplina, septingentesimum per annum assequuta fuerit, recenset. Egisse scilicet populum R. infantiam sub Regibus CCXLIV. annis, adolevisse principem populum sub Coss. Dictatorumque magistratu CCXLV. annis ad primum usque bellum Punicum: maturuisse deinceps virilitate sua CCXXI. annis, hoc est, usque ad Cæsaris Augusti primum consulatum, quem vi sibi postquam in prælio Coss. Hirtius & Pansa cæsi erant, sumpserat, post septingentos & novem annos ab urbe condita, uti ex Annalibus Coss. & fastis colligitur. atque tantam imperii molem magnitudine sua, Imperatorum inertia, populi Romani luxu, avaritiaque consenuisse, confectamque videmus.

Sep-

Septingentos per annos.] Septingentos per annos, concise dixit: cum ab V. C. ad Augusti primum consulatum percenseantur anni IↃCCIX. idque in fastis & Capitolinis tabulis, quare hic novem anni desiderantur. quia tamen compendio comprehensurus est Populi R. fatum, rotundo numero uti, ut compendiosiore, maluit. Nam quod fere scriptores diversi abeunt ab ætate illa conditæ Vrbis digerenda, quæ in Capitolinis tabulis habetur, ideo factum esse manifestum est, quod aliquando annos aliquot ipsi prætermittunt, in quibus Dictatores sine Coss. magistratum gesserunt. & quod sollemnes dies ineundo consulatui inconstanter & varie ab initio observati, unius anni differentiam attulerint.

Ætatem ultra putet.] Vt Latini ætatem vocant humanæ vitæ spatium suis progressibus distinctum, ita septingentos annos quibus infantiam, adolescentiam, juventutem P. Romani complectitur, ætatem vocat: eo sensu, ut septingentos alteros annos lector putaret adjiciendos, ad moliendam tantam principis populi majestatem, & amplitudinem. Putare enim, probis scriptoribus significat, summam collectam nuncupare, hoc est, per rationes collectam summam pronuntiare.

Fortuna.] Exstat de fortuna Romanorum liber Plutarchi elegantissimus Budæo interprete.

Prope CCL *per annos.*] Regnatum est Romæ ab Vrbe condita ad libertatem, annis CCXLIV. ita enim summa annorum colligitur ex Annalibus Consulum, & numeris triumphorum, hoc est, ex monumentis calculandi priscorum tempora, eaque digerendi ratione fidissimis. Nam quod annum unum subducunt Eutropius, Rufus, Solinus, Eusebius, Orosius; eo referendum est, quod nonnulli reges supra integros annos (quod suo loco demonstrabimus) menses & dies aliquot regnarunt, illasque anni partes, quæ collectæ annum explerent, ut contemnendas, ipsi præterierunt. Cur ergo Florus (*prope*) adjiciat, manifestum est, ut scilicet sexennium 250. annorum summæ deesse admoneret. Sub Regibus vero, hoc est, sub infantia Pop. Rom. ipsorum ager ab urbe ad XV. miliaria, ut Eutropius; ad XVII. ut Sextus & D. Augustinus mensurant, productus est. Regum tamen institutis & legibus ita Reipublicæ fundamenta sunt jacta, ut ab iis primordiis ad gentium omnium principatum, bello paceque P. R. adoleverit.

A Bruto Collatinoque Coss.] Bini Consules creati primum sunt, Regibus ob tyrannidem exactis, duo Lucii; Iunius Brutus, & Tarquinius Collatinus, anno Vrbis conditæ CCXLIV. sed Italia Romanorum armis edomita est, sub primum bellum Punicum anno Vrbis conditæ CCCCLXXXIX. sunt ergo intermedii anni CCXLV. differtque ratio Flori a fastorum & scriptorum omnium calculo per annos XL. idque non satis toleranda numerorum securitate: quare nos scribendum putamus CCL. ne noster tanto intervallo a ceterorum consensu diversus abiisse videatur.

Quinctum Fulv. Coss.] Consules eduntur in fastis Capitolinis ad annum Vrbis

Digitized by Google

Vrbis conditæ CCCCLXXXIX. APP. CLAVDIVS CAVDEX, & M. Fulvius Flaccus, ut prænomen Quincti vitiosum sit pro Marci.

Viris armisque inc.] Circuitione significat gentem Valeriam, Postumiam Papiriam, Quinctiam, Furiam, Corneliam, Fabiam, Curiam, Fabriciam, quæ a Regibus exactis usque ad Italiam edomitam, magna & illustria abstinentiæ, modestiæ, fortitudinis & virtutis Romanæ documenta præbuerit.

Ducenti anni] Orba Coss. Republica, Octavius qui deinde in imperio Augustus est dictus, occasione invadendi magistratus, promovit ad urbem exercitum, & per vim a Senatu consulatam extorsit; anno ab V. C. IↃCCX EX A. D. X. KL. OCTOB. cum Idibus Martiis superiore anno præteritis, Cæsar Dictator coniuratorum violentia XXIII. vulneribus in Senatu confossus esset. quare si numerum volumus eadem ratione cum mox sequenti rotundum, qua binæ ætates præcedentes inter sese consentiunt, scribendum & hic erit CC. atque ita ducenti, cum bis CCL. hoc est, quingentis conjuncti, septingentos ab Vrbe condita usque ad Augustum Cæsarem annos sunt collecturi, ut ratiocinium L. Flori statim ab ipso in præfatione nuncupatum expleatur.

Anni cc] Perplexe satis istud cc. annorum spatium usque in suum sæculum L. Florus circumscripsit. cum namque ad Augusti consulatum a condita Vrbe computaverit IↃCC. annos; altera, & ista quam nunc recenset ducentorum annorum ætate adjecta, colligimus nongentos annos, producimusque populi Romani senium ad Hadriani usq. Cæsaris excessum: cum tamen Trajani XIII Romanorum Imperatoris virtute, imperium Meridiem & Septemtrionem, Ortumque versus latissime productum sit, quod, ut Florus subindicat, ita ceteri scriptores constantissime testantur. Sed sub Hadriano qui parta tuebatur solum, vel etiam negligebat, adseverent imperium non esse amplificatum. Quare si Flori rationem produxerimus a consulatu Augusti usque in Trajani mortem, colligemus annos CXXC. atque ita Florus XX. annorum spatium in his verbis (*non multo minus*) inclusisse videtur.

Decoxit] In verbo *Decoxit* egregia translatione usus est: ut enim si vitio nostro illa dissipemus, quæ nostro labore parta non sunt, sed a majoribus relicta, decoxisse notamur; ita quæ virtute & rei militaris gloria sibi P. R. acquisiverat, illa Imperatorum ignavia, hostium insultu divulsa sunt ab Imperio, ut etiam in tanta P. Romani, principis olim terrarum majestate, conversionem observare liceat, quam Plato scripsit, & Cicero laudat, intra septingentos annos statam esse & magnis Rebuspublicis definitam.

ARGVMENTVM
IN CAP. I. LIB. I.

Romuli & Remi ortum, educationem, & fortunam exponit; quo modo postquam Numitoris avi, & Silviæ matris injurias ultus esset Romulus Rex, Romam in Palatio condiderit; quam deinceps legibus, institutis, armis, consilio ita confirmarit, ut fundamenta tanto olim imperio jecerit. ipse Romulus incerta morte ereptus, Quirini nomine consecratur.

COMMENTARIVS.

Primus ille & Urbis & Imp. cond.] Reipublicæ orbis totius potentissimæ incrementa percensurus, consulte ab Vrbis conditore, Regibusque qui septem eo quem prosequetur ordine regnarunt, initium ducit.

Romulus] Romulum & Remum spurios fuisse Plutarchus in Theseo auctor est: vetus tamen opinio fuit ut tanti populi orginem ad Deos referret, esse natos ex Marte & Rhea Silvia, sive Ilia (iis namque nominibus Scriptores utuntur) Vestali virgine, Numitoris Albani reg. filia. Amulius frater minor Numitorem primogenitum & successorem legitimum per vim regno depulerat, ejusque filium ne qua spes heredis aut ultoris futuri superesset, in venatione percussit; filiam ad Vestale sacerdotium ceperat. Sed postquam furtivo concubitu gravidam deprehendit, eam custodia sepsit ut partus enecaretur: ipsa quidem peperit gemellos, qui Amulii imperio in profluentem projecti, beneficio Faustuli pastoris Regii collecti, servati sunt & educati: ipsa Silvia a partu liberata & stupri rea patrui jussu, ut habet Eusebius, viva defoditur. alii in carcerem, deprecante Antho, Amulii Regis filia, conjectam referunt, inde filii Romuli beneficio, cum Amulium interfecisset, ereptam & restitutam.

Romulus] Romulum a Ruma, id est, ubere, Romum invenisse nomen, probati scriptores testantur: inde Romulum blandiendi caussa dictum, eo quod parvulus & inhians ad ubera lupæ sub ficu repertus esset.

Apud arborem] Arbor illa dicta fuit Ficus Ruminalis; vel quia pecora ibidem ruminantia æstum sub umbra vitabant: vel a Romulo ibidem a Faustulo collecto. Ruminalem ficum, erat autem in Comitio, sub Nerone Cæsare 840 annis postquam Romuli infantiam potexerat, aruisse contabuisseque refert lib. XIII. Tacitus, non sine omine in deterius progressuri imperii.

Alba tunc &c.] Albam Longam condidit Ascanius Iulus, Aeneæ ex Creusa filius; anno post captam Trojam XXXII. a condito per Aeneam ipsius patrem Lavinio: (quod ita ab uxore Lavinia Latini Regis filia appellatum est) anno tricesimo.

Iam bis septima sobole] Quatuordecim ab Aenea & Ascanio primis Latinorum regibus continua successione Reges gubernarunt. Regnatum esse a Latinis ad conditam Romam annis 428. sed ad conditam urbem usque a

Troja

Digitized by Google

Troja capta anni recensentur CCCCXXXII. quatuor enim annis Aeneas cum suis erraverat antequam in Italiam appelleret. Sed quia variant auctores omnes in nomenclatura regum Albanorum, etiamsi quatuordecim enumerent a Silvio, Aeneæ ex Lavinia posthumo (ab eo, inquam, Silvio, qui nomen ideo quod in silvis natus & educatus esset, invenit, dum post Aeneæ mortem Lavinia gravida privigni Ascanii odia vitaret) consulte illorum nomina omisimus, cuilibet enim illa ex Dionysio, Livio, Ovidio in Fastis, & Eusebio in promtu sunt.

Gemini erant] Restituto Numitore avo, ut Albam Longam pastorum advenarumque turba, quæ cum Romulo ad vindicandam Amulii tyrannidem confluxerat, exonerarent, capiunt ex avi auctoritate & subsidio novæ urbis condendæ consilium: sed distrahebantur æmulatione fratres, utrius auspicio & quo loco urbs conderetur. Romulus Palatinum montem, quia collecti ibidem a Faustulo educatique essent, ceteris præferendum contendebat; Remus Aventinum delegit propter Remuriam jam utcunque ibidem a se exstructam. Crescente vero æmulatione & factione quoque partium, avum Numitorem consulunt: ille rem augurio, hoc est, deorum judicio, quod de cælo ex avium volatu & numero observarent, committendum definiendumque respondet.

Adhibere placuit Deos] Sacris itaque legitime peractis rem auspiciis permittunt: (quæ quare Piacula vocet Florus, non satis assequor, etiam si piacularis sacrificii Festus, sed longe alia significatione meminerit) Putarem equidem si pateretur exemplarium consensus, auspicia pro piacula, apertius & significantius substituendum, aut, ut legit Iornandes Gothus, scribendum esse, *adhibere placuit Deos*.

Montem Aventinum] Aventinus unus ex septem collibus Romanis, ita ab Aventino duodecimo Albanorum rege, qui ibidem & habitavit, & sepultus est, dicitur (& si Varro etiam alias hujus nominis rationes adferat) tamen quia illa Dionysio probatur, nobis non omnino reiicienda videtur. Aventinus pomœrio non fuit inclusus ante Claudium Imperatorem ad octo sæcula posteriorem, addit caussam apud Gellium Messalla, quod in eo Remus auspicatus, avibus irritis habitis a fratre in auspicio superatus fuerit, quare ut inauspicatum pomœrio exclusum.

Palatinum] Pallantium ab Arcadibus qui eam coloniam a Fauno Aboriginum rege susceperant, in monte conditum, a veteri patria Pallantium appellarunt. quare ipse mons Palatinus dictus est atque Palatium. Eustatius, ὅθεν καὶ νῦν οἱ Ῥωμαῖοι τὰς βασιλικὰς [illegible] ἔχουσι ὄντα καλοῦσι παλάτια, καθ' ὑφαίρεσιν ἀμφιβόλου τοῦ λ, ἢ τοῦ ν.

Sex vultures] Vultures ideo potissimum in auguriis observatos testatur Plutarchus, quod rarissime & nisi fortuito conspiciantur; quod innoxii sint, nec ex rapto vivant, & sui generis cadavera non devorent.

Vrbem excitat] Condi cœpta est vrbs a Romulo EX. A. D. XII. KL. MAI. die ipsis Palilibus sive Pastorum Deæ Pali sacro, hora intra tertiam &

Digitized by Google

& quartam, ut, refert Plutarchus: atque hic dies vocatus est deinceps urbis Natalis. Fuit is annus post captam Trojam ccccxxxII. Ante Christum natum IↃCCL. & diebus cxxcv. quare a condita Vrbe usque ad hunc annum, quo ista conscribimus, 1565. numerantur anni MMCCCXIV. Multi tradidere Romam ante Romulum longo intervallo conditam, & variarum opinionum auctores laudat & recenset Dionysius lib. primo.

Aves pollicebantur.] Hoc ideo dicit quod vultures tardo fere volatu comitari solent exercitus, triduoque ante aut biduo volare, ubi cadavera futura sint. Plinius lib. 10. cap. 6.

Dubium an jussu fratris occisus est.] Vtriusque partis studio dum factiose altera Remum altera Romulum colit, extollitque audaciore æmulatione, a verbis ad verbera deventum esse scribit Dionysius, Remum in ea pugna cæsum & in Remuria sepultum. Alii scriptores eadem cum Floro recensent, & Celerem fabricæ præfectum, rutro in illudentis Remi caput inflicto ipsum exanimasse. & Lucanus,

Fraterno primum maduerunt sanguine muri.

Asylum facit] Asylum sive templum aperuit perfugis ad securitatem Romulus, vocavitque illud Asylæi Dei, quasi e cujus templo abripere quemquam nefas esset: ita ut neque dominis servos, neque nexum æris alieni caussa creditori, neque homicidas magistratui dedere liceret. Eadem Asylia fine libertas adhuc hodie in divorum nostroum templis observatur. aperuerat Asylum Romulus eo consilio ut urbs habitatoribus frequentaretur ex advenarum confluxu, quippe statim a primordio urbis ipsa vix mille domus habebat ut testatur Plutarchus.

Qui sub Aenea] Aeneas in Italiam venit antequam urbs conderetur annis ccccxxxII. venerunt in Italiam Arcades Evandro duce, Aboriginum rege Fauno regnante, ante urbem conditam ccccxc. annis, si veri sunt Chronologi. Fuit itaque Arcadum aduentus prior annis LVIII. quam Trojanorum. Vide Dionysium libro primo.

Simulatis quippe ludis equestribus] Contaminari sanguinem suum putabant vicini, si matrimonia cum ea gentium plebisque colluvione miscuissent; contemtæ sunt itaque legationes Romanorum conjugii causa cum vicinis susceptæ. Consilium ergo ex necessitate sumserunt, & additur dolus, rapiendas scilicet ad Consualia (hoc est, ad ludos Neptuno equestri sollennes) invitatas virgines, quando oculos & mentem ad spectacula convertissent. Successit fraus anno V. C. quarto, die xv. Kl. Septemb. raptæ sunt virgines maxima ex parte Sabinæ 683. ut Dionys. scribit, & si alii apud Plutarchum diversi sint ab hoc numero. Cæninenses, Crustomini, Antemnates, Vejentes, Sabini hospitaliter vocati erant, & hac nunc raptarum virginum injuria proritati bellum movent. Cæninenses dum impetu quodam temere potius quam fortiter prælium ineunt, victi sunt, & Acrone ipsorum rege a Romulo interfecto captaque urbe, jubentur, ut Romam relicta patria habitatum abirent.

Spolia

Spolia insuper opima de rege] Opima ſpolia vocantur Feſto, quæ dux P. R. hoſtium duci ſua manu interemto detraxerit, eaque trina tantum contigerunt nomini Romano, intra annos fere ıↄxxx. magna raritate: una quæ dux Romulus de Acrone: altera quæ Coſſus Cornelius de Tolumnio Vejentium rege: tertia quæ M. Marcellus de Virdumaro Gallo fixerunt. Opima ergo, hoc eſt, magnifica, ampla. Feretrium Jovem vocavit a feretro ad ferenda opima ſpolia Jovi apte fabricato, quod Græcis etiam φερέτριον vocatur.

Per virginem] Tarpejam Tarpeii Capitolio præfecti filiam ſignificat, de cujus pacta prodendi Capitolii cum Sabinis mercede, variæ opiniones vel fabulæ potius referuntur. Capitolio tamen ipſius opera capto, creditur Sabinorum ſcutis obruta eſſe: quia dicitur pacta ab hoſtibus quod illi ſiniſtra gererent, nempe ſcuta, ea ſpe ut illos exarmaret, nudatoſque ſcutis jam Romanis feriendos traderet. qua fraude deprehenſa Sabinorum indignantium ſcutis obruta putatur & interemta.

Stator Jupiter] Voto ſuo templum Statori Jovi, ut fœdam ſuorum fugam ſiſteret, nuncupabat teſte Livio, & Plutarch. ηὔξατο τῷ Διὶ στῆσαι τὸ στράτευμα καὶ τὰ Ῥωμαίων πράγματα πεσόντα μὴ περιιδεῖν ἀλλ' ὀρθῶσαι, &c. Sunt qui Statoris vocabulum inde putent detlexum, quod erecta ad ſuccurrendi promtitudinem ſemper ipſius Satoris ſtatua conſiſteret, quum ceteræ ſederent: alii a ſtabilitate conſtantiaque nomen illud derivatum contendunt, inter quos eſt Seneca.

Fœdusque percuſſum] Percuſſum fœdus cum Sabinis poſt triennale bellum iſtis conditionibus ex fide dignis auctoribus colligo: ut Romulus T. Tatium in ſocietatem regni reciperet ut Vrbs a Romulo Roma, Populus a Curibus T. Tatii patria, Quirites vocarentur. Ratio etiam matronarum quia publicam pacem ſua deprecatione conciliaverant, habita eſt; ut mulieres quæ vellent cum ſuis maritis vivere, liberæ ab omni opere & miniſterio, præter lanificium, haberentur. Habuit deinceps commune regnum Sabinorum Rex Tatius cum Romulo ad quinquennium, quouſque ab Lavinienſibus, qui a Tatii propinquis latrocinio & injuria vexati erant, interemtus eſt, pœnasque dederit contempti juris gentium in ſuorum gratiam, ipſeque moriens Romulo gaudium, & ſublato imperii æmulo ſecuritatem attulerit.

Hoſtes demigrarent] Cicero in Balbi defenſione: *Illud vero ſine dubitatione maxime noſtrum fundavit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator Vrbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere, cujus auctoritate & exemplo nunquam eſt intermiſſa a majoribus noſtris largitio, & communicatio civitatis, &c.*

Per tribus] Vocabulum TRIBUS apud Romanos tria ſignificat.

1 Locum, hoc eſt, partem quandam urbis & agri Romani.

2 Homines, hoc eſt, partem Romanæ civitatis.

3 Ius, quo ſcilicet donati ſunt illi, qui in talem aliquam civitatis partem poſtea fuerunt a cenſoribus diſtributi. TRIBUS nomenclaturam nonnulli trahunt a Tributo, quia P. Romanus in Tribus diviſus tributa conferebat, vel a numero Tribuum, quia P. R. primum a Romulo in Tribus tres deſcriptus fuerit:

1 In Ramnenses, ab ipso Romulo dictas: quam conscripsit ex Albanis iis qui secum eo ab Alba convenerant, & Palatium tenebant.
2 Tatienses, a Tatio vocatas, quæ cum Sabinorum rege Tatio Romam emigraverant, & Capitolium habitabant.
3 Luceres, vel Lucumone Etrusco, Romuli fidissimo socio, ut Varroni placet: vel, ut Pædianus refert, a luco, quem Asylum Romulus fecerat: omnes namque in eam Tribum conscribebantur qui Romam vel ob civitatis communionem, vel Asyli libertatem ex locis vicinis habitatum confluxerant. Ex singulis tribubus singulæ Equitum Centuriæ conscriptæ sunt; atque hinc factum est, ut eadem illa nomina fuerint primis tribubus cum centuriis tribus equitum communia. Armavit itaque ex iuventutis delectu Rempublicam Romulus, dum exercitum in legiones & turmas describit; (legionem Romani vocant certam peditum manum, a delectu fortissimorum militum dictam.) Conscripsit itaque Romulus legionem trium millium, ita ut ex singulis tribubus singula millia: & singulorum etiam millium duces, Tribunos vocarit. Scripsit itidem tres equitum turmas, quas a centenario equitum numero Centurias appellavit: addebanturque hac ratione singulis legionibus singulæ Equitum centuriæ. Sed auxit Romulus post Sabinum bellum numerum legionibus, ita ut militum quattuor milia legio scriberetur, (unde Quadrata dicta est teste Festo) Sabinis in urbem receptis. Atque ita deinceps legiones numero militum variatæ sunt pro usu Reipublicæ & Senatus arbitrio, ut modo quattuor, aliquando quinque, nonnunquam sex millium esset, quemadmodum facile lector quilibet ex Livio observabit. Sed redibimus ad Florum, si paucis de Curiis etiam a Romulo institutis dixerimus. Tribuum partes Curiæ vocantur; singulas enim Tribus in Curias decem divisit, unde triginta Curiæ colliguntur. Estque Curiarum etiam significatio triplex, nam & locum significat ubi curarent sacerdotes res divinas, & ubi Senatus humanas. Significat cœtum quendam hominum, qui inde Curiales dicti sunt. & significat Curia etiam jus quo Curiales ipsi donati sunt, nos hodie parochias vulgo dictas, Romana similitudine Curias vocaremus.

Penes senes esset] Considerabat Romulus infirmam esse foris militarem disciplinam nisi togata etiam prudentia domi corroboraretur. delegit itaque ex senibus Senatum; quos namque in scribendis legionibus ob senium prætererat, eos ob ætatis illius consilium, prudentiamque in publicum consilium delegit; ut ad ipsum de summa Reipub. referret, ex quorum auctoritate omnia ageret, quæ publice sibi suscipienda existimaret. Quos ad centum ita lectos Patres vocabat; vel a curarum similitudine, vel ob ætatis reverentiam, vel denique quia soli centum erant qui patres ciere possent, hoc est, ut Plutarchus & Dionysius, ὅτι πατέρας ἔχω ἀποδεῖξαι μόνοι: horumque progenies Patricii deinceps vocata est. atque ista fuit prima Senatorum lectio, majorumque gentium: qui vero cum progressu temporis vel a Regibus vel Coss. vel Censoribus sublecti sunt, Patres conscripti, vel minorum gentium vocati sunt apud scriptores. Numerum Senatorum cum progressu Reipublicæ etiam

etiam variasse ex historiis colligetur; sub Prisco Rege trecenti fuerunt usque ad Sullana tempora, qui ad quadringentos legit. inde etiam crevit numerus Senatorum usque ad millenarium. Sed ista alio loco etiam commodius prosequemur.

Capreæ paludem] Cum populi consensu Romulus regnasset annis triginta-septem, diebus LXXVII. Rempublicam legibus ac institutis fundasset, togata ac militari disciplina confirmata, Nonis Quinctilibus subito ex vivis & hominum oculis ereptus dicitur. Atque is dies Nonæ Caprotinæ dictus est, (hodie censeretur septimus Iulii) eo quod Romulus exercitum eo die ad Capreæ paludem recensens amplius non comparuit. Dictus est & Populifuga ob consternatum subita regis morte populum, Plutarcho, Dionysio, ceterisque testibus.

Ob asperius ingenium] Adiiciunt alii, discerptum ita in Senatu fuisse Romulum, ut Senatores singuli, singula frusta sinu occultata efferrent, ne facinoris ejus vestigia exstarent. Auctores hujus narrationis Plutarchum habeo & Dionys.

Solisque defectio] Mirum sane atque observatione dignum, ter solis defectum in unius Romuli historia notatum esse: primum, quo die conceptus dicitur; alterum Natali urbis die, quum prima fundamena jacerentur: tertium quum in vivis Romulus esse desiit, ut ex Plutarcho, Dionysio & aliis observavimus. sed ut Mythologorum quoque judicia exerceamus, velim mihi expediant cur Sol usque adeo in Silviæ stupro Martis sceleri faverit; ut obscurata facie in deliquio, ipsius facinus protexerit? Contra, in Martis & Veneris adulterio prodendo Sol fuerit oculatissimus?

DE INTERREGNO.

Admonet hic locus in paucis de interregno, quod annum unum Patres tenuerunt, dicamus. Post Romulum ita repente sublatum e medio, ut ne cadaver quidem ejus exstaret, nec successor qui Romulo par esset haberetur, Interreges Reipublicæ præfuerunt, hoc est, regnarunt Patres per vicissitudinem decuriarum, eo quo Livius prodit ordine annum unum. Interregnum vero intervallum illud temporis ab re vocatum est, quo regnum vacavit a demortuo rege ad successoris proximi creationem. Interrex ille dicebatur qui interea regno præerat donec successor designaretur. sed Interregis potestas quinque dierum tantum erat, quibus exactis alter iterum prodebatur Interrex, & ille successorem, quousque magistratus legitimus in demortui locum crearetur. Valuit deinceps etiam ad posteros Interregni magistratus, resque ad Interregnum rediisse dicebatur, quum vel Consules rei gerendæ caussa absentes, interesse comitiis non poterant, vel Coss. vitio creati abdicassent, aut uterque Coss. in Magistratu interiisset. quod si tunc Dictatorem comitiorum habendorum caussa dici non placuit, tum Interrex comitiorum caussa, sed e patriciis solum, prodebatur: nec moris tamen erat ab eo qui primus Interrex proditus erat, teste Pædiano, comitia haberi, sed ad alterum aliquando & plures Interreges comitia prorogabantur.

Digitized by Google

ARGVMENTVM IN CAP. II.

Numa Pompilius a Curibus Sabinorum, eo quod æquitate prudentiaque excelleret, populi jussu, Patrum auctoritate evocatus, alter Po. Ro. Rex creatur. qui etsi nulla belli laude nobilitatus sit, tamen pacis & religionis virtute floruit. idem Pontifices, Augures, Flamines, Salios, Vestales, aliosque sacerdotes primus creavit.

COMMENTARIVS.

Vt populus Romanus bello efferatus, pacis etiam artibus religioneque mitesceret, opus fuit placiditate modestiaque Pompilii, qui sacra, cæremonias, sacerdotes ut populum religione altringeret, superstitione caperet, instituit. Ad regnum inauguratus est anno ætatis XXXVIII. Natum namque Plutarchus prodit ipso Vrbis Natali. Regiam potestatem XLIII. annis pace & legibus administravit, cum finitimis societatem vel fœdera junxit, vel gentem alioquin Vrbi pacatæ infestam futuram, pietatis reverentia coercuit. ipse naturali senio confectus, morboque consumtus anno Vrbis conditæ LXXXI. legitur.

Pontifices.] Pontifices omnia sacra promiscue, vel publica, vel privata curabant. Legit autem Numa Pontifices quatuor, e quorum collegio Pontificem Maximum creavit, qui ceteris præesset. Primum Numam Marcium Sabinum secum ex Sabinis Romam profectum, & in Patricios a se allectum. atque hic post Numæ regis obitum cum Tullo Hostilio de regno contendit, ab eoque victus sibi mortem conscivit. Vide Dionysium, Livium, Plutarchum in vita Numæ.

Augures.] Augures, hoc est, tres sacerdotes, qui auspiciorum disciplinam curarent, a Romulo, auguralis disciplinæ peritissimo lectos fuisse, apud priscos auctores constanter scriptum est. Itidem octo Haruspices qui extorum, Fratres quoque XII. Arvales, qui pro arvorum frugibus; Curiones XXX. qui pro singulis Curiis sacrificarent, conscriptos esse ab eodem Romulo testantur historici & scriptores ceteri. quare mirum est cur Augurum sacerdotium Numæ, & promiscue cetera sacerdotia confundens adscribat.

Salios.] Salios Palatinos XII. Gradivo Marti sacra operaturos Numa legit; dictos a saliendo, quia solenni saltatu tripudiisque Vrbem lustrabant Ancilia portantes. Cetera apud Livium, Dionys. & alios lege.

Sacerdotia.] Sacerdotes vocant Latini omnes qui quæve res sacras divinasque tractabant, e quibus aliquot singulis diis operabantur, aut promiscue omnium deorum rationem habebant, de quibus jam diximus Pontifices. Ex iis qui singulis operabantur a Numa institutos invenio, Salios XII. qui Marti; Flamines tres, quorum qui Iovi operabatur Dialis, qui Marti Martialis, qui Quirino Quirinalis dictus est. quæ Vestæ sacra peragebant,

ignem-

Digitized by Google

ignemque cælestem custodiebant, & pro populo sacrificabant, quatuor Vestales Virgines cum Vestali Maxima creatas: Fetialesque viginti cum patre Patrato, qui belli pacisque disciplinam tenerent, delectos a Numa observavi.

In XII. *menses.*] Numa rex annum ex Græcorum usu ita ad Lunæ cursum digessit, ut trecentos quinquaginta quatuor dies contineret, cumque Luna solem quotannis undecim diebus cum quadrante antevertere deprehenderetur, Lunaremque annum vicesimo quoque anno Solarem CCXXV. diebus excedere, eam inæqualitatem intercalatione ita dispensandam exæquandamque constituit, ut secundo quoque anno vicissim, modo dies viginti duo, modo tres & viginti post Terminalia Pontifices intercalarent. ea namque ratione futurum erat, ut vicesimo quoque anno, intercalatione CCXXV. dierum ita dispensata, Lunæ cursus cum solis conversionibus exæquaretur. undecim namque dies cum quadrante vicies ducti, ducentos viginti quinque dies colligunt. Perita admodum certaque tam rudi sæculo institutione, Lunæ Solisque cursus in suam rationem intercalatione tam justa revertebantur, nisi posteriorum Pontificum negligentia, ut Cicero de legibus; avaritia autem ipsorum, & cum publicanis fœneratoribusque collusione, ut Censorinus & Macrobius accusant, dissoluta fuisset.

Imperii pignora.] Pignora imperii ideo vocat, quod voce cælitus missa exauditum est, civitatem omnium fore potentissimam, quamdiu Ancile de cælo lapsum in ea mansisset. Oraculum etiam de Palladio, (Palladis simulachro quod a Troja in Italiam delatum ferunt, & in æde Vestæ servabatur) redditum erat, Vrbem fore sempiternam, si id simulachrum extra mœnia non portaretur. Ancile, teste Festo & Ovidio in Fastis, scutum breve erat, ita ex utroque latere recisum, ut nullus angulus videri posset, & summum infimumque ejus latus a medio sinuato in orbem colligeretur. ita enim extant in numismatibus Romanorum aureis, & argenteis.

Ianumque geminum.] Iani templum ad infimum Argilletum, indicem pacis bellique fecit, quod apertum, in armis esse civitatem; clausum vero circa omnes populos pacatos significaret. Clausum autem intra IↃCLXX annos bis tantum post Numam, testantur Livius, Plutarchus, Eutropius, Orosius, Vellejus lib. 2. Primum nempe anno Vrbis conditæ IↃXVIII. T. Manlio Torquato Consule, pace toto imperio parta. Iterum post Actiacam Augusti victoriam.

Flamma vigilaret.] Vsque adeo ominosum, & piaculare habebatur Vestalis ignis vel negligentia humana exstinctus: quod Vestalis virgo, cujus id incuria acciderat, flagris a Pontifice Maximo expiaretur, a P. R. hostiis majoribus velut prodigium procuraretur, & supplicatio ad Vestæ haberetur, teste Livio lib. 28.

Dea Egeria.] Sunt aliquot qui Egeriam unam septem Musarum faciunt, inter quos est Plutarchus; alii Nympham ita ab egerendo, teste Festo, dictam, quia ipsi sacrificabant prægnantes, quod eam putabant facile fœtum utero egerere. Istam Egeriam consulere Numa sese super cultu religionum, &

ceræmoniarum institutis simulabat; ut populum superstitione tali captum, ad ea quæ commentabatur, faciliorem haberet. Vide Ovidium in Fastis.

ARGVMENTVM CAP. III.

Tullus Hostilius tertius Romanorum rex, populi jussu, Patrum auctoritate creatus, militari iterum disciplina armisque senescentem populi Romani virtutem acuit. Albanos trigeminorum Horatiorum pugna in potestatem redactos, ob fidem ab ipsis iterum Fidenati bello violatam, Alba diruta Romam traduxit.

COMMENTARIVS.

Tullus.] Tullus Hostilius ne P. R. otio senesceret (totis enim quadraginta tribus annis, quibus Numa præfuerat regno, nec bellum gesserat, nec triumphaverat) belli caussas cum Albanis ex agrestium mutua deprædatione ortas, avidissime suscepit. Bellum alterum gessit cum Fidenatibus Romanorum colonis, & Vejentibus ipsorum sociis, qui agrum quem Romulus ipsis ademerat repetendum armis decreverant. Prælio cum hostibus commisso in ancipiti discrimine, Tullo cum Albanorum etiam defectione dimicandum fuisset, nisi ille in hostium cladem stratagemate & imperii simulatione usus, a se imperatum ut hostem a tergo adorirentur Albani, simulasset. Fidenatibus victis, Metium Dictatorem Albanorum fœderis ruptorem quadrigis in diversum actis dilacerari imperat: Albanum populum, Alba eversa Romam transmigrare. Inde tertio bello arma Sabinis illata, quia negotiatoribus Romanis manus injecerant, neque res repetitas reddiderant; prælio ad silvam Malitiosam conserto victi sunt Sabini, & iis petentibus pax data. Regnavit Hostilius annos XXXII. Fulmine ictum cum regia, uxore, filiis, omnique familia conflagrasse, ex Pisonis annalibus partim a Plinio relatum, partim a Dionysio & ceteris accepimus. Sunt qui Anci Marcii successoris sui insidiis interemtum memorent. Mortuus est anno Vrbis conditæ CXII.

Principem populum.] Albam Longam fuisse ab Ascanio Aeneæ filio exstructam ante Vrbem conditam CCCC. annis ex annalibus colligitur: dirutam anno Vrbis conditæ XXCVII. Stetit itaque res Albana CCCCXXCVII. annis. Principem populum, hoc est, originis auctorem ideo vocat quod & Romani Albanorum coloni essent, & genus & gentem Romani etiam patricii magna ex parte ad Albanos referrent.

Horatii Curiatiique.] Horatios Trigeminos pro Romanis, Curiatios pro Albanis pugnasse Livius ut verisimilius testatur, iidem Dionysius, & ceteri omnes.

Citavere leges nefas.] Duumviros Capitales, qui de Horatii paricidio capitis anquirerent, hoc primum anno creatos, eo consilio ut judicii invidiam ipse Tullus declinaret, & tamen paricidium puniret, invenio; eosque cum provocatione ad populum. Capitis namque damnato filio a Duumviris, pater Horatius ad populum provocat. Populus filii vitam lacrumis patris condonat.

Fide-

Fidenati bello.] Fidenates & Vejentes usum occasione ex eventu belli, quod inter se Romanus & Albanus gerebat, arma ex insidiis parabant: quos ut fœdere junctos intelligunt, bellum quoque & ipsi sopiebant. Fraude tamen & perfidia Fufetii, societatisque promissione ad arma contra Romanos sollicitantur. Flagrabat namque Dictator Fufetius domestica invidia apud suos eo quod publicam fortunam Trigeminorum fato experiundam commisisset; eam se Fufetius tali in Romanos insidiarum occasione exstincturum sperabat.

ARGVMENTVM CAP. IV.

Ancus Marcius populi jussu, Patrum auctoritate quartus Rex declaratus, mœnia muro cingit, Sublicium pontem struit, Ostiam condit.

COMMENTARIVS.

Ancus deinde Marcius.] Ancus Marcius superiori cuilibet pacis bellique artibus par fuit; septem bella gessit, primum cum Latinis, alterum cum Fidenatibus, tertium & septimum cum Sabinis, quartum & quintum cum Vejentibus, sextum cum Volscis. Horum omnium bellorum communis caussa fuit, ut res Romanis ereptas, prædasque abactas quas jure non reddebant, armis repeteret. Regnavit annis XXIV. incertum quo genere mortis perierit: violento suspicantur multi; caussam tamen illi neque auctorem referunt. Reliquit duos filios, qui postea cum L. Tarquinium Priscum interfecissent, a Ser. Tullio in exsilium acti sunt. Mortuus est anno Vrbis conditæ CXXXVII. ANCVS dictus ab adunco brachio, quodque illud porrigere non posset, auctore Sexto.

Pari ingenio.] Pari ingenio cum avo suo Numa regem Ancum fuisse testantur omnes, quantum ad justitiam, religionem, pacisque artes attinet: sed belli gloria cuilibet Regum parem etiam fuisse jam docuimus.

Muro amplexus est.] Ancum muro cinxisse Ianiculum Aventinumque montes, ut eos contra hostium repentinos insultus ita munitos, Latinorum multitudini, quam devicerat, habitandam concederet. Pomœrio autem inclusisse montes istos non invenio, neque urbem totam ipsius solum opera muro circumdatam verisimile est: urbis enim pomœrium pro Reipublicæ incrementis paulatim prolatum esse vel ex historiis constat, vel ex jure proferendi pomœrii convinceretur. Tacitus enim lib. XVI. Gell. XII. jus proferendi pomœrii neminii datum esse testantur, nisi qui agro de hostibus capto, rem Romanam auxisset. Verior lectio itaque Iornandis hoc loco videtur, *ex muro mœnia amplexus.*

Ponte commisit.] Pontem ligneum Sublicium que intelligit, ita dictum a Sublicis, hoc est, palis ligneis ad pontis sustentationem in aqua defixis. quo ponte in Tiberim facto Vrbem & Ianiculum commisit, Transtiberinamque regionem Vrbi conjunxit, quam ab re ξυλίνην γέφυραν Græci, hoc est, ligneum pontem vocant.

Ostiamque.] Ostia condita XVI. ab Vrbe miliari, in ora Tiberis, eademque colonia deducta anno Vrbis conditæ CXXXIII. dicta quasi *ὄστια*, id est, ostium, teste Dionys.

ARGVMENTVM CAP. V.

Tarquinium patre Corinthio oriundum populus Romanus regnare jubet: qui novos Senatores legit. Augurum disciplina, quia experientia artis eventu probatur, sacra habetur. Hinc Tuscos domat, & imperii dignitatem triumphalibus ornamentis illustriorem facit.

COMMENTARIVS.

Tarquinius.] Damaratus potens mercator, Tarquinii pater, Corintho patria per seditionem pulsus in Italiam navigat, Tarquinios Etruriæ urbem omnium fortunarum suarum sedem deligit: ibi filios Aruntem & Lucumonem procreat. Lucumo, patre & fratre defunctis, jam lucem aliquam sibi prudentia per divitias quæsiturus Romam venit. legitur ab Anco Marcio in Senatum, fit Lucius pro Lucumone, & Tarquinius a Tarquiniis patria sua appellatur, dignusque habitus est, qui successor Anco mortuo cum omnium consensu regnaret. Idem pluribus præliis Latinos, Etruscos, ac Sabinos rebellantes, ac populationibus latrociniisque infestum agrum Romanum reddentes fregit, ac triumphavit. Regnavit annis XXXVII. occisus est percussoribus per Anci Marcii filios, habitu pastorali submissis, anno V.C. CLXXIV. ætatis suæ LXXXI. Reliquit autem filios duos Aruntem &Lucium, ex quibus Lucius invento postea Superbi cognomine regnavit, ut pars maxima auctorum confirmat, quam opinionem Dionysius infirmat, docetque ex filio ob ætatem ipsi Tarquinio nepotes fuisse. Duas quoque filias habuit, quarum altera Servio Tullio, qui post istum regnavit, nupsit: altera M. Iunio, patri Bruti illius qui reges ejecit.

Priscus.] Priscus cognomine dici cœpit (teste Dionysio) quando L. Tarquinius Superbus regnaret: quia pater jam ætate aliqua filium præcesserat, vel potius avus nepotem.

Numero ampliavit.] Centum Patres, ducentis a Romulo lectis, Priscus adlegit, qui deinde minorum gentium appellati sunt: factionem haud dubie regis, cujus benificio regnabat, teste Livio.

Auxit.] Tres Centurias equitum Romulus scripserat, iisque nomina imposuerat (uti jam diximus capite primo) quibus alteras tres suo nomine insignes Tarquinius addere decreverat: sed obnuntiante augure, Tarquinii institutum ita diremtum est, ut nominibus Centuriarum relictis, ipsorum numerum duplicaret, hoc est, ut mille ɔɔccc. equites in tribus Centuriis essent.

Fasces.] Fasces magistratuum majorum insignia fuerunt, quæ ipsis a lictoribus præferebantur. Primum Regibus, inde Coss. duodeni, Procoss. &

Præ-

Digitized by Google

Prætorib. seni. Fiebant ex Betulla arbore Gallica, tali quidem figura. Virgis ex Betulla detractis ita circumvinciebatur securis, ut acies ejus tantum promineret, reliqua pars circumvincto virgis loro tegeretur: cujus rei caussam Plutarchus Problem. 82. explicat. hinc submittere populo fasces ille magistratus dicitur, qui se veluti privatum populi Romani judicio submittit, demissis a se lictoribus. De Trabeis, Paludamento, Prætexta ceterisque ornamentis, vide Lazar. Baysium, itidem de togis pictis & tunicis palmatis.

Curules.] Curulis a Curru deflexum est, diciturque pro Sella eburnea; & pro magistratu majore: honoris enim gratia Senatores qui magistratum majorem ceperant, curru in Curiam vehi solebant, in quo sella eburnea esset cui insiderent.

Triumphatur.] Triumphus honor est omnium amplissimus, qui vel Senatus auctoritate, vel populi jussu deferri poterat illi, qui imperium acceptum cum virtute feliciter gesserat. Hujus vero apparatus pompaque variata fuit pro Reipublicæ incremento & rerum gestarum magnitudine. Quis primum apud Romanos triumphum egerit, inter scriptores non convenit. Plutarchus contendit a Romulo institutum pedestrem, sed a Prisco curulem, hoc est, ut aureo curru quatuorque equis triumpharetur; eumque triumphum alii a Poblicola consule primum esse actum opinantur. De jure, ordine, pompa triumphi per opportunitatem latius dicturi sumus. cui nunc illa non satisfaciunt, is consulat Valerium Max. Ciceronem in Pisonem, Zonaram lib. 2. Annalium, Livium, Dionys. Plutarchum, Gellium, Dionem, & hujus sæculi scriptorem elegantissimum diligentissimumque Carolum Sigonium de jure civium Romanorum.

ARGVMENTVM CAP. VI.

Serv. Tullius matre serva, hoc est, bello capta natus, ob virtutem gener Tarquinio adscitus, soerus auxilio regnum Romæ suscipit. Ipse censum instituit, per quem P. R. non viritim, ut antea factum erat, descripsit, sed pro fortunarum uniuscujusque facultate in classes distribuit.

COMMENTARIVS.

Servius Tullius.] Serv. Tullius Romanorum regum sextus, matre Ocrisia bello Corniculano capta & prægnante, apud Tanaquilem Tarquinii uxorem natus est, & Servius a matris fortuna vocatus. Hic progressu temporis Tarquinio gener factus, soceroque insidiis filiorum Anci interempto, socerus suæ auxilio regnum occupat. Ipse bellum cum Etruscis xx. annos gessit. Belli caussa a Vejentibus, Cæretibus, Tarquiniensibus, qui Etruriæ reliquam partem ad rebellandum sollicitabant, orta est; ut qui factæ pacis cum Prisco rege conditionibus stare nollent. eos Servius virtute & armis ita fregit ut ter de iis triumphum egerit. Inde quemadmodum per Tribus & Curias

Romulus populum Rom. hoc est, secundum regiones & sacrorum communionem distribuerat, ita Servius fortunarum uniuscuiusque æstimatione apud se profiteri jussa, populum Ro. secundum censum, hoc est, fortunarum facultatem distribuit per classes sex. Quarum prima, ut maximo censu æ. 110000. æris fuerit, hoc est 1500. coronatorum, reliquæ suis quasi gradibus, per quadrantem singulæ, ad quintam usque classem decrescerent. Singulas iterum classes ita in Centurias descripsit, ut CXCIII. in summam colligerentur. quod eo consilio fecisse videtur, ut in numerato semper haberet, quot essent qui arma ferre possent; & pecuniarum magnitudinem, qua bellorum sumtus sustineret. Lustrum autem primus condidit (quod spatium est quinque annorum, non quatuor ut multi inepte contendunt) a luendo dictum, quia quincto quoque anno vectigalia & ultro tributa per Censores solvebantur. Servius etiam æs primum signavit nota pecudum: unde pecunia dicta est, teste Plinio: antea enim rudi utebantur & appenso. Servius filias duas habuit, Tulliam primum Arunti, inde L. Tarquinio elocavit, quorum scelere occisus est anno Vrbis conditæ CCXIIX. Regni sui XLIV.

Visa circa caput flamma.] Cum repentina flamma circa caput Servii pueri flagrasset, increbuisse rumorem, ipsum Vulcano patre fuisse natum, refert Plutarchus de fortuna Romanorum, spuriumque ex multorum relatione asserere conatur, cui accedit Plin. lib. 36. cap. 27. apud Tanaquilem reginam tamen cui Ocrisia mater capta, & gravida ex Tullo Corniculano marito, qui in expugnatione Corniculi occisus est, dono a rege Tarquinio data fuerat, natum & educatum esse, omnes constanter asserunt.

Collegiis distributus.] Quod Florus succincta hic enumeratione complectitur, hoc Livius eloquenter, Dionys. lib. 4. copiose, Carol. Sigonius de Antiquo jure civium Romanorum doctissimo compendio prosequitur: sed quod Ser. Tullium regem facit collegiorum auctorem, in eo a Plutarcho, Plinio, & Valerio discrepat, qui Numam regem collegia opificum & artificum excogitasse scribunt.

ARGVMENTVM CAP. VII.

Septimus & ultimus Romanorum rex L. Tarquinius, a moribus Superbi cognomen invenit; regnum quod soceri parricidio scelerate rapuerat, Senatorum etiam cæde & sanguine fœdavit. Fatigavit Patres populumque superba dominatione per XXII. *annos. bello etiam Volscos & Sabinos fregit, Gabios dolo, & filii transfugam simulantis fraude in potestatem redegit. Servivit autem populus tyrannide oppressus, quousque etiam vis pudicitiæ illata est, filiusque alter Lucretiam stupraverit; qua cives suos obtestata postquam se interemisset, populus irritatus, pro libertate & pudicitia ejectis tyrannis arma sumpsit.*

COMMENTARIVS.

Tarquinius.] Quia Florus hujus vitam & tyrannidem ita descripserit ut nihil

Digitized by Google

nihil nobis dicendum restet, pergemus ad reliqua, si prius rei ab ipso gestæ caussas paucis perstrinxerimus. Sabini quia parere recusabant, armis domiti sunt: Volscos populantes primus bello aggressus devicit: cum quibus tamen post suam ætatem posteri ducentos & amplius annos bellum gesserunt. Cum regia dominatione cives suos XXV. annis vexasset, Vrbe pulsus est ob tyrannidem jam canus, & ob filii libidinem, anno Vrbis conditæ CCXLIIII. Kal. Iunii. Inde ad Porsenam Clusium Tuscorum regem exsul, auxilii comparandi caussa fugit; cujus armis primo, deinde Latinorum quoque opera, nullo successu ad Regni restitutionem usus, Cumas ad Aristodemum tyrannum cognomento Malacum profectus moritur, anno Vrbis conditæ CCLVII. Cicero 3. Tusculanar. & Dionys. lib. 4.

Regnum avitum.] Diversis interse pugnant opinionibus scriptores, an Superbus Prisci regis filius fuerit, an nepos. filium fuisse pluribus auctoribus confirmari & triumphorum tabulis posset. Scribit etiam Gellius lib. XVII. *Pythagoras Samius in Italiam venit Tarquinii filio regnum obtinente, cui cognomentum Superbus fuit.* Dionysius auctoritatem L. Pisonis secutus, L. Tarquinium Prisci nepotem facit, cui Florus accedere videtur, dum avitum regnum scribit tamquam ab avo Prisco ad Superbum hereditate successurum.

Ardea.] Ardea urbs Latii quinque miliaribus Germanicis ab Vrbe distabat versus ortum; Rutulorum quondam regia: belli caussam prætexuit: quod Romanos exsules excepissent, eosque reducere in patriam conarentur: sed revera inhiabat opulentissimæ urbis divitiis: ea urbe potitus non est, quia antequam expugnaretur, ob tyrannidem in exilium pulsus est. Ardeatibus in quindecim annos datæ induciæ, teste Dionys. lib. 4.

Ocriculum.] Ocriculum Latinis, Ὀκρίκλοι Straboni, Ptolemæo Ὀκρίκολον urbs est Vmbrorum ad Tiberim via Flaminia: Stephano Ὀκρίκολα urbs est Tuscorum, atque ille Dionysium auctorem laudat. Distat oppidum ab Vrbe versus Septemtrionem 22000. passuum.

Gabii.] Gabii Volscorum urbs opulentissima distabat ab Vrbe versus Orientem via Prænestina centum stadiis teste Strabone lib. 5.

Suessa Pometia.] Suessa Pometia urbs erat Volscorum ultra Lirim fluvium, in Vulturnum sita, ab Vrbe distabat 85000. passuum. hodie Sessa dicitur. Hanc diripuit Superbus, atque ex ejus manubiis pecuniam fecit XL. talentorum teste Livio, hoc est, ut nunc computamus. 21060. coronatorum. Summa quam Dionysius nuncupat, omnem fidem excedit. Aurunci direptam & spoliatam a Superbo iterum munierunt, deductis in eam colonis. unde Suessa Auruncana deinceps nomen habuit. Denuo tamen a Romanis capta & crudeliter habita est Coss. Sp. Cassio, & Virginio, anno Vrbis conditæ CCLII.

Caput.] A capite hominis dum moliuntur fundamenta reperto, cui nomen Tolo fuerat, conflata est vox Capitolium. teste Arnobio pro templo Iovis in arce Tarpeja.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAP. VIII.

Enumeratione artificiosa, quam ἀνακεφαλαίωσιν Graci vocant, totam simul populi Romani infantiam educationemque sub regibus actam summatim colligit, ut memoriam repetitione prædictorum revocaret, & quæ jam fusius per capita dixisset, ratione collecta confirmaret.

ARGVMENTVM CAP. IX.

Reipublica Romana conversio facta est, a regia dignitate ad Consulare imperium, quod duobus viris annuum sub Consulum nomine, pari potestate a populo Romano mandatur, iisque primis Coss. L. Iunio Bruto, L. Tarquinio Collatino, libertatis & pudicitiæ assertoribus. quorum Collatinus quia regiæ gentis & nominis Tarquinii esset, coactus a Bruto collega abdicavit, cui suffectus est P. Valerius Volusus, qui in hoc honore Poplicola, quia populum colebat, appellatus est. Brutus filios consilia de recipiendis regibus concipientes, virgis cæsos, securi percussit, tamquam eos victimas pro libertate populi Romani mactaret.

COMMENTARIVS.

Igitur.] Consules (ut Cicero inquit) quod consulerent Reipublicæ, nominati sunt. Varro mavult dictos, quod consulere populum & Senatum deberent. Creati sunt autem primi ab Interrege Sp. Lucretio Lucretiæ patre Comitiis centuriatis, ambo e patriciis. Omnia jura, omnia insignia quæ regum fuerant, primi Coss. habuerunt: id modo cautum est, ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur, ut XII. tantum haberent, atque alternis diebus alter Consulum, prior tamen fasces haberet qui vel ætate major, vel prior designatus esset. Postea illud imperium & jus Consulare valuit solum ad ea quæ foris gerebantur: quia in Vrbe Reipublicæ curam Senatus habebat.

Bruto.] L. Iunius Brutus Marci Iunii filius erat ex Tarquinia regis Superbi sorore natus. Cognomen Brutum admisit ex industria dum sese ad imitationem stultitiæ effingeret, ut contemtu tutus esset, cum patrem ejus & fratrem Tarquinius propter opulentiam ipsorum interemisset. Nepos Brutum ob stultitiam dictum ut Livius ait: Dionysius ἠλίθιον interpretatur. Eam simulationem Brutus deposuit, quando patriæ libertas & matronarum pudicitia erat a regum tyrannide vindicanda. quare Consulem primum populus eum esse jussit, patres auctores fuere.

Collatinoque.] L. Tarquinius Collatinus Lucretiæ maritus fuerat regiæ gentis & nominis: Collatinus a Collatia dictus, cui Egerius avus Collatini præfectus fuerat a Prisco Tarquinio, teste Dionys.

Agrum Martio suo consecrat.] Campus Martius antea etiam Marti sacer erat; teste Dionysio libro quinto, situs inter Vrbem & Tiberim, antea sem-

Digitized by Google

semper pratum fuerat equis & juventuti exercendæ accommodatum. id Tarquinius contemta religione coluerat. Coss. quidquid frumenti jam maturi erat, jusserant collectum in Tiberim effundi: hinc insula frumenti stipularumque putredine, & ex ceterarum rerum alluvione nata est Aesculapio sacra.

Ne potestas.] Pari potestate creati sunt ambo Coss. eo consilio ut alter collegam suum si quid præter jus aut fas moliretur, æquali imperio coerceret. Annuus fuit magistratus, ne diuturnitate insolescerent, justosque sese in consulatu civiumque studiosos præberent, memores anno exacto capti magistratus, ut privatis judicium esse subeundum.

Fascibus abrogatis.] Fascibus pro consulatu, hoc est, insignibus pro magistratu per synecdochen usus est. Fascibus ergo abrogatis, hoc est, abdicato consulatu. Dionysius cum L. Pisone caussam abdicati consulatus, quam noster laudat, itidem Cicero, Livius, ceterique derident, & rationibus infirmant. Ortam inquit Dionysius dissensionem inter Brutum & Collatinum, cum Brutus supplicio de filiis sumto, eodem jure in sororum Collatini filios, Aquilios, Vitelliosque, ejus conjurationis socios animadversum vellet, eos cum pro pari potestate qua præditus erat, eximere Collatinus vellet, Brutum misso in suffragia populo, collegæ magistratum abrogasse.

Val. Publicola.] Poplicula scribendum esse Capitol. Tab. testantur: idem convincit nominis ratio, eo quod a populo colendo illud cognomen in consulatu, antea Volusus dictus, invenerit; tum quod δημοκηδής, hoc est, populum colens Poplicola, a Plutarcho & Dionysio interpretatur.

Fasces ei pro c. s.] Cum fasces summitteret in concione Consul, tunc profitebatur sese populi majestatem agnoscere, honoresque suos in populi jussu esse. Secures etiam, ut omnem metum populo terroremque eximeret, a fascibus sustulisse Poplicolam testatur Plutarchus.

Ius provocationis.] Lex Valeria de provocatione lata, vindex proculdubio erat patronaque publicæ libertatis; ut si quis magistratus civem Romanum necare, verberare, multare vellet, eum ad populi judicium vocare civis privatus posset; interea vero a magistratu damni nihil acciperet nisi quando populus judicasset. atque hac lege fiebat, quod fasces plus dignitatis domi quam potestatis haberent: foris enim magistratui qui cum imperio erat, verberandi necandique potestas erat; domi autem nisi populi judicio in eum qui provocasset, animadverti non poterat.

Specie arcis.] Consul Poplicola ædificabat in summitate Veliæ, hoc est, in editissima parte Palatini montis, unde cum despicere populum velut omnium cervicibus immineret videretur, & vim qoque tamquam ab arce propellere posse, venit apud populum (omnia tuta tunc ex recenti Tarquiniorum metu timentem) in suspicionem affectati regni. quare ut eum metu liberaret, ædes una nocte demoliri jussit, & sub ipsum collem substrui. cui quid vicissim pro tanto obsequio populus decreverit, Plinius prosequitur lib. 36. cap. 15.

Velificatus est.] *Velificatus favori* dixit per translationem, tamquam qui velis remisque contenderet, ut verum vindicem sese libertatis publicæ, severo etiam in filios supplicio, idque abrupto omni necessitudinis paternæ vinculo testaretur. Cicero eodem verbo usus est in malam partem, ita de leg. Agr. *Quod si quis vestrum spe ducitur, se posse in turbulenta ratione honori velificari suo, primum me consule id sperare desistat,* &c. Et hoc Bruti factum ita parricidii invidioso vocabulo Orosius suo more exagitat, ut verbi Velificatus significatio proxime ad Ciceronianam accederet.

Hostile pomærium.] Pomœrium dicebatur spatium illud augurato consecratum, quod intra murum & extra neque habitari neque arari fas erat, teste Livio.

Inter Latium & Tuscos.] Latium ab ortu, ab occasu Tiberis, & ultra, Etruria erat, meridiem Vejentes habebant, septemtrionem Sabini: hostes omnes, & qui Romanam virtutem continua bellorum occasione acuebant.

ARGVMENTVM CAP. X.

Tarquinios ejectos Porsena Etruscorum rex armis summaque vi conatur reducere. ipse Horatii virtute, Mucii fortitudine, Clœliæ virginis audacia victus, populum Romanum jubet esse liberum. Sed Tarquiniensium civium non prius expugnata pertinacia est, quam Aruns Tarquinius & Consul Brutus infesto utrimque concursu perierint.

COMMENTARIVS.

Cap. x.] Florus fere temporum seriem in rerum gestarum recensione perturbat aut confundit: verum quia lucis plurimum lectoris judicio memoriæque, ordo gestarum rerum temporis etiam distinctione digestus adferat, nos eam ex fidissimis monumentis repetitam ubique religiose prosequemur. Cujus hic præmonitum lectorem ideo volumus, ne hujus consilii ratio singulis commentariis esset nobis reddenda. Ordo autem temporis in hoc capite ita se habet. Primis Coss. L. Iunio Bruto & Valerio Voluso, postea Poplicola dicto, dum exsules Tarquinii res suas per vim repetunt, prima hæc arma sumpta sunt a populo Romano pro libertate, contra Vejentes & Tarquinienses, qui dum reducere cives suos Tarquinios in regnum conabantur, a Romanis ad Vrsoni silvam victi sunt. Arunte regis Superbi filio, Brutoque mutua vi & ira pridie Kalen. Martias in prælio occisis. Poplicola Bruti collega de Etruscis postridie primus quadrigis in Vrbem vectus triumphavit. Superbus rex eo prælio & filii morte fractus, ad Porsenam regem fugit, qui ad misericordiam afflictis Tarquinii opibus allectus (ut regale nomen regibus & magnum & sanctum est) ita Porsena anno proximo pro Tarquinii restitutione arma sumsit. qui etiamsi populum Romanum armis fameque fatigaverat: tamen novæ fortitudinis Romanæ exemplis, Horatii, Mucii, & Clœliæ virginis perculsus, pacem eodem anno, deserta Tarquinii caussa, cum populo Romano fecit.

Bellum

Bellum Etruscum.] Bellum Etruscum vocat propter Vejentes & Tarquinienses, qui Superbum regem armis restitutum volebant. Veji Etruscorum urbs trans Tiberim opulentissima erat, sita c. stadiis ab Vrbe, quibus odii caussa in Romanos erat quod Romulus agrum ipsis Septempagos dictum, jure belli ademerat. Tarquinienses Tarquinios & cives & gentiles fovebant. Porsena Clusii rex erat, oppidi Etruscorum.

Ponte reciso.] Pontem Sublicium intelligit, atque Romanis hoc Coclitis periculo monitis, religiosum fuit posthac eundem pontem ex alia materia quam ex ligno construere.

Cloelia.] Pace cum Porsena iis conditionibus facta, quod Septempagos agrum Etruscum a Romulo jure belli de Vejentibus captum, Porsenæ restituerent, captivos redderent, ipsi perfugas reciperent: darent quoque Romani pacis obsides prætextatos patricios decem, & totidem virgines. Clœlia obsidum una cum ad Tiberim cum ceteris lavaret, oblata occasione equo conscenso tranavit, reliquas secum natantes adjuvit: cum redditæ essent, a Porsena honorifice sunt remissæ, Clœlia equestri statua donata est.

Donec Aruntem.] Ista verborum circuitione Florus subindicare videtur Aruntem Tarquinium Lucretiæ vim attulisse, quem tamen omnes quos equidem legerim (præter unum Servium) Sextum vocant; etsi Dionysius cum natu maximum filiorum Superbi regis nominet, Livius, Ovidius in Fastis minimum. Brutum hoc anno in magistratu cæsum esse ideo Dio lib. 46. annotavit, quod omnes qui collegæ imperium abrogassent, eodem in magistratu periisse observatum sit, quod & ipse exemplis confirmare nititur.

ARGVMENTVM CAP. XI.

Triginta Latinorum populi post annuas inducias, duce Mamilio Tusculano, quem Tarquinii excitaverant, arma sumunt Romani ad Regillum lacum Dictatore Postumio pro libertate pugnantes strenue vincunt. Inde a vicinis lacessiti, fines etiam, dum propulsant injuriam, producunt. Quinctius Cincinnatus ex agro ad Dictaturam extractus, Aequos qui L. Minucium Consulem in Algido monte circumsepserant, sub jugum misit.

COMMENTARIVS.

Latini quoque Tarq. asser.] Rebus adhuc florentibus, generum sibi ut subsidia suæ dominationi Tarquinius Superbus confirmaret, Mamilium Tusculanum asciverat, quare spe reditus, Porsenam cum Romanis fœderato, spe ipsi accisa, exsulatum ad Mamilium abierat. Hujus auxilio fretus Latinos ad arma excitat duce Mamilio. Senatus Dictatorem dici jubet A. Postumium: qui laborioso & ancipiti prælio hostes fudit ad Regillum lacum, Mamilio & Sexto Tarquinio ducibus in prælio occisis. Postumius Dictator de Latinis triumphavit & in hoc honore Regillensis dictus est. Mortuus

Digitized by Google

tuus est paulo post etiam Cumis Superbus rex; quo se post fractas Latinorum opes contulerat. atque ita tyrannis ubique sublatis, parta est Romanis libertas, idque foris: quia domi adhuc sub patriciorum dominatione serviebant. quod capite XXIII. explicabimus. Inde a vicinis lacessiti, dum fines suos ab injuria armis tuentur, agrum etiam de hoste urbesque capiunt. Florus deinde Romanæ rei angustias, & cum vicinis adhuc populis, hoc est, Etruscis & Latinis circa matrem luctantis, cum orbis acquisiti terminis amplissimis confert, & paucis bellorum progressus complectitur.

Dictator.] Dictatorem dicendum esse in rebus trepidis ex Senatusconsulto ab altero Coss. vel rei gerendæ caussa, vel seditionis sedandæ pro temporis necessitate cautum erat. Consul itaque nocte ex consularibus virum unum dicebat, qui cum summa potestate & sine provocatione Reipublicæ præesset, sex mensium spatio, ceteri magistratus abdicarent, Dictatori parerent. ipse vero legiones ducebat, & equitare nisi legibus soluto non licebat. Dictator sibi Magistrum equitum dicebat, cujus summa in equites & accensos potestas erat, perinde atque summum fuit Dictatoris imperium in Magistrum equitum & populum. Primum autem invenio Dictatorem T. Larcium, Magistrum vero equitum Sp. Cassium anno nono post reges exactos, dictosque seditionis sedandæ caussa, dum plebs ære alieno demersa tumultuatur, & ad bellum Latinum nomina dare recusabat. Rei, hoc est, belli gerendi caussa, atque imperii potestas dabatur ad sex menses si res gerenda erat; ceteris in caussis, quæ primo temporis seditionis sedandæ potissimum fuerat, rebus peractis, magistratu sese abdicabat. Alterum Dictatorem lego fuisse A. Postumium Album, ejusque Magistrum equitum T. Aebutium Elvam, anno Vrbis conditæ CCLVII. rei gerendæ caussa creatum, ob Latinum bellum de quo Florus noster agit. Stratagema quod Florus hic Cosso tribuit, eidem a Livio lib. 4. tribuitur, cum Magister equitum esset sub Mam. Aimilio Dictatore, anno CCCXXVII. atque Fidenates ad internecionem concidebantur.

Cossus.] *Ἀναχρονισμὸς* est in nomine Cossus, pro T. Aebutio Elva Magistro equitum. Cossus enim Magister equitum fuit Aimilio Mamercino Dictatore, anno Vrbis conditæ CCCXXVII. cum res gesta est cum Fidenatibus & Vejentibus.

Sora.] Soram Volscorum oppidum in Campania fuisse invenio, defecisse ad Samnites bello Samnitico, interfectis Romanorum colonis anno V. C. CCCCXXXVIII. eamque ob situm expugnatu difficilem, Sorani transfugæ indicio captam. Colonorum cædis ac deditionis auctores CCXXV. Romæ virgis cæsos ac securi percussos.

Algidum.] Algidum oppidum est Aequorum non procul a Tusculo in alto monte situm, est & mons Algidus, qui distat ab Vrbe C. stadiis, & silva Algida, in cujus ingressu est Regillus lacus. Circa hunc locum Gracchus Aequorum dux L. Minucium Cos. cum exercitu obsederat, quo nuntio cum Romæ trepidatum esset, Dictatorem dici placuit: dictus est ille Quinctius Cincinnatus, cujus historiam mox prosequemur.

Satri-

Digitized by Google

Satricum.] Satricum Vrbs Antiatum in Latio, incensa est a Latinis indignitate irritatis, quod Antiates urbem agrosque dediderant, anno V. C. CCCLXXVII.

Corniculum.] Corniculum Latini nominis oppidum a Tarquinio Prisco expugnatum, direptum & incensum invenio. Latinos, istam cladem agri Romani populatione ulturos a Prisco rege coercitos, & excursione in ipsorum agrum facta æquali clade ultum esse.

Sed triumphavimus.] De Vejentibus triumphatum octies observavi, bis a Regibus, quater a Coss. bis a Dictatoribus, postremum egit Dictator Camillus Vejis urbe expugnata direptaque anno Vrbis conditæ CCCLVIII. De Bovillis triumphatum esse non legi, urbem fuisse populi Romani sociam & florentem, antequam a Marcio Coriolano patriæ suæ hoste caperetur, testes sunt Plutarch. & Dionys. Sunt qui pro Vejis, Verulis legunt, quod oppidum Hernicorum erat.

Tibur.] Tibur Latinorum urbs decimo sexto distabat ab Vrbe lapide in ortum æstivum. Tiburtes vero societatem belli cum Gallis fecerant anno Vrbis conditæ CCCXCII. portæ etiam Vrbis Collinæ imminere ausi & insultare: quinto demum anno ad deditionem coacti sunt, & bis de Tiburtibus triumphatum lego.

Præneste.] Præneste distat ab Vrbe in ortum stadiis ducentis. ejus situs a Strabone lib. 5. describitur. Prænestini anno Vrbis conditæ CCCLXXIV. ad portam Collinam signa intulerant, cum ingenti Vrbis, quæ tunc seditione laborabat, trepidatione. Dictator itaque dictus T. Quinctius Cincinnatus, fugat ad Aliam flumen Prænestinos, & Præneste capto triumphavit. Huic Vrbi frequenter exitiosa fuisse sua munimenta, idem Strabo testatur, propter Romanorum seditiones. ob loci enim firmitudinem eo seditiosi ab Vrbe pulsi confugere solebant, & munitione urbis sese tueri: quos dum alii repetunt, & expugnant, Prænestini nulla sua culpa misere affligebantur.

Fæsulæ.] Fæsulæ Etruriæ civitas olim potens non procul a Florentia, nunc vicus modicus, distans ab Vrbe CCXXC. stadiis versus occidentem.

Carræ.] Taphræ Vrbs est in Tauricæ peninsulæ isthmo occidentali sita, & quia (*nuper*) adjicit, putatur a Trajano imperatore subacta. Sunt tamen qui Carras scribant Mesopotamiæ Vrbem Crassi clade nobilitatam.

Nemus Aricinum.] Aricinum nemus a vicina Aricia Latinorum urbe dicitur. distabat ab Vrbe ad duodecimum lapidem via Appia, teste Strabone.

Hercinius.] Hercynius saltus in Germania celebris est.

Fregellæ.] Fregellæ oppidum Latinorum non procul a Liri amne a Samnitibus captum bello Samnitico, & a Romanis receptum anno V. C. CCCXLII.

Gesoriacum.] Gessoriacum, portus Morinorum in Galliæ Belgica, quod nunc Caletum, ut est opinio, dicitur. alii malunt Soiacum esse, juxta Audomari fanum.

Digitized by Google

Quod Euphrates.] Tigris & Euphrates nobilissima Orientes flumina, quæ Mesopotamiam suis alveis complectuntur, olim limites imperii versus ortum dum res Romana floreret. Sed hoc loco aliquot exemplaria ita habent: Tiberis, quod Euphrates. eo sensu, ut limes nunc Orientis Euphrates, ita Tiberis olim Occidentis.

Coriolos quoque.] Corioli Volscorum oppidum a C. Marcio captum, ipsi cognomen Coriolano fecit. Florus vero ex personarum, temporis & locorum comparatione cognomen istud cum Africano & Numantino collatum obscurat. Marcius enim miles tantum, P. Scipio Imperator: ille sub consulis sui Postumii auspiciis, oblata occasione Coriolos opidulum invasit, & cepit: iste suis auspiciis, & populi Romani Imperator, Carthaginem imperii æmulam, Africæ dominam; & Celtiberorum Numantiam XIIII. annis invictam delevit. ab illa & in triumpho Africanus, ab ista Numantinus dictus. Illene ergo scilicet ob unius diei laborem, unius oppiduli & nunc obscuri expugnationem Coriolanus?

De Antio spolia.] Antium Volscorum metropolis erat maritima, quam in suo consulatu C. Mænius expugnavit, & ex navium rostris, suggestum antea in foro exstructum exornavit. & id templum Rostra deinceps appellatum anno Vrbis conditæ CCCCXVI. ex Rostris ad populum concio deinceps haberi solebat. situm erat ante Curiam Hostiliam in foro. Rostrum erat in prora navis pars prominens & acuminata ex ære vel ferro, ad rostri effigiem alicujus animalis formata. hinc naves rostris instructæ, rostratæ dicuntur. De Antiatibus Volsceis quater triumphatum esse observavi, postremum egisse triumphum, quantum in Annalibus extat, C. Mænium anno V. C. CCCCXVI.

Pervicacissimi tamen Latini Æqui.] *Pervicacissimi* adjecto admodum proprio dixit. Quid enim Aequis pertinacius? cum iis namque annis septuaginta duobus vario Marte pugnatum est, quousque magna clade a Camillo Dictatore victi sunt anno Vrbis conditæ CCCLXIV. Inde ut respirarent, sub specie pacis sed infidæ XXCIV. annos quieverunt. Sed quia tunc Samnitibus auxilia ipsos submisisse deprehensum est, moverunt in eos exercitum Consules, oppidaque XLI. intra dies IX. expugnarunt, quo bello fracti iterum rebellarunt, & a Dictatore Iunio Bubulco ad imperium coacti sunt anno Vrbis conditæ CCCLI. atque de Aequis eum fuisse decimum tertium, & ultimum triumphum observavimus.

Et Volsci.] Volscorum populus semel a Tarquinio Superbo motus arma ad ducentos annos sumpsit, teste Livio, nec quies fuit nisi per intervalla, & infida æmulatione enim invidiaque in populum Romanum usque adeo pertinaciter flagrabant, quod septem Consules, tres Dictatores, & Rex Superbus de ipsis triumphum egerint, duo etiam Coss. ovationem.

Vidos.] Aequos intelligit, qui rupto foedere quod priore anno inierant, moverunt duce Clælio Graccho. contra eos missus est L. Minucius Consul, qui cum in monte Algido circumsessus esset una cum exercitu, trepida

Digitized by Google

pida civitas Dictatorem poscit, dictus est L. Quinctius Cincinnatus, qui Consulem & legiones obsidione liberavit.

Sub jugum.] Tribus hastis jugum fit, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata, sub tali jugo Dictator Aequos nudos misit. Livius.

ARGVMENTVM CAP. XII.

Rebus Romanorum accisis, bellum Reipublicæ nomine contra Vejentes, suo periculo CCCVI. *Fabii moverunt, qui ad Cremeram flumen cæsi sunt: dies prælii inter nefastos relatus: porta qua ad bellum exierant, Scelerata pro Carmentali dicta est. Vejorum urbs decennio obsessa tandem cuniculis & duce Camillo expugnanda fuit. Fidenates Latini dum facibus armati in prælium ruunt, ut Romanam aciem percellerent, ipsis faces a Romano ereptæ sunt, profligantur, caduntur, urbs eorum capta est. Faliscos Etruscorum populos Camilli justitia vicit & probitas, remisso ad Falerios puerorum magistro proditore.*

COMMENTARIVS.

Et Fidenatibus.] Fidenæ Albanorum colonia, Latinorum oppidum distabat ab Vrbe in septemtrionem cis Tiberim ad quintum lapidem via Flaminia. hujus cives Fidenates injuria Romanos sub Romulo Rege lacessisse ex historiis observavimus, quia frumentum quod ex Crustomino agro Tiberi devehebatur ad Vrbem fame laborantem, diripuerant. Movit itaque contra Fidenates Romulus, ipsos profligat, cædit, oppido expugnato dat novos colonos. Sed istorum pax semper insidiarum plenissima fuit. Tullo enim Hostilio rem cum Albanis gerente, cum Vejentibus denuo conspirant, nullo tamen successu: urbe enim ipsorum capta in violatores pacis animadvertitur. Marcius iterum rex rebellantes & Fidenates agrum Romanum populantes obsidione capit, securi percutit defectionis auctores. Capiuntur etiam ab Etruscis per proditionem, quia fœdus cum Tarquinio Prisco percusserant. Priscus dum illos asserit, oppidum expugnat & supplicio proditores plectit, sontes etiam aliquot in exsilium exigit, qui auxilio Sex. Tarquinii post ejectum Superbum regem, arcem deuno occupant & oppidum, quod Romani Coss. obsidione & fame fractum, & a sociis Latinis desertum deditione occupant. inde aliquot annorum requies, donec iterum societate Veientium sollicitati, victi sunt a Cos. Sergio, cui Fidenati cognomentum fecerunt anno V.C. CCCV. Sed iterum deficiunt ad Lartem Tolumnium Veientium regem, legatos Romanorum occidunt, ut societatem belli scelere obstringerent. Vincuntur a Dictatore Q. Servilio, & capiuntur, qui in hoc honore ideo Fidenas appellatus est anno V.C. CCCXVIII. Inde post octennium iterum Fidenas novi coloni sunt deducti, quos ipsi Fidenates post biennium jugulant, & quia Vejentes ad Fidenas bellum transtulerant dum Mam. Aemilius prælium conserit, Fidenates ex oppido in aciem Romanam cum facibus prorumpunt, sed profligati dum fuga repetunt urbem, Romanosque

que

que immixtos portis admittunt; urbs capta diripitur, diruitur, cives jam sexies juris gentium violatores sub coronâ venduntur, Anno Vrbis conditæ CCCXXVIII.

Vejentes.] Veii Etruscorum urbs, Athenis non minor, & opulentissima teste Dionysio, intra vicesimum ab Vrbe lapidem distabat. Vejentes hujus cives Fidenatium caussa, qui cum Romulo rege bellum sumserant, in Romanos arma moverunt. deinceps septies rebellarunt, in pace nunquam fidi, agros Vrbis semper depopulabantur. Fidenates cogebant ad defectionem, ipsis auctores fuerant contra jus gentium opprimendi legatos, persuaserant occidendos esse colonos. Legatos P. R. læserant injuria, Etruriam ad arma contra P. R. movenda non semel sollicitaverant: quare toties læsa tot injuriis Romani populi patientia, decernitur urbem infidam esse expugnandam. eaque decennio pertinaciter obsessa a Camillo Dictatore tandem non vi nec operibus, sed cuniculo capitur, anno Vrbis conditæ CCCLVII.

Cæsi apud Cremeram.] Diem hujus cladis apud auctores admodum inconstanter definitum esse observo. Gellius lib. 17. Macrobius 16. lib. 1. diem Cremerensem & Aliensem faciunt XVII. Kal. Sextileis, Plutarchus in Camillo, & in Probl. Romanorum, μεθ' τρεῖς ἡμέρας περὶ τὴν πανσέληνον, Quinctili mense medio utramque cladem accidisse ait. Livius lib. 6. Tacitus lib. 18. A. D. XV. KL. Sextiles, quod cum Plutarcho convenit. Ovidius tamen 2. Fastorum de Idibus Februarii ita canit:

Hæc fuit illa dies, in qua Vejentibus arvis
Tercentum Fabii, ter cecidere duo.

Taxata stipendio hiberna.] Stipendium primum de publico peditibus datum est anno Vrbis conditæ CCCXLVII. cum odio Veientium in obsidione hibernandum sub pellibus esse decretum erat. Equitibus triennio posterius, anno Vrbis conditæ CCCL. quando male ad Veios pugnatum esset. Quantum vero illud apud priscos fuerit, nemo facile putaverit. An Polybius etiam vocabulo ὀψώνιον pro diurno stipendio utatur, an pro parte ejusdem, non satis liquet, dum peditis quæstum diurnum obolos duos; Centurioni duplex, Equiti drachmam procedere ait. Quod. Polybius lib. 11. ὀψώνιον hoc Livius lib. 38. Dum de seditione agit, qua in exercitu Scipionis ad Sucronem laboratum est) semper stipendium latine vertit. Augusto quidem imperante denos asses (quorum singuli tunc semunciales erant) peditis stipendium diurnum fuisse, ex Percennii seditiosa apud Tacitum lib. primo concione manifestum est. quod ad nostri pretii & hujus provinciæ numisma collatum duorum sestertiorum esset cum Sembella, hoc est, trium (ut vocant) blancarum. Tempore Punici belli denarius XVI. assibus permutabatur, teste Plinio, hoc stipendium diurnum fere procederet ad Regalem Hispanicum argenteum.

Spolia de Larte Tolumnio.] Quo in honore opima spolia de Tolumnio Veientium rege Cornelius Cossus fixerit, & quo anno ut æque ambiguum, Livius in controversiam trahit. Tribunum militum fuisse auctorum suffragiis colligit, sed eam opinionem argumento a legibus sumto infirmat, eo

quod

Digitized by Google

quod spolia opima referantur solum illa, quæ dux duci detraxerit; duxque ille sit, cujus auspicio res geritur. infirmat idem & a titulo, quem ipsius spoliis inscriptum Augustus legerit; Consulem Cossum opima spolia retulisse, qui hinc conficit, hoc annos novem serius esse gestum quam ab aliis prodatur. Livii argumentis auctoritatem Varronis nostri sæculi scriptores opponunt, quem opima spolia descripsisse etiam dicunt illa, quæ manipularis miles detraxerit, dummodo hostium duci detraxerit: & tanto probabilius fieri potuisse, quod opima spolia Magister equitum Cossus sub Dictatore Aemilio retulerit, præsertim cum triumphum egisse non legatur. Alii iterum in consulatu opima spolia ipsum fixisse contendunt. sed hoc ideo infirmant, quia nulla sit ejusdem, qui cum imperio fuerit & suis auspiciis rem gesserit, triumphi in tab. Capitolinis mentio: qui honos imperium gerenti debebatur. Plutarchum quoque ἀνιστορησίας arguunt, qui in Romuli vita Cossum quadrigis in Vrbem vectum retulerit. Sed non est nostrum tantas componere lites. Titulum tamen quem de Consule Cosso Augustum legisse testatur Livius, ceterorum opinionibus præferendum putarem. Hic *ad Feretrium*, concise dictum est, pro ad Feretrium Jovem: Jovi enim Feretrio a feretro nomen fecerat Romulus.

ARGVMENTVM CAP. XIII.

Galli Senones a legatis Romanorum irritati, dum sponte Clusii obsidionem solvunt, ad Aliam flumen occurrentes Romanos profligant: dissipatos insecuti, Vrbem diripiunt, diruunt, incendunt, inde ad Capitolium sedent menses septem, sed Galli a Camillo Dictatore cæduntur, Roma liberatur. Galli iterum ad Anienis ripam post tricesimum annum cæsi sunt. Intra duodecimum annum deinceps in agro Pontino adflicti: tandem a Dolabella ad lacum Vadimonis ad unum omnes Senones concisi sunt.

COMMENTARIVS.

Galli Senones.] Galli Senones dum per injuriam agros producere conantur, Clusium Etruriæ oppidum obsidebant. Populus R. pro socia civitate legatos deprecatum misit, qui contemtim a Brenno Gallorum rege excepti, obsesisis erumpendi auctores fiunt. ibi Fabius legatus a Brenno deprensus contra jus gentium pugnare, bellum aliorum in suos convertit. Solvit enim Rex irritatus obsidionem, Romam contendit, sibi Fabium dedi postulat, contemnitur, Romani ab Vrbe undecimum lapidem progressi ad flumen Aliam Gallis occurrunt; funduntur, fugantur: hostes insecuti Vrbem invadunt, incendunt, evertunt. Pars civitatis robustior Capitolinam arcem occupat, septem menses sustinet obsidionem. Interea M. Camillus qui Ardeæ exsulabat, lege Curiata revocatus, absens. Dictator dictus est; is contracto exercitu, dum Gallis appenditur ex fœdere aurum ad redemtionem, ipsos adortus Roma ejicit, & ad octavum lapidem via Gabinia assequutos profligat Idibus Februarii, anno Vrbis conditæ CCCLXIV. Iterum

 Galli

Digitized by Google

Galli Senones ad pontem Anienis castrametati, tertio ab Vrbe lapide via Salaria, a Quinctio Dictatore victi sunt: ac T. Manlius a Gallo singulari prælio provocatus ipsum occidit, & ex torque ipsi detracto Torquatus dictus est. Galli proxima nocte in Tiburtinum agrum transierunt, societate belli cum Triburtibus facta.

Anno iterum Vrbis conditæ CCCCIV. campos & maritima loca populabantur, qui a L. Furio Camillo Cos. in agro Pontino acie fusi, in Apuliam compulsi sunt M. Valerius Tribunus militum, ex singulari pugna cum Gallo commissa, corvique auxilio, victo hoste, Corvi cognomine donatus est. unde & ejus posteri Corvini sunt appellati.

Anno tandem Vrbis conditæ CCCCLXX. Senones Galli cum Bojis societatem, illi cum Etruscis & Samnitibus arma contra Romanos sociant. Senones magno prælio a Romanis vincuntur. Boji cum Senones cæsos intelligerent, suis metuentes, Etruscos evocant: sed Boji ad lacum Vadimonis cum Dolabella consule congressi profligantur, & maxima pars Etruscorum occiditur, teste Polybio lib. 2.

Missi ex more legati.] Legati a Romanis missi fuere tres Fabii, quorum Q. Fabius Ambustus quia contra jus gentium arma in Gallos moverat, reposcebatur a Brenno rege: qui cum legationem suam a populo Romano contemtam intellexisset, exercitum a Clusio movit ad Vrbem, armis injuriam vindicaturus. Fabio Ambusto ob hanc caussam a Tribuno plebis diem esse dictam lego, idque post liberatam Romam: sed illum tempestiva morte judicio ereptum fuisse.

Ad Alliam flumen &c.] Cremera Tusciæ fluvius ad quem a Vejentibus Fabii cæsi sunt. Alia fluvius ex Crustominis montibus ortus, in Tiberim defluit. Distabat ab Vrbe ad XC. stadia, ut Plutarchus supputat, sed Livius ad undecimum lapidem. Ibi profligatus est Romanorum a Gallis exercitus: qua de re cum utraque clades ad eundem diem evenisset, relatus est ille inter nefastos. dictusque Aliensis & Cremerensis dies, de quo præcedente capite latius diximus.

Nihil respondere dignantes.] Livius irritatos esse ad Senatorum cædem Gallos a Papirio tradit, qui Gallum barbam sibi demulcentem eburneo scipione percusserit.

Sex mensibus.] *Septem menses* pro sex mensibus ideo scribendum esse judicavi, quia constanter ceteri scriptores ita numerant. & refert Plutarchus circa Quinctiles Idus Senones Vrbem cepisse; sed a Camillo circa *Idus* Februarias exinde sequentes ab Vrbe exactos, quod spatium colligit numerum septem mensium. Itidem Polybius lib. 2. testatur.

Superbe væ victis.] Væ victis hinc in proverbium venisse creditur teste Festo, quod cum Roma capta Senonibus Gallis aurum, ex conventionis pacto pensum ut recederent, de iniquis ponderibus uno ex Tribunis querente, Brennus dux Gallorum ad pondera adjecerit gladium, & dixerit, Væ victis: quem postea Furius Camillus cum insidiis circumventum concideret, & quereretur contra fœdus fieri, eadem voce remunerasse dicitur.

A tergo

Digitized by Google

A tergo Camillus.] Camillus quia dies ipsi dicta erat ab L. Appuleio Tribuno plebis ob prædam Vejentanam inique divisam, Ardeam in exsilium abiit. absens ab ingratis civibus quindecim millibus gravis æris damnatur. Zonaras 1500. δραχμὰς interpretatur, hoc est, ut nunc pretium est, centum Regalib. aureis. sed Nemesis (mox capta a Gallis Vrbe) visa est tantæ ingratitudinis pœnas de populo Romano repetens, vel ratam habuisse Camilli abeuntis imprecationem: ηὔξατο γὰρ τὴν ἀχίλλειον εὐχὴν ἐπιποθῆσαι Ῥωμαίους Κάμιλλον ἐν καιρῷ, ἀπαίτησαι δ' ἰαύλῳ πολὺ ὕςερον, teste Suida. Galli vero eum ad Capitolium sederent, frumentatum in agros proficiscebantur, casuque Ardeam usque provecti, ubi Camillus exsulabat, Camilli ductu & Ardeatium auxilio cæsi sunt. atque confluebant undique ex agris qui Aliensi cladi superfuerant, vel Ardeam, vel Vejos, ex quibus exercitum conscripsit Dictator Camillus, patriamque a Gallis liberavit.

Duce Camillo.] Nova Gallici belli fama anno V. C. CCCLXXXVI. perpulit civitatem ut Camillum fere octogenarium diceret quinctum Dictatorem; qui cæsos, castrisque exsutos ingenti victoria profligavit. sed de loco prælii diversæ sunt opiniones. Plutarchus cum Polyæno pugnatum esse a Camillo hoc tempore ad Anienem narrant. Livius & Polybius ad Albam dimicatum esse produnt, sed ad Anienem T. Quinctio Dictatore, quorum sententiæ & Florus noster accedit; quia T. Manlium aureum torquem Gallo ad Anienem pugna detraxisse omnes cum ipso consentiunt.

Sacra alite.] De Satyria alite quam alii constanter corvum vocant, vide Rhodig. lib. 19. quem tamen frustra se torquere video in ejus vocis significatione ex hoc loco desumta, cum veteres libri, & Iornandes *sacra alite*, pro *Corvo* scribant. Corvus cognomine non Corvinus ab hoc eventu scribitur M. Valerius in saxis Capitolinis & priscorum monumentis. Manlius tamen poëta Corvinum non Corvum in carmine scripsit,

Et cum militia volucris Corvinus adeptus
Et spolia & nomen.

Ad lacum Vadimonis.] Vadimonis lacus in quo insulæ fluctuant, distat ab Vrbe circiter XLVI. passuum millibus juxta Ameriam Vmbriæ civitatem, quæ ab Vrbe poficiscentibus via Flaminia ad sinistram erat. cetera de lacu graphice & eleganter Gallo suo Plinius Secundus lib. Epistolarum VIII. depingit.

Dolabella delevit.] Conspirarant uno tempore Samnites, Bruttii, Lucani, Senones Galli. cum iis ad Arretium Etruriæ urbem congressi Romani superantur, L. Cæcilio prætore occiso, & cum ipso in eo prælio XIII. mill. militum & VII. Tribunis. M. Curius in Cæcilii locum sufficitur, qui legatos in Galliam misit pro redimendis captivis, quos illi violato jure gentium interemerunt. Itaque novo delectu habito Romani in Galliam penetrant, tandemque Senones & Senonum socii ad lacum Vadimonis a Cornelio Dolabella Cos. ingenti prælio concisi sunt. Atque de tanta victoria Dolabellam, etsi nullus exstet triumphus, triumphasse tamen verisimile est.

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAP. XIV.

Latini responso feroci, quo alterum Consulem e Latio fieri petebant, Populi Romani arma in se converterunt. Manlius Torquatus Consul filium securi percussit, quia contra edictum Consulis pugnaverat. P. Decius sese pro legionum salute devovet.

COMMENTARIVS.

In Latinos.] Latini post pugnam ad Regillum lacum in fœdère non satis fido, tamen cum populo Romano annis centum quinquaginta & sex manserant. Sed dum ipsi Samnites Romanorum socios bello lacessunt, arma ponere jubentur: qui responso etiam ferociore Consulem alterum ex Latinis creari postulant, & civitatem: qua indignitate commoti Romani, arma movent contra Latinos. Torquatus & Decius consules dum castra ad Capuam habent, incertam vocem nocte excipiunt: ex altera acie Imperatorem, ex altera exercitum Diis manibus, Terræque matri deberi: addici autem victoriam illi parti, populoque, cujus exercitus Imperator legiones hostium, superque eas se quoque devovisset. Convenit itaque inter Consules, ut utrius cornu in acie primum laboraret, is sese Diis manibus devoveret. Prælio commisso Decii cornu fluctuabat, qui sese hostesque Latinos devovit, M. Valerio Pontifice verba sollennia præeunte. Hinc Decius cum impetu in hostes irrumpens, morte sua suis victoriam vindicavit.

Ius civitatis.] Hoc est, libertatem civis Romani petebant, qua Tribum cum honorum petitione consequerentur.

Alter Consulum.] Edixerant Coss. ne quis extra ordinem in hostem pugnaret. T. Manlius consulis filius dum a Geminio hostium duce, cum verborum etiam ferocia insultante provocatur, præ iracundia aut dolore consularis edicti oblitus, hostem aggressus, singulari certamine occidit. Pater quia contra edictum pugnaverat, jubet filium securi percuti, atque hinc Imperiosi cognomen Manlio datum (quod ἐπιτάκτην Plutarchus interpretatur) multi contendunt. cum tamen Imperiosi cognomen hujus consulis pater ex acerbo & Imperioso delectu, filiique relegatione invenerit, quod deinde in filium jure hereditario transivit. potius namque a severa in filium animadversione Duri & Asperi cognomen ipsi, quam Imperiosi tribuendum erat.

ARGVMENTVM CAP. XV.

Manius Curius Dentatus consul Sabinos in potestatem populi Romani redegit.

COMMENTARIVS.

Bellum Sabinum.] Hoc bellum ceteri scriptores fere cum Samnitico & Luca-

Digitized by Google

Lucanico confundunt. Sabini quia rebellaverant, a Curio devicti sunt, atque ipsum Curium, quod Florus de Sabinæ victoriæ relatione scribit, alii de Samnitium victoria ad Senatum retulisse recensent. tantum agri ipsum cepisse, ut solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepisset: tantum porro hominum cepisse, ut fame perituri fuerint, nisi tantum agri cepisset. Triumphasse de Sabinis Curium anno Vrbis conditæ CCCCLXIII. ex Capitolinis Tabulis constat.

Curio Dentato.] Dentatus cognomen invenit Curius, vel quia cum dentibus natus erat, vel quia solidum unum os pro dentibus habuerit.

Qua Nar amnis.] Sabini quasi Sevini dicti sunt a religione & deorum cultu, augustum incolebant agrum, teste Strabone, a Nomento usque ad Tiberim, secundum longitudinem usque ad Vestinos 1000. stadiis. Velinos accolunt lacus, roscidis collibus. Nar amnis exhaurit illos sulphureis aquis, Tiberimque ex his petens replet. qui e monte Fiscello labens, juxta Vacunæ nemora & Rheate in eosdem conditur. ita fere Plinius lib. 3. cap. XII. Videturque hoc Flori desumptum ex septimo Aeneid.

Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini.

ARGVMENTVM CAP. XVI.

Pro Capuanis dediticiis populus Romanus arma contra Samnites movet. inde Campaniæ laudes a situ & fertilitate prosequitur. adhæc quinquaginta annorum cum Samnitibus bellum, & Caudinarum furcarum ignominiam a Romanis acceptam, Samnitibus eadem ignominia repositam.

COMMENTARIVS.

Bellum Samniticum.] Anno Vrbis conditæ CCCCX. Capuani Samnitium armis oppressi, ut populo Romano defendendi Capuanos necessitatem exprimerent, sese suaque populo Romano per legatos dedunt. Movent itaque ad dediticiorum propugnationem, consules contra Samnites; Corvus in Campaniam, Cossus in Samnium, atque victor uterque triumphavit: hinc pacem Samnites a Senatu impetrant, a qua, ipsi frequenter interea infidi, aperte deficiunt anno post datam pacem vicesimosecundo, victique a Papirio Dictatore, anni unius indutias petunt & impetrant, sed eas Brutulus Papius ipsorum dux abrupit, Samnitesque a Dictatore Cosso fusi fugatique sunt, & ita fracti ut ultro fœderis ruptorem Brutulum dederent, resque ablatas restituerent, etsi pacem a Senatu non impetraverint. Quare anno Vrbis conditæ CCCCXXXII. C. Pontio duce. T. Veturium & Postumium consules in insidias cum exercitu ad Caudinas furcas pertractos & inclusos sub jugum mittunt, eosque turpi sponsione obstringunt. Consules a populo Romano Samnitibus deduntur, nec ab ipsis recipiuntur, ita solutis religione animis, bellum rursus Samnitibus indicitur, fusi victique Samnites a L. Papirio tertium consule, qui ignominiam ante receptam, ipso-

rum ignominia acerrime ultus est anno V. C. ccccxxxiiii. Deinceps proximo anno induciæ sunt petentibus datæ, & rebellant tertio anno ob Saticulam ab Aemilio Dictatore circumsessam, sed ipsi fugati Plistiam socios populi Romani circumsident. Romani Saticula, Samnites Plistia potiuntur, atque abhinc quatuordecim annis cum Samnitibus continuo bellatum est: fœdus namque ipsis redditum est anno Vrbis conditæ ccccxlix. idque quia Romanum exercitum per ipsorum agros profectum commeatu adjuvarant. Atque deinde sexennio quieverunt, quousque Lucanos populi Romanì socios, armis invaderent, & bellum decennale moverent; sed a Curio Dentato ita fracti sunt, ut octennio sese non moverint, nec prius quam sociorum periculo territi, dum Tarentinis a populo Romano bellum indictum erat, ipsi quoque arma resumserint: sed post septennium *ita* L. Papiriò consule debellati sunt, ut nunquam deinceps potestatem Romanam præterquam bello Sociali excusserint, idque factum anno ab V. C. cccclxxi.

Precibus deinde Campaniæ.] Campani opem tulerant vicinis a Septemtrione Sidicinis per injuriam a Samnitibus ut potentioribus oppressis, sed prælio victi Sidicinorum bellum in se converterunt. Samnites namque Campanam gentem luxu & mollitia fluentem adorti pugna ad Capuam fractos, in urbem compellunt. Campani magna clade debellati, Romam legatos auxilii petendi caussa mittunt, atque ipsis ob societatem quam populus Romanus cum Samnitibus habebat, auxilium non est decretum. quare legatus ut populum Romanum ad sua non aliena defendenda impelleret, dedit omnia Campanorum in Reipublicæ Romanæ potestatem.

Campaniæ plaga.] Campania Liri flumine & Latio novo ab occasu terminatur; ab ortu Sarnum habet, militem Samnites Septemtrioni *prætenduntur*; clauditur Etrusco sive Infero mari a meridie. Celebratur *Campaniæ* tractus ob situs amœnitatem, & agrorum montiumque fertilitatem. Dicta Liberi Cererisque certamen, illud ob vini generosissimi copiam, istud ob frugum optimarum fecunditatem. Miror equidem Plinium, ex quo Florus noster sua descripsit, non adiecisse & Palladis cum Libero & Cerere certamen, cum nihil Venafrano oleo celebrius sit, & melius. Vide Plinium. 3. cap. 5.

Cajeta.] Cajetam Latio novo, quia citra Lirim sita est, multi adscribunt. urbs est & portus in ora Formiani sinus occidentali. nomen habet a Cajeta Aeneæ nutrice, sive a littoris curvitate, teste Strabone. & hodie nomen retinet, distatque ab Vrbe in ortum æstivum ad sexagesimum lapidem. ab Aquilone Formias habet adversas ad quintum lapidem, Formiano sinu intermedio.

Misenus.] Misenus portus & promontorium est, olim urbs quoque satis celebris, quæ nunc diruta est. Vltra Cajetam in ortum vergit ad quadragesimum fere lapidem: dictus a Miseno Aeneæ tubicine, teste Virgil. Cumæ eodem tractu sitæ erant sed in occasum æstivum xvi. stadiis.

Bajæ.] Bajæ promontorium, & urbs & portus ob tepentes aquas saluberrima;

Digitized by Google

rima; ab Vrbe ad centesimum lapidem in ortum brumalem distabat. cingebatur a septemtrione Averno, a meridie Augusti portu, ab occasu Lucrinum lacum habebat, ab ortu Puteolanum sinum; ita ut nihil eo situ amœnius neque salubrius esse posset. quare a Romanis frequentissime otii caussa & deliciarum habitabatur: nunc fere suis ruderibus obruta jacet, etiamsi ob fontium & aquarum salubritatem etiam hodie commendetur.

Lucrinus.] Lucrinus & Avernus ex præcedenti Bajarum descriptione noti sunt. & Strabo libro 5. & Plinius cetera.

Gaurus, Falernus, Massicus.] Gaurus mons initium habet a ripa Liris orientali, atque ostio ejusdem fluminis, quod a Gauri vicinitate Gaurianus. unde vulgo Gargiliano dicitur. Hujus montis pars occidentalis Gaurus, orientalis & juga eiusdem, Massicus, septemtrionalis Falernus dicebatur. Falernus ager ejus montis ad septemtrionem declivitate porrigebatur. Vinum quod summis collibus nascebatur, Gauranum; quod mediis, Faustianum; quod imis, Falernum vocari solitum est, teste Plinio.

Vesuvius.] Vesuvius mons, nunc Sumanus dictus, distat a Neapoli in ortum ad quartum fere lapidem, clauditque ripam Sarni fluminis: ipse nobilis generosissimo vino, quod nunc Græcum vocant, & frequenti etiam incendio celebris est: eructat enim subinde flammas, & cinere quoque læto pinguique vicina respergit, verticem vero habet tostis & adustis saxis sterilem. Flagrasse sub Tito, maximo incendio Xiphilinus testatur & Zonaras, itidem Suetonius: antea etiam flagrasse ex Strabone constat & Vitruvio. Plinium Natural. historiæ scriptorem, dum illud sub Tito incendium Vesuvii, ejusque caussas propius investigare contendit, crassa aëris caligine suffocatum interiisse, ad Tacitum Plinius ejus nepos lib. 6. Epistolarum scribit. Aetna Siciliæ mons perpetuo incendio in vertice lucet, ejusque caussam Iustin. lib. 4. reddidit.

Puteoli.] Puteoli urbs Campaniæ Averno ab occasu abluitur; ab ortu sinu, cui Puteolano nomen dedit. ipsa olim Dicæarchia dicta fuit a justitia magistratuum teste Strabone, condita a Samiis, teste Eusebio, primis Romæ Coss. Bruto & Collatino. Inde a putore sulphureo quem aquæ tepentes exhalant, Puteoli dici cœpit teste Strabone & Festo: alii tamem a puteorum frequentia illud nomen faciunt. hodie Pozzuolo voce parum deflexa dicitur.

Herculaneum, Pompeii.] Herculanium & Pompeii urbes Vesuvio monti vicinæ, ista ab ortu ad Sarnum, illa ad occasum non longe a Leucopetra promontorio, Vesuvii montis cineribus sepultæ jacent.

Capua.] Capua olim inter celeberrimas orbis totius urbes tertia, a mari in septemtrionem ad XII. lapidem distabat, eamque Vulturnus mediam perlabebatur. De nominis ratione ut variæ sunt apud scriptores opiniones, ita nulla verisimilior, quam quæ a Capy conditore dictam credit. nam hoc effossa, Cæsare Iulio regnante, ænea Capuæ tabula etiam testabatur, ut scribit in Dictatore Cæsare Suetonius, & maxima pars auctorum in eo

nomine

Digitized by Google

nomine convenit. Capuam vero beneficio populi Romani a Samnitium injuria vindicatam defecisse in gratiam Annibalis a Romanis, iterumque ab iis expugnatam defectionis & proditionis pœnas dedisse, ex historiis constat, & ex Ciceronis Rulliana.

Armis, & discolori veste.] Ita fulgebant auratis armis & versicolori veste eo prælio, quo cæsi sunt a L. Papirio Dictatore, speciosumque fecere ipsius tot spoliis triumphum, anno Vrbis conditæ CCCCXLIV. Iterum eodem apparatu fulgentes, & linteatis etiam sacratisque legionibus splendentes, L. Papirius Cos. Dictatoris filius internecione ad Aquiloniam concidit anno V. C. CCCCLX.

Saltibus fere & montium fraude.] Ita circumventum & cinctum silvarum montiumque indagine Cos. Cornelii Cossi exercitum, Decius Tribunus militum sua virtute & fortitudine expedivit. Junius consul exercitui spe prædæ digresso, insidiisque ad Bovianum perturbato, armis sanguineque hostium viam aperuit. Iterum Cornelio Arvinæ Cos. ita vias saltusque obsepserant, ut ne qua commeatus subveheretur: sed & ille ferro hostes submovit. Nulla autem fraus ipsis successit in Romanorum cladem pronior, quam ad Caudinas furcas; nisi oblatam occasionem infelici consilio corrupissent, de qua mox dicturus est Florus.

Sacratis legibus.] Ideo dixit, quia Samnites a ducibus suis coacti erant ad sacramentum (diri cujusdam carminis in execrationem capitis, familiæ, stirpisque compositi) nisi issent in prælium, quo Imperatores duxissent, si aut ipse fugisset, aut si quem fugientem vidisset, extemplo non occidisset. hoc cum primi aliquot abnuerent, obtruncati sunt, projectique inter stragem victimarum, ut documento ceteris essent, ne abnuerent. hinc sacratæ legiones dictæ, & linteatæ conscriptæ sunt. Linteatæ vero legiones, quod singuli intrantes ad aram velis linteis circumdatam, juraverant. Cetera vide apud Livium libro decimo & Festum.

Quinquaginta annis.] Quod Florus quinquaginta annorum spatio Samnites bello edomitos esse colligit, ἀνιστορησία est, sunt enim anni LXXI. Cœptum namque hoc est bellum anno Vrbis conditæ CCCCX. in potestatem redacti sunt Samnites anno Vrbis conditæ CCCCLXXX. quo victor L. Papirius L. F. de Samnitibus triumphum egit secundum. Appianus etiam excessit hunc annum imprudenter decennio, Eutropius etiam XXII. annis contrahit istud bellum iniqua temporis digestione; proxime accessit lib. XXXI. Livius, qui Samnites cum Romanis septuaginta annos bellasse dicit. Consentiunt etiam historiæ omnes nullum in Italia fuisse hostem, qui populum Romanum diutius aut pertinacius fatigaverit quam Samnites.

Samnium.] Samnites dicti sunt a Samnio colle, in quo e Sabinis venientes consederunt, & nomen urbi quam ibidem condiderant, Samnio fecerunt. eos ab occasu Sabinos, Pelignos, Aequos; ab ortu Picentinos & Apulos; a meridie Campanos & Sidicinos; a septemtrione Marucinos, Daunos, Apulos habuisse ex historiis observavimus.

Quatuor

Digitized by Google

Quatuor & viginti triumphorum.] Observavi triumphatum esse de Samnitibus tricies: Coss. enim vicies & sexies triumphum egerunt, bis Dictator L. Papirius, & qui primus cum imperio proconsulari triumphavit Publilius Philo, alter etiam pro consule Q. Fabius. quos ordine ex Capitoliuis triumphis petere licebit. Gentis Fabiorum triumphos quatuor, Papiriorum quinque recensitos numerabis; victos fractosque postremo L. Papirii L. F. cum Samnitibus prælio ex ejusdem triumpho colligitur anni V. C. CCCCLXXXI.

Apud Caudinas furculas.] Caudinæ furcæ impeditissimæ saltuum silvarumque inter duas rupes, fauces a Caudio vicino Samnitium oppido dictæ sunt. Eæ distabant ab Vrbe in ortum iter tridui, & describuntur a Livio lib. 9. elegantissime, una cum turpi Coss. sponsione. Deinde a populo Romano Veturium & Postumium Coss. Samnitibus deditos esse, ut civitatem pace obnoxiam religione solverent; verum a Poncio Samnitium Imperatore deditos non fuisse receptos.

Fœderis.] Sponsione non fœdere factam ad Caudium deditionem, Livius lib. 9. convincit.

Papirio duce.] Istud prælio, quo Samnites ad Gaurum montem consul Valerius profligavit, accidisse, prima cum Samnitibus pugna Livius lib. 7. auctor est.

Nec prius finis cædibus datus.] Samnitium copiis bis ad Luceriam, quam Papirius consul obsidebat, profligatis cæsisque, tali conditione cum obsessis pactam esse deditionem. Livius prodit, ut receptis IↃC. equitibus, qui pro Caudina pace obsides dati fuerant, dediticii una cum Poncio imperatore sub jugum emitterentur, atque ea ignominia acceptam cladem ulcisceretur. Sed ambiguitatem quam Livius proponit, fueritne res ad Luceriam gesta, & ignominia Caudinæ deditionis reposita, Papirio tertium consule, an ipso equitum magistro, Dictatore Lentulo? eam Capitolini triumphi dirimunt: qui Papirium de Samnitibus secundum triumphasse, cum consul tertium esset, constanter recensent, anno V. C. CCCCXXXIV.

ARGVMENTVM CAP. XVII.

Samnites, Etrusci, Vmbri, Galli armis societatis moverant contra Romanos, prælio vincuntur a Fabio Maximo ad Ciminiam silvam. Inde in Sentinati agro dubio Marte pugnatur. ibi P. Decius Cos. P. F. cujus sinistrum cornu laborabat, sese patris exemplo devovit: Q. Fabius V. Consul victoria potitus est.

COMMENTARIVS.

Mox acervatim.] Florum hoc capite bellum prosequi, quod societate armorum Etrusci, Samnites, Galli, Vmbri contra Romanos gesserunt, ex tota relatione manifestum est; sed confundit rerum gestarum seriem, atque ex variis præliis unicum facit: trans Ciminiam enim silvam profectus Q. Fabius Maximus pro consule ad Perusiam ita Etruscorum opes fregit, ut a Perusia, Crotona & Arretio legati venerint pacem petentes, atque XXX.

Digitized by Google

annorum indutias impetrarint, anno Vrbis conditæ CCCCXIV. Interea Etruscos violato sæpius fœdere, aliquot etiam præliis fractos esse: quia triumphasse invenio de Etruscis Valerium Corvum Cos. anno V. C. CCCCLII. atque Fulvium Centumalum Cons. anno CCCCLV. Inde Q. Fabio V. Decio IV. consulibus, cum Samnites, Etrusci, Galli, Vmbri collatis armis gravissimum bellum inferrent. Etrusci magno & utili consilio a societate distracti sunt, dum suatueri coguntur, atque cum Samnitibus, Gallisque in agro Sentinati pugnatum est. Sed cum Decii cornu sinistrum cui præerat, in fugam ageretur, ipse patris Decii exemplum (qui sese Latino bello ad Ceserim devoverat) secutus: morte sua populo Romano victoriam asseruit. Fabius castris Samnitium expugnatis, duce quoque hostium Egnatio occiso, Gallos a tergo circumventos cecidit: & de Samnitibus, Etruscis, Gallis triumphum egit anno V. C. CCCCLIIX

Per Etruriam infestam.] Etruriam enim ab occasu prætendebatur ripis ipsius Tiberis, citra Roma erat & Latium. Sunt tamen qui legant ex Iornande, *late per Etruriam infesta, quattuor, &c.*

Quatuor agminum signa.] Sociaverant enim arma Etrusci, Galli, Samnites, Vmbri, quorum signa singulis agminibus præferebantur.

Ante invius.] Ciminius saltus antequam a Fabio aperiretur, invius, qui in Etruria fuit, inter Sutrium & Perusiam, ıɔccc. fere ab Vrbe stadiis: quantum ex Strabone colligo.

Quasi Calidonius.] Caledonia Britanniæ silva, ea parte insulæ quæ nunc Scotia dicitur, quæ primum aperta est Romanis Claudio imperante, etsi fama ejus aliqua fuerit Iulio Cæsare in Britanniam expeditionem moliente. Multi hanc ursis nobilitatam referunt, ut Calydoniam Aetoliæ silvam apris: illam Britanniæ Caledoniam, istam Aetoliæ Calydoniam scribi observo.

Vel Hercynius.] Hercyniæ silvæ Germanorum apud Romanos primus meminit Iulius Cæsar lib. 6. eamque latitudine novem dierum, longitudine sexaginta dierum itinere, nec visu nec auditu satis exploratam fuisse: Iulianum Cæsarem hanc primum perlustrasse, ex ipsius verbis apud Suidam citatis colligitur.

Ne tantum periculi ingredi auderet.] Denuntiationem hanc a Senatu sero factam esse testatur Livius, utpote qui referat quinque legatos cum duobus Tribunis plebis penetrata jam silva, & hostibus profligatis supervenisse, nuntiosque victoriæ Romam reversos.

Fratre præmisso.] De fratris hujus prænomine, Kæsone an M. Fabius fuerit: itidem an C. Claudius frater ille consulis fuerit, ex eadem matre natus, apud Livium in ambiguum distrahitur.

In terrigenas.] Gigantis vocabuli compositionem latine per Terrigenas exprimere voluit: Græci enim Gigas vocabulum, ἐκ τοῦ γίνομαι καὶ γῆ conflatum putant. Nota est ex poëtis pugna deorum in Plegræis campis cum Gigantibus, utpote qui Iovem de cæli possessione deturbare moliebantur.

Oppressus

Oppressus in sinu vallis alter consulum Decius.] Confundit hic duo prælia non sine temporum & rerum gestarum confusione. historia autem sic habet. Anno Vrbis conditæ CCCCXLV. Etrusci & Galli ad Ciminiam silvam a Q. Fabio proconsule cæsi sunt. sed anno Vrbis conditæ CCCCLIIX. alterum prælium in Sentinate agro gestum est, & Decius collega sese ob exercitus sui fugam devovit.

More patrio.] Hoc ad Decium hujus Decii patrem referendum est, qui sese Latino prælio ad Ceserin ante annos XLV. devoverat, quando ipsius etiam cornu sinistrum laboraret.

ARGVMENTVM CAP. XVIII.

Populus Romanus in Tarentinos arma sumsit: ob legatos injuria læsos. Tarentini auxilia Samnitium, Lucanorum, Brutiorum, Apulorum asciscunt; sed victi opem regis Pyrrhi implorare coacti sunt. Lævino consule ad Sirin fluvium non satis prospere pugnatur, ob novum ex elephantibus terrorem. melius ad Asculum Aemilio Fabricioque Coss. pugnatum est: ibi elephantes consternati, suos proterunt & dissipant. Claudius Cæcus pacem cum Pyrrho dissuadet. victus Pyrrhus, castrisque exsutus, ab Italia exactus, in Græcia occiditur.

COMMENTARIVS.

Bellum Tarentinum.] Tarentinum bellum omnium quæ P. R. in Italia gessit, nobilissimum est, cœptum anno V. C. CCCCLXXII. debellatum est anno V. C. CCCCLXXVIII. sexennio enim duravit. ejus caussas, & eventum Florus fusissime prosequitur; quare nos breviores erimus, nisi locus occurrat, qui nostram operam desideret.

Pyrrhum.] Pyrrhus Aeacidæ filius Epirotarum rex, paternum genus ad Achillem, maternum ad Herculem referebat. ejus vitam Plutarchus descripsit. habuit cognatam Olympiadem Alexandri Magni matrem, utpote Neoptolemo avunculo genitam.

Tarentus.] Tarentinorum conditores sive colonos, Strabo l. 6. urbisque situm describit. cetera Florus prosequitur.

Istriam, Illyricum.] Istria & Illyricum porriguntur secundum littora maris Adriatici septemtrionalia. Epirus & Achaia Græciæ regiones per Ionium mare in ortum petuntur. Africa in meridiem jacet per mare mediterraneum.

Per obscœnam t. d. contumeliam violant.] Occisum a Tarentinis Duumvirum, hoc est, classis præfectum, bona classiariorum & mercatorum ab iisdem fuisse direpta, auctores habeo, legatosque fuisse pulsatos. Valerius Maximus urina respersos fuisse affirmat.

Elephantis.] Anno V. C. CCCCLXXII. Pyrrhi bello, Italiam elephantes vidisse primum, Plinius testatur lib. 8. cap. 6.

Lirim.] *Sirin* pro *Lyrin* scribendum esse, multos habeo auctores; est enim

Digitized by Google

enim Heraclea ad Sirin sita, teste Strabone lib. 6. Plutarcho in Pyrrho, Plinio, & Stephano de urbibus.

Frentanæ turmæ præfectus Obsidius.] Frentanum natione, turmæque præfectum, nomine Oplacum Plutarchus vocat: ut dubium esset, an Florus de Ferentariorum militum, an de Frentanorum auxiliariorum præfecto loqueretur, nisi testaretur Franciscus Fabricius vir doctissimus, habere se manuscriptum librum, in quo nomen huic præfecto *Obsidium* sit adscriptum. quod Plutarchi sententiam quoque confirmaret: Præfectum & Pyrrhum infestis hastis concurrisse, utriusque equo vulnerato quoque excussos, sed præfectum a satellitibus Pyrrhi concisum: ipsum regem eo periculo edoctum, communicasse cum suis insignia, ut errore hostem a sui cæde distraheret.

Curio Fabricioque Coss.] Manifestus hic est error. Curio enim nunquam in consulatu collegam fuisse Fabricium, Annales Coss. testantur. Scribendum itaque, *Fabricio & Aimilio Coss.* quibus ad Asculum cum Lucanis, Bruttiis, Tarentinis, & Samnitibus pugnatum esse, Triumphorum tabulæ recensent. Observo namque Pyrrhum tunc spe occupandæ Siciliæ evocatum fuisse, victum tamen paulo ante Fabricii virtute, ut pote qui medicum Timocharem contra regis sui caput spe præmii venenum deferentem, ad dominum suum reduci curaverit. ita fere Eutropius, Epitome XIII. Livii, Valerius Maximus, Tabulæ Capitolinæ. Contra Florus, & scriptor de viris illustribus. Frontinus, Plutarchus recensent cum Pyrrho bis ad Asculum esse pugnatum. priore die prælium ob noctem fuisse diremtum, altero die Pyrrhum circa humeros pilo læsum ex acie decessisse, victoriam penes Fabricium fuisse. Pyrrhum deinde a Syracusanis in Siciliam, qui a Carthaginiensibus obsidebantur, evocatum, Plutarchus & Pausanias auctores sunt. Nonnulli scribunt dubio Marte, Sulpicio & Decio Consulibus, cum Pyrrho pugnatum esse, sed anno superiore. Pyrrhum fuisse vulneratum, sed Decium consulem hoc in prælio cecidisse, Cicero in Tusculanis auctor est.

In Lucania.] Pugnatum esse in Lucania in campis Aurusinis a M. Curio contra Pyrrhum Frontinus & Florus cum Orosio testantur. Plutarchus ad Beneventum, a Curio victum esse Pyrrhum prodit, jam ex Sicilia reversum. Itidem Cor. Lentulum, Curii collegam profligasse copiarum partem, quam ut ipsum distineret, obviam miserat Pyrrhus, ne Lentulus exercitum cum Curio conjungeret.

Tertiam sine controversia tradidere.] Victoriam Lævini ad Sirin flumen, terrore belluarum perturbatam fuisse omnes testantur: ut Fabricio pugnante ad Asculum, elephantorum mole & ferocia Romanorum aciem fluctuantem, ad sua castra dubio adhuc Marte recurrisse. M. Curio prælium conserente, dum elephantum furorem milites Romani in rectores proritant, & in hostium aciem repellunt, magna strage Pyrrhum devictum fuisse.

Perorante Appio Cæco.] Appii Cæci oratio apud Plutarchum in Pyrrho extat. Cineas namque orator eloquentissimus erat missus a Pyrrho legatus ad Sena-

Senatum pacis caussa, quando Romani prælio ad Sirin utcunque fracti erant. agebatque Cineas pacem iis conditionibus, quod Pyrrhus in Vrbem reciperetur. Mox Appius & cæcus & senex in Senatum sese jussit deferri, & sua oratione obtinuit, ne Pyrrhus reciperetur.

Pulsi cum muneribus suis ab urbe legati.] Legatum hunc Cineam Demosthenis discipulum fuisse apud omnes constanter scriptum invenio: nec minus ipsum eloquentia, quam Pyrrhum armis confecisse: sed victum fuisse Romanorum integritate & continentia, qui munera & eloquentiam cum paupertatis gloria conjunctam solum admirabantur. Eum, aut ipsius collegas pulsum ab Vrbe fuisse nusquam legi. quare Florus legatos cum muneribus ab Vrbe pulsos, pro repulsis, aut non receptis, per elationem aut certe amplificationem dixisse videtur.

Senatum regum consessum esse.] Illud Cineæ ἀπόφθεγμα ita refert Plutarch. ἡ σύγκλητος αὐτῷ βασιλέων πολλῶν συνέδριον φανεῖη hoc est, Senatum sibi multorum regum consessum visum fuisse: putoque in Floro scribendum, *Senatum regum concilium.*

Curius remisit.] Imprudentia quadam aut securitate scriptores, *Curium* pro *Fabricio* positum esse credo: quia consule Fabricio insidias medici Pyrrho significatas esse, constanter omnes habeo auctores. sed in isto diversa est opinionum controversia, fueritne Fabricii imperio medicus suo domino remissus an ipsius medici litteræ ad Fabricium datæ. itidem, fueritne ex Senatus auctoritate alterutrum confectum? magnam etiam esse de medici nomine dissensionem, apud Gellium lib. 3. leges.

Curius fictilia sua Samnitico præferret auro.] Samniticum aurum a Curio contemtum fuisse Ciceronis quoque Cato adfirmat, & scriptor de viris illustribus, maximaque pars scriptorum. Alii eam continentiæ laudem Fabricio adscribunt, sed iterum in eo dissident, quod nonnuli munera Pyrrhi regis a Fabricio contemta fuisse; alii Samnitium liberalitatem a Curio non fuisse receptam referant.

Fabricius.] Fabricius censor cum Aemilio Papo anno Vrbis conditæ CCCCLXXVIII. Cornelium Rufinum bis consulatu, & semel dictatura functum senatu movit; quia decem pondo argenti facti, hoc est, argenteorum vasorum haberet: strenuum alioqui ducem, sed furacem avarumque. recitat etiam dicterium Fabricii in Rufinum, Ciceronis Orator lib. 2. Plutarchus ab hoc Rufino oriundum esse Sullam Dictatorem testatur.

Intra quadriennium.] Sexennium fuit, nam cœptum est bellum cum Tarentinis anno Vrbis conditæ CCCCLXXII. debellatum cum iisdem rege Pyrrho ab Italia expulso anno V. C. CCCCLXXVIII. Sed Tarentini nondum omnino fracti ob Milonem, qui a Pyrrho cum præsidio Tarenti relictus erat (postquam Pyrrhi regis mortem comperissent) Carthaginiensium auxilia evocarunt. Tarento tandem a Romanis expugnato pax ipsis & libertas data est, L. Papirio Cursore II. & Sp. Carvilio II. Coss. anno Vrbis conditæ CCCCLXXXI. Maximaque Italiæ pars jam devicta erat: venerant namque in populi Romani

mani potestatem Tarentini, Samnites, Lucani, & paulo ante etiam Etrusci.

A vicesimo lapide.] Quod hic vicesimo lapide definit, Plutarchus ad trecenta stadia extendit, hoc est, dupla fere ratione. Flori tamen numerum esse quam Plutarchi exactiorem Geographiæ ratio confirmat: cum regem Pyrrhum Florus a Prænestina arce urbem prospexisse dicat. Præneste distabat ab Vrbe ducentis fere stadiis, teste Strabone; qui numerus ut ad Florum propius accedit, ita & dimensioni terrestri propius convenit.

Si captivos aspiceres.] Molossi, Thessali, Macedones, populi Græciæ celeberrimi, qui contigua fere regna habitabant. Molossi Pyrrho regi parebant; Epirotarum populi, Thessali & Macedones merebant.

Bruttius, Apulus, atque Lucanus.] Bruttius, Apulus, Lucanus extrema Italiæ versus ortum habebant, Tarentinis confœderati. Lucani erant Picentinis proximi; istis Brutii in magna Græcia, quibus ad superum mare transversa fere latera claudebant Apuli.

ARGVMENTVM CAP. XIX. XX. XXI.

Picentes in populi Romani potestatem rediguntur, itidem Sallentini; sed Vulsinienses Etruriæ populi servitute fœdissima oppressi, armis Romanorum asseruntur.

COMMENTARIVS.

Bellum Picens.] In Picentes bellum movisse anno Vrbis conditæ CCCCXXCIV. auctorem habeo Eutropium, Q. Ogulnio, C. Fabio Pictore Coss. quibus etiam argentum Romæ primum esse signatum Plinius & Epitome XV. testantur, quinquennium ante primum bellum Punicum. Caussam hujus belli accepimus ex Floro fuisse, quia Picentes arma cum Tarentinis sociassent: victos esse Picentes proximo anno, Coss. Sempronio Sopho, & Ap. Claudio, idque maximo & laboriosissimo prælio Orosius testatur. De iis triumphatum esse, series Triumphorum indicat.

Picentes.] Picentes populi quintam Italiæ regionem occupabant: quondam uberrimæ multitudinis, ut 360000. Picentium in populi Romani potestatem aliquando venerint, si verus est Plinius. habitantque inter Rubiconem & Aufidum fluvios ad littora maris Adriatici. Sunt & Picentini Italiæ populi, qui ab ortu Lucanos & Silarim fluvios, a tergo Ausones & Sarnum habent, a latere mare Tyrrhenum. Suntque Picentium coloni, teste Strabone, quorum isti Picentes, illi Picentini frequentius dicuntur. De Picentibus triumphatum esse ab utroque cos. Sempronio Sopho & Ap. Claudio triumphorum series prodit anno V. C. CCCCXXCV.

Asculum.] Asculum oppidum Picentium Apulorum, situm erat loco natura munitissimo, muro etiam & montibus vix ulli exercitui penetrabilibus inclusum, teste Strabone l. 6. nobile etiam ob prælium Pyrrhi & Fabricii ibidem consertum. hodie Ascoli dicitur.

Sellan-

Digitized by Google

Sallentini.] Sallentini peniusulam illam incolebant, cujus isthmum sinus Tarentinus & Brundisinus ab occasu constringunt, ad latitudinem unius diei itineris, porrigiturque longa fronte in ortum. eam peninsulam confuse Messapiam, Iapygiam, Calabriam, Sallentinam ab auctoribus vocari Strabo auctor est. victos quoque Messapios esse proximo anno, Triumphorum series testatur. Quatuor quidem Coss. de Sallentinis triumpharunt, quod biennio fere hoc bellum fuisse prodit, nec Atilio Regulo & Iulio Libone Coss. edomitos esse. sed anno sequente quando Coss. Iunius Pera, N. Fabius Pictor de Sallentinis & Messapiis triumphum egerunt, in deditionem fuisse receptos, anno V.C. CCCCLXXXVII. Caussam quoque hujus belli non invenio, nisi Tarentini etiam istos in societatem receperint, & hoc armis vindicandum populus Romanus jusserit. Zonaras populum Romanum opinatur invitatum esse ad caussas belli, ut portus Brundisini commoditate potiretur.

Brudusium inclyto] portu.] Brudisii portum elegantissime Strabo lib. 6. describit. distat a Roma in ortum æstivum millia passuum trecenta sexaginta. estque ex Brundisio navigatio commodissima ad transmarina loca, Epirum, Græciam totam, ad Epidamnum, Illyricas, & Macedonicas gentes. Idem Strabo βρεντέσιον Messapiorum vocabulo cornu cervinum significare asserit, & βρεντέσιον, quod Latini Brundisium, a situs, quam habet cum cornu cervini figura, similitudine appellatum esse.

Duce Fabio Gurgite.] Ducem belli Vulsiniensis Fabium Gurgitem fuisse, præterquam apud Florum, nusquam me legere memini. nam Fabium etiam quem sine cognomine Zonaras prodit, in oppugnatione urbis Vulsiniorum occisum esse refert. Consulem deinde qui Vulsiniensium mancipia expugnata in potestatem redegit, non nominat, cum verisimile est fuisse M. Fulvium, qui consul de Vulsiniensibus triumphum egit, anno V.C. CCCCXXCIX. Scriptor de viris illustribus cap. 36. imperatorem hujus belli Decium Murem vocat. prælio victos, inde obsessos, expugnatos, & summo cruciatu enecatos esse, urbemque eversam, idem Zonaras prodidit.

ARGVMENTVM CAP. XXII.

Postumium Tribunum per seditionem ab exercitu suo lapidatum esse. Appii ferociam miles contumacia ultus est. Voleronis tumultu fracti Coss. fasces. Coriolanum urbe pulsum, ejusque in vindicando ferociam mater Veturia lacrymis mitigavit. Camillum ab ingrata plebe ejectum, patriam a Gallis asseruisse.

COMMENTARIVS.

De seditionibus.] Laboravit etiam intestino malo Romanus populus, seditionesque domi forisque concitavit. Foris, quando P. Postumium Tribunum consulari potestate ob crudelitatem lapidibus obruit. Iterum quando Appii Claudii consulis ferocia miles irritatus vinci a Volscis voluit. sed

Appius

Digitized by Google

Appius consulari imperio in legiones animadvertit, & decium quemque fuisse, centuriones qui ordines deseruissent, securi percussit. Domi quidem Volero Publilius in delectu citatus, quia ordines duxisset, negabat se militem fieri debere. Coss. lictore misso hominem spoliari, virgasque expediri jubent: ille ad populum provocat; crescente deinceps certamine, violantur lictores, fascibusque fractis e foro in curiam compelluntur. Volero anno sequente Tribunus plebis creatus est.

Coriolanus Marcius contumacia quadam plebis judicium contemnens, exsilio multatur: quam injuriam ulturus, Volscorum exercitu usus, patriæ bellum infert gravissimum, a cujus oppugnatione matris suæ pietate & lacrymis deterritus est, ipse sibi mortem tandem adfert, vel ut ab aliis proditum insidiis Tulli Volscorum ducis occiditur, quia adiutorem contra patriam inveniret neminem. hujus casum cum Themistocle Cicero comparat.

Furius Camillus injuste & per civium suorum ingratitudinem, die ipsi dicta a L. Appulejo Trib. pl. ob prædam Vejentanam non satis æque distributam, in exsilium Ardeam abiit: absens quindecim millibus gravis æris damnatus est. ipse tamen hujus injuriæ oblitus, patriam e Gallorum manibus eripuit, Vrbemque liberavit: uti jam de bello Gallico dictum est.

ARGVMENTVM CAP. XXIII.

Ob fœneratorum sævitiam in nexos, plebs in Sacrum montem secessit, nec rediit ad Vrbem, prius quam Tribunos plebis impetrasset, etiam Agrippæ Apologo persuasa.

COMMENTARIVS.

Prima discordia.] Primam plebis secessionem ex dominatione nimia patriciorum proritatam fuisse, & pro libertate, ut cives ob æs alienum nexos assererent, invenio: qui enim creditoribus solvendo non erant, ipsis addicebantur, ut in nervo & compedibus vincti essent, quousque apud creditores serviendo nomina liberassent. Atque cum in addictos etiam crudelior creditorum dominatio sæviret, Patresque de nexis liberandis exspectationem plebis sæpius frustrati essent, plebs armata a Coss. secessit duce Sicinio in montem Sacrum (qui trans Anienem distabat ab Vrbe ad tertium milliarium) ibique hæsit anno fere uno, quousque a Patribus sacratam legem extorqueret, hoc est, ut ipsis e plebe magistratum suum creare Tribunos plebis liceret, qui plebem ab injuria patriciorum defenderet: ut nemini patricio eum magistratum capere liceret; ut ipse magistratus sacrosanctus esset, hoc est, si quis Tribunum plebis verbo aut facto violaret, ipsum impune occidi posse, ac sacrum esse. idque accidit anno post exactos reges, ut testatur Ciceronis Brutus, decimosexto. De numero Tribunorum plebis statim ab initio creatorum sibi non constant auctores, ut nec etiam de no-

de nomine. apud Livium Piso testatur primum duos creatos esse: quinque autem creari cœptos anno Vrbis conditæ CCLXXXII. satis constat. Decem vero anno V. C. CCDCVI. ad quem numerum deinceps semper stante Republica creati sunt. Quod ad nexum attinet, desierunt necti cives Romani ob æs alienum anno V. C. CCCCXXVII. idque ob L. Papirii libidinem & contumeliam in C. Publilium: bonaque debitoris tantum creditori obnoxia erant, corpus a nexu liberabatur.

ARGVMENTVM CAP. XXIV.

Appius decemvir ingenuæ virginis stuprandæ libidine ardens, eam in servitutem trahere conatur, eam pater sua manu jugulatam scelestæ eripuit dominationi. Decemviri plebis secessione coacti abdicarunt.

COMMENTARIVS.

Decemvir atque libido.] Altera secessio pro pudicitia fuit. Decemviri legum scribendarum caussa creati erant cum imperio consulari & sine provocatione, ut ipsi ex patriis moribus, peregrinisque legibus jus populi Romani selectum conscriberent, quæque ii scripsissent si Patres auctores fierent, & populus juberet, ea populum semper tenerent. Decemviri autem semel ita occupatam Rempublicam prætextu scribendarum adhuc legum, dominanatione regia ad biennium mutua etiam conspiratione oppresserant. sed Appii Claudii libido istam quoque servitutem excussit: dum enim ille exarsit in Virginiam plebejam puellam, omniaque clausa & obsepta pudore experiretur, conatur eam in servitutem spe ipsius potiundæ asserere per Claudium clientem suum. sed L. Virginius pater filiam sua manu occidit potius, quam ea Appii libidini dederetur. ejus atrocitate plebs commota, castris relictis in Aventinum, mox in Sacrum montem secessit anno post reges exactos sexagesimo V. C. CCCIV. Plebs autem paulo post placata est iis conditionibus, quod Tribuni plebis ipsis restituerentur, abdicatisque Decemviris iterum Consules crearentur. Appius vero Decemvir sibi manus in carcere intulisse dicitur.

ARGVMENTVM CAP. XXV.

Plebs connubiorum cum patriciis societatem impetrat.

COMMENTARIVS.

Matrimoniorum dignitas.] Legem a Decemviris quoque in XII. tabulas relatam esse, ex Livio constat, & Dionysius testatur: *Ne patriciis promiscua cum plebe connubia sunto.* idque ipsius Claudii Decemviri odio in plebem factum fuisse. quam legem C. Canulejus Tribunus plebis non sine

 magnis

Digitized by Google

magnis Reipublicæ motibus abrogavit, tulitque novam legem, ut patriciorum & plebejorum connubia promiscua essent: utcumque fremerent patricii, qui sanguinem suum contaminari, confundi jura gentium ea rogatione vociferabantur; qua tamen ad concordiam civium nihil devinctius esset. atque ista connubiorum communicatio plebi ad honores aditum sua occasione aperuit, uti proximo capite notabimus.

In monte Ianiculo.] In Ianiculo connubiorum promiscuorum caussa tumultuatum fuisse Canuleio duce, auctorem præter Florum haud facile invenias. Certatum quidem tam ob caussam seditiose inter patricios & Trib. plebis contentionibus variis ex Livio constat: secessisse autem plebem in Ianiculum propter æs alienum post graves & longas seditiones anno V. C. CCCCLVII. invenio, atque a Q. Hortensio Dictatore inde deductam, eumque legem tulisse in Esculeto, ut quod plebs jussisset, omnes Quirites teneret, nec aliam tertiæ secessionis caussam auctores recensent.

ARGVMENTVM CAP. XXVI.

Ordo plebejus honorum cum patriciis communicationem post longas contentiones obtinuit. Populus Romanus libertatis usqueadeo acris vindicator fuit, quod libertatis suæ per largitionem insidiatores, Sp. Cassium per legem Agrariam, Sp. Mælium per frumenti donationem, M. Manlium Capitolinum per addictorum redemptionem regnum affectantes morte multaverit.

COMMENTARIVS.

Honorum cupido.] Canuleji Tribuni pl. audacia primum lex de altero Consulum e plebe creando promulgata est anno Vrbis conditæ CCCVIII. idque ut dominationem patriciorum infringeret; tenuitque ea contentio Patres plebemque annos fere octoginta, eosque semper magnis motibus acta est, Patres autem statim lege promulgata metuentes ne perferretur, C. Claudii auctoritate in eam sententiam ierunt; quod tres Tribuni militum consulari potestate ex patriciis, totidem communicatione honoris ex plebejis crearentur; facile plebs patrum auctoritatem jussit; sperabat namque fore quia tot plebeji sese candidatos profiterentur, quod aliquorum ratio haberetur, & magistratum caperent; sed id frustra fuit, quia tres tantum, & patricii omnes creati sunt; iisque plebs contenta fuit, propterea quod sui ratio in comitiis habita videretur, anno V. C. CCCX. atque variis deinceps patrum cum plebe contentionibus, iterum consules e patriciis quadriennio sequenti creantur. Mox iterum evicit Trib. pleb. contentio, quod Tribuni militum sex crearentur, atque spe iterum communicandi honoris magistratus istius cum plebe frustrati sunt: suntque proximo quadriennio quieta plebe Tribunisque ejus, coss. e patriciis creati: sed assiduæ Trib. pl. conciones obtinuerunt, ut Tribuni militum anno Vrbis conditæ CCCXX. crearentur. petebant autem ut ex plebejis tres, totidem ex patriciis designarentur. sed patricii tres tantum

tum creati sunt; quod & proximo etiam anno usu venit, quibus coss. per quinquennium successere; inde Tribunos militum plebis certamine, vario & alternante cum coss. successu obtinuit; accrescente sensim Tribunorum militum numero ad senarium, quorum terni patricii, totidem plebeji essent. idque quindecim fere annis, ab Vrbe condita CCCXLV. ad CCCLX. Sed biennium proximum consulare fuit, cui successerunt XVI. annis Tribuni militum Cons. potestate, atque tunc mutata quoque Reipublicæ forma. Tribb. plebis per quinquennium seditiose in ceterorum magistratuum solitudine dominati sunt. sed iis contentionem tandem de plebejo consule remittentibus, per comitia iterum creati sunt Tribuni militum; tenuitque is magistratus annos quatuor, quousque Tribuni plebis vicerunt, ut per comitia alter coss. e plebe fieret. anno V. C. CCCLXXXVIII. creatusque est primus e plebe consul L. Sextius Lateranus, hujusque legis patres auctores fuerunt, idque pro concesso ipsis alio magistratu, qui in civitate jus diceret, atque is e patriciis tantum crearetur, prætor diceretur: creatusque fuit primus Sp. Furius Camilli filius, & ut Curules ædiles patricii tantum designarentur, convenerat. Iamque ordines in concordiam conciliati, honorumque communicatione moderata erat respublica, quia patebat via nitenti per virtutem ad magistratus capiendos patricio æque atque plebejo, promiscuique deinceps plebi cum Patribus honores fuerunt. Dictator enim primus e plebe dictus est a plebejo consule Popillio Lænate, C. Marcius Rutulus anno Vrbis conditæ CCCXCVIII. isque de plebe sibi equitum Magistrum cooptavit C. Plautium; etsi tamen hic primus e plebe Magister equitum non fuerit, sed C. Licinius Stolo anno Vrbis conditæ CCCLXXXV. a Dictatore C. Manlio primus e plebe dictus fuit, non sine gravissima Patrum in Manlium offensione, quod Manlius patricius certamina plebis cum Patribus tali occasione præjudicasse videbatur.

Censorum magistratus cum plebe evulgari cœpit anno Vrbis conditæ CCCCII. primusque Censor plebejus fuit C. Marcius Rutilus, qui primus e plebe Dictator fuerat.

Prætura etiam plebeja facta est, primusque Prætor e plebe creatus Q. Publilius Philo anno V. C. CCCCXVII.

Duarum pater.] Sorores Fabiæ in domo Sulpicii Tribuni militum forte confabulabantur, redit e foro domum Sulpicius, lictor (ut mos erat) forem virga percutiebat, expavit ad insolitum domi suæ morem uxor Stolonis, & risui fuit sorori miranti id ab ea ignorari. æmulatione itaque accensa, patrem maritumque ita impulit, ut honores & magistratus etiam in Stolonis plebejam domum contulerint. Factus enim Stolo Tribunus plebis cum L. Sextio, honorum evulgationem a Patribus extorsit. primusque Magister equitum e plebe dictus est, & binos gessit consulatus. Capitolinæ tabulæ hunc Calvum cognominant, ceteri scriptores Stolonem.

Sp. Cassium.] Sp. Cassius clarior factus tribus consulatibus, triumphisque duobus in regni affectati suspicionem ideo venit, quod legem promulgaverit

Digitized by Google

verit de agro Hernicorum Latinis sociis, & civibus Romanis dividendo. sed ista Cassii largitio apud cives evilescebat, quia sociis, civibusque distributionem comparandam censuerat. qui ut alio munere sibi cives reconciliaret, jubebat pro Siculo frumento acceptam pecuniam populo retribui. id vero non aliter plebs est aspernata, quam præsentem regni mercedem. quare simulatque magistratu abiisset, damnatus necatusque est. Auctores habeo qui domi a patre damnatum, verberatum, necatum referant, sed populi judicio damnatum esse, Livius, ut probabilius, sequitur.

Mælium.] Sp. Mælius Eques Romanus dum frumenti largitione quod sua pecunia comparaverat, regnum a plebe esuriente emercari videretur, affectare ipsum tyrannidem defertur a L. Minucio annonæ præfecto. Senatus tanta rei novitate commotus, ex sententia T. Quinctii consulis Dictatorem dici jubet. L. Quinctius Cincinnatus jam octogenarius dicitur seditionis sedandæ caussa. atque is equitum Magistrum sibi cooptat C. Servilium Ahalam. Servilius Mælium jussu Dictatoris in jus vocatum, quia dicto non parebat, obtruncat, anno V. C. CCCXIV. Dictator juste factum esse pronuntiavit. nihilque postea egisse Tribunum plebis, qui rogationem tulerit de publicandis Ahalæ bonis, quia civem indemnatum occidisset, Livius testatur. Contra Cicero & Valerius auctores sunt, exsilio postea multatum Ahalam, populi incitati iracundia.

Manlium vero Capitolii vindicem.] M. Manlius, dictus Capitolinus ob Capitolium a Senonibus Gallis, qui noctu obrepserant, defensum anno Vrbis conditæ CCCLXIII. qui rerum gestarum magnitudine gloriaque immoderatius sese efferens, civium quoque patronum sese professus, addictos creditoribus sua pecunia redimebat: cœpitque domi agitare regni consilia. quare ipsi a Trib. pl. M. Menio & Q. Publilio dies est dicta. Aulus & Titus fratres in ejus judicio vestem non mutarunt, quod ad eum diem usu non venerat, quin tanto in discrimine proximi quoque sorditati ad movendam populi judicis misericordiam comparuissent. Damnatus e saxo Tarpeio quod in Capitolio erat, quodque a Gallis vindicaverat, præceps datus est, anno septimo post Vrbem a Gallis receptam. Gellius Nepotem laudat auctorem qui Manlium verberando necatum scripserit. Adjectas mortuo notas, Livius, Sex. Pom. Herodes Atticus apud Gellium, auctores sunt: alteram publicam, quod cum domus ejus ex populi jussu ob defensum Capitolium in arce fuisset, ubi postea ædes atque officina Monetæ, latum ad populum est, ne quis patricius in arce aut Capitolio habitaret, domusque ejus diruta est, bona publicata. Gentiliciam alteram, ne quis ex ea gente Marci prænomine vocaretur, ita ut vocabulum quoque illud cum ipso deformatum atque sepultum videretur. Nam quod ille qui de viris illustribus Plinii Secundi titulo circumfertur, scripsit, gentilitatem Manlii ejurasse ne quis postea cognomine Capitolino uteretur; ἀνιστορία est: constat enim ex consulum Annalibus, Capitolinorum cognomina in Manliana gente deinceps frequentissima fuisse.

IN

Digitized by Google

IN LIBRI SECVNDI

CAPVT I.

Enumeratione repetit quingentorum fere annorum res a populo R. intra Italiam fortiter gestas, hinc armis ipsorum Europam, Africam, Asiam cc. annis domitam.

Prope quingentesimum annum agens.] *Prope quingentesimum* ideo scripsit, quia ab V. C. ad primum bellum Punicum anni tantum sunt ccccixc. rotundiore itaque numero usurus undecim annos qui ad quingentesimum usque desiderabantur, unica dictione, *prope* inclusit.

ARGVMENTVM CAP. II.

Pro Sicilia annis XXIII. *terra marique Romanus cum Pœno bellum gerit classe. etiam hoc bello Romani primum cum hoste congressi sunt: variaque victoria, tempestatum sævitia, & imperatorum audacia magnis cladibus utraque pars conflictata est, victorque tandem Romanus, pacis leges Carthaginiensibus imposuit.*

COMMENTARIVS.

Primum bellum Punicum.] Primi belli Punici caussas varie referunt auctores. nonnulli eo referunt quod Pœni sive Carthaginienses classe Tarentinos contra fœdus cum populo R. ictum adjuvissent. Fœdera autem Carthaginiensium cum Romanis inde a primis coss. repetit libro tertio Polybius. sed tamen ille belli istius caussas fere cum Floro easdem recenset. refert Plutarch. Pyrrhum a Sicilia recedentem respexisse, suisque dixisse: O qualem nos, o amici, Carthaginiensibus & Romanis palæstram relinquimus! idque ut is conjecerat, haud diu post ita evenisse. cetera Florus.

Messana quereretur.] Messanam Siciliæ, qua Rhegio Italiæ oppido prætenditur, urbem nobilissimam Campani Mamertini, qui sub Agathocle Syracusano in Africa meruerant, reversi hostiliter occupaverant. Invaserat etiam paulo post civibus ejectis, quibus præsidio missa erat Rhegium, Campana legio Romanorum duce Iubellio: sed devicto Pyrrho & Tarentinis debellatis a L. Genucio cos. Rhegium quoque expugnatum est: legio Romæ virgis cæsa & securi percussa est, anno V. C. CCCCLXXXII. atque cum simile supplicium metuerent Mamertini ob occupatam Messanam, essentque adverso prælio ab Hierone fracti, alii ad Carthaginiensium societatem, nonnulli ad Romanorum auxilium respicere cœperunt. Carthaginienses præsidium miserunt, quod a Mamertinis receptum est, Romani metuentes ne opportunitate ista usi Carthaginienses totam Siciliam occuparent, quam præter Messanam & Syracusas universam possidebant, Mamertinis

opem petentibus ferendam esse decreverunt. Appius Claudius coss. primus omnium cum exercitu in Siciliam missus est anno V. C. CCCCLXXXIX. invenitque cognomen Caudex, quod primum Caudicem, hoc est, navem belli gerendi in Siciliam caussa conscenderit, cujus Senecam & Suetonium auctores habeo. Mamertini Claudium ad se vocant, præfecto Pœnorum quem in arce receperant ejecto, qua indignitate Pœni irritati Messanam obsident, vocato in societatem obsidionis Hierone Syracusanorum rege: quibus coss. Appius primum pacis conditiones nonnihil consternatus hostium multitudine proposuit. eas hostis rejicit: invadit itaque seorsum Appius Hieronem, cumque prælio fractum a Messana repulit, fugaque Syracusas petentem secutus Appius, eas quoque obsedit. Proximo deinceps anno qui erat annus V. C. CCCCXC. M. Valerius, & M'. Otacilius coss. in *Siciliam* trajiciunt. pleræque Carthaginiensium urbes sine prælio ad Romanos deficiunt, pacem cum Hierone jam rebus suis diffidente iis legibus faciunt, ut captivos Romanorum sine pretio demitteret, argenti talenta centum penderet, socius populi R. esset. atque ita fere Polyb. ista prosequitur. Sed rem fortiter & prælio quoque ab istis coss. hoc anno gestam testantur Plin. Eutrop. Oros. Macrob. Epitome Liviana XVI. & Capitolini triumphi. Tauromenitanos, Catanenses, & quinquaginta civitates in fide acceptas, itidem Valerium deinceps Messallam a Messana expugnata cognominatum.

Fabulosis infame monstris.] De Scylla & Charybdi intelligit. Charybdim fretum inter Rhegium & Messanam vocari Thucydides lib. 4. scripsit: alii Charybdim vorticosum & altissimum mare ante Messanam tradunt, quod suis vorticibus naves in gyrum tractas absorbeat, & tabulata attrita partesque navium ad Tauromenitanum littus evomat. Scyllam vero *juxta* Rhegium immanem & cavernosum scopulum esse, qui anfractibus suis undas receptas & collisas veluti canum latratus & ululatus referat: estque Scylla ob saxa & scopulos infamis naufragio. De fabulosis in hoc freto monstris Virg. lib. 3. Homer. Odyssea M. & ipsorum commentatores lectoris desiderio satisfacient. Distabat Messana a Rheginorum urbe in Bruttiis intervallo stadiorum sexaginta.

Siciliam.] Sicilia maxima in Tyrrheno mari insula, Italiæ ad Bruttios imminens, Triquetra est, dicta Thucydidi Sicania, a Græcis etiam Trinacria, a tribus promontoriis, quibus sese in mare protendit, quorum illud quod Scyllæo sive Bruttio Italiæ adversum jacet, Pelorum vocatur; huic aliud prætensum in meridiem desinens Pachynum dicitur. Tertium quod in occasum brumalem porrigitur, quasique verticem trianguli constringit, Lilybæum dicitur, Africæ objectum.

Duillio.] Pænos primum classe a C. Duilio cos. ad Liparas insulam esse victos, primumque eum egisse navalem triumphum anno V. C. CCCCXCIII. fidissima priscorum monumenta testantur, & eam ob caussam ei perpetuum honorem habitum, ut reverenti a cœna, tibicine canente

funale

Digitized by Google

funale præferretur, & columnam ipsi publico in foro erectam esse hujus victoriæ caussa Plin. lib. 34. c. 5. testatur.

Injecta enim ferreæ manus.] Ferreas manus vocat, quas ut agilitatem Punicarum mole suarum navium retardaret, Duilius consul excogitaverat. quas ut Corvos vocat Polyb. ita eos lib. 1. eleganter describit. Erantque Corvi veluti pontes quidam novem pedum, in gradus secundum longitudinem digesti, qui circa navium proras erecti stabant: ii libramentis quibusdam remissi, & præcipiti rotæ volubilitate pondereque impetum adiuvantes, quacumque parte in adversam navim irruebant, eam manu ferrea sive harpagone astringebant, militibusque per substratum ita pontem via in hostium naves patebat. Cum Pœni Romanos ut rei navalis imperitos duce Annibale temerario impetu invaderent, implicatis ejus machinæ usu a prora & ex obliquo quacunque irruerent navibus, vincuntur a Duilio, capiturque & Septiremis Annibalis, quæ Pyrrhi regis fuerat. ipse dux ægre elapsus Carthaginem fugit.

Apud Liparas.] Lipara insulæ & urbis in eadem nomen, estque una ex Aeoliis septem: dicta Lipara a Liparo rege, qui Aeolo successit, abestque ab Italia in meridiem XII. mil. passuum, ipsaque circuitu paulo minori. Vide Plin. lib. 3. cap. 9. Strab. lib. 6.

Asina Cornelius.] Cn. Cornelius Asina C. Duilii collega, dum Liparas cum XVII. navibus contendisset, opportunitate aliqua invitatus, tamen aliquanto quam necesse erat celerius, ab Annibale Pœnorum duce velut indagine cinctus capitur, teste Polyb. lib. 1. Ceteri auctores cum Floro de Punica fraude & jure jurando deceptum consulem consentiunt: dum enim eum adduxerunt ad suum ducem, quasi visendi ægrotum gratia, mox captivum abripuerunt in Africam e Sicilia cum XXII. navibus, ut Appian. in Lybicis scribit. idem Cornelius sexennio postquam captus fuerat, de Pœnis pro consule triumphavit, cujus & Valer. lib. 6. & Capitolini scriptores meminerunt.

Calatino dictatore.] Temere hic a Floro adscribitur Dictaturæ A. Atilii Calatini quod consulatui ipsius tribuendum erat anno V. C. CCCCXCIV. Dictator enim ipse Calatinus suffectus est in locum M. Claudii Gliciæ, qui scriba fuerat, coactusque abdicaverat anno V. C. IↃV. atque in ipsius Dictatura nihil memorabile gestum invenio, etsi primus Dictator fuerit, qui extra Italiam imperium habuerit.

Agrigento.] Agrigentum Siciliæ oppidum medio fere inter Pachynum & Lilybæum promontoria spatio: eoque latere Sicilia Africæ litoribus prætenditur, ἀκράγας Græcis dictum, biennio prius quam consul esset Calatinus, in potestatem P. R. venit per obsidionem coss. L. Postumio, Q. Mamilio, anno V. C. CCCCXCI. describitur Agrigentum a Polyb. lib. 9.

Lilybæum.] Lilybæum extremum Siciliæ in brumalem occasum promontorium, a Roma in Euronotum, a Carthagine in Hellespontum porrectum jacebat, distabatque ab Africæ littoribus mille stadiis, ut Polyb. ut Strab. testatur, mille quingentis. Sed Plin. ad Mercurii promontorium a Lilybæo

centum

Digitized by Google

centum & octoginta millia passuum mensurat. Srabo etiam auctor est, quendam acutissimi visus, cum in speculam ascendisset, naves Carthaginiensium portum egredientes Lilybetanis numero renuntiasse, quod sane sphærica ratio ob maris convexitatem interea ad tria mill. p. turgescentem non patitur aut oportuit trium millium p. altitudinis eam speculam habuisse. Erat in hoc quoque promontorio Lilybæum urbs firmissima & Carthaginensium præsidio munita. de qua hic loquitur Florus, ea hodie Marzala dicitur..

Drepranis.] Drepanum a Lilybæo in Septemtrionem distabat, teste Polybio, stadiis fere centum viginti: nomen habet ab incurvato situ *instar* falcis; δρέπανον enim Græcis falcem significat, nunc Trapani dicitur.

Panormo, Eryce.] Panormus ultra Drepanum in Septemtrionem sita est, distatque a Lilybæo 48. mill. p. Eryx mons est inter Drepanum & Panormum mari imminens, sed quam Drepano vicinior, qui magnitudine ab Aetna secundus est: in ejus vertice planicies erat ubi Veneris Erycinæ templum, paulo infra verticem urbs erat ejusdem cum monte nominis; erat & in eodem monte Anchisis sepulcrum.

Circa Camerinensium saltum.] Camarina urbs Siciliæ, Syracusanorum colonia in latere Lybici maris a Pachyno in occasum distabat 50. mill. pass. teste Strabone. ad hujus urbis saltum, cum temeritate consulis Calatini exercitus in vallem (cujus colles undique hostes insedissent) demissus esset, Calpurnii stratagema consuli occasionem dedit, ad exercitum inde extrahendum. aliter ista quam Florus narrat Frontinus lib. 1. cap. 5. & lib. 4. c. 5. itidem Gellius lib. 3. cap. 7. & varia huic Tribuno nomina adscribunt.

Thermopylarum & Leonidæ famam adæquavit.] Thermopylæ angustiæ montium atque saltuum sunt in Thessalia, qua in Maliacum sinum, orientemque vergit, ad Sperchii fluminis ostia, lutulenta admodum & limosa via, & non nisi sexaginta passuum patens; quæ una militaris via est, & qua traduci exercitus, si non arceatur, possit. eam Leonides Spartanorum rex contra Persarum ingentem multitudinem cum trecentis Spartanis occupaverat, magnamque barbarorum per vim nitentium partem occiderat, nec superatus foret nisi per proditorem Epialtem circumductus Trachinium hostis, eos a tergo oppressisset. Variant admodum in hujus historiæ traditione auctores, Cicero ccc. Spartanos, itidem Frontinus & Herodotus numerant; Gellius ex Catonis Originibus cccc. itidem Iustinus ıɔc. qui eruptione in hostes, & cædibus fatigatos, a multitudine barbarorum obrutos scribit. Thermopylarum situs venuste ab Aeliano lib. 3. Variarum hist. describitur.

Licet nihil scripserit sanguine.] Collectum ab Atilio Calatino Cos. adhuc cadavera suorum spirantem Calpurnium Flaminam, eumque convaluisse, & strenuam deinceps P. R. adhuc navasse operam, M. Cato apud Gell. auctor est lib. 3. cap. 7. comparatque Leonidæ cum Calpurnii fortitudinem. Sed quod noster subindicare videtur sanguine scripsisse Leonidam, memoriæ lapsus est, utpote confundentis Othryadis stratagema cum Leonidæ.

Digitized by Google

Leonidæ. Cum namque de Thyrea agro inter Spartanos & Argivos controversia esset, ita prælio convenerat inter utrosque populos, ut lis ea armatis utrimque trecentis prælio decerneretur. Otryades Spartanorum dux erat, suisque cæsis ipse vulneratus, interque cadavera neglectus, hastæ fragmentis innixus, occisorum Argivorum scuta collegit, erexitque Iovi Tropæum, quod proprio sanguine inscripsit, suisque ea ratione agrum asseruit, ut in Parallelis Plutarchus narrat.

L. Cornelio Scipione.] L. Cornelium Scipionem Cos. de Pœnis, Sardinia, & Corsica triumphasse anno V.C.CCCCXCIV. in Capitolinos triumphos relatum est, de Pœnis quidem, quia Annibalem a C. Duilio prius victum, & nunc hoc anno classe Punica in Sardiniam revectum ex improviso circumsedit, classemque ejus cepit. Annibal domum reversus ob rem toties male gestam in crucem sublatus est. Anno ejus successor, fortissime pro Olbia Sardiniæ urbe pugnans, a Scipione quoque victus & occisus est. De Sardinia, ob Carallin (ita enim apud probatos auctores nomen habet) Sardiniæ nobilissimam urbem ab ipso expugnatam triumphasse; Corsicos etiam utcumque armis fuisse edomitos ipse triumphus ostendit, etsi scriptores quid a Cornelio in Corsica gestum sit, diserte non referant.

M. Attilio Regulo.] M. Atilius Regulus, L. Manlius Vulso coss. anno V.C.CCCCXCII. parabant, ut bellum in Africam transferrent: Pœni id pro viribus impedire conati prælium ineunt ducibus Annone & Amilcare: victoria navalis penes Romanos fuit, qui reparatis etiam, quas ceperant, navibus ad Mercurii promontorium (quod in Africa est) inde Aspidem Græcis, Latinis Clypeam dictam, quæ a littore prima est, veniunt, eaque in deditionem accepta, in agrum Carthaginiensium impetum faciunt. cetera Florus prosequitur. Bagrada autem fluvius Africæ inter Vticam & Carthaginem in mare labitur. de portentosæ ista magnitudinis serpente Gellius lib. 6. cap. 3. Valer. de Miraculis. Plin. lib. 8. cap. 14. CXX. pedum longitudinis fuisse, pellemque ejus & maxillas usque ad bellum Numantinum, hoc est, 115. annis Romæ in templo durasse testatur, eamque balistis tormentisque, ut oppidum aliquod, expugnatam.

Quum Xantippum.] Carthaginienses utcunque cladibus fracti viderentur, tamen acerbiores Reguli pacis conditiones repudiarunt, acciveruntque externum ducem Xantippum Spartanum, cujus militari peritia, & sua elatione confidentiaque. victi sunt Romani, qui dum crebra victoria insolescerent, Græculum hominem ut imbellem contemserunt, quæ temeritas ipsis cladem attulit, quam ab elephantis acceptam esse Polybius auctor est: eam tamen Frontin. peritiæ Xantippi in instruenda acie lib. 3. Stratagem. asscribit. Appianus confidentiam Atilii accusat, dum æstuoso die, gravibus armis, siti, æstuque confectum exercitum, varieque fatigatum & iniquissimo loco in hostem ducit. atque ex triginta millibus, quibus præerat, paucos Clypeam evasisse, reliquos cæsos, aut cum duce captos fuisse. auctores in captorum & cæsorum, & fuga elapsorum numero fere omnes variant.

riant. Eutr. numerum habet præ ceteris amplissimum. Xantippus victoria potitus mox in Græciam prudenter cogitabat, ne apud Carthaginienses barbaros sese æmulatione aut invidiæ obiiceret: ipse donis & muneribus benigne a Carthaginiensibus ad suspicionem dimovendam habitus, Punica fraude, quæ gloriam ejus belli ad se trahebat, in mari dum navigat, oppressus & submersus esse creditur teste Appiano in Lybico.

Ne pax fieret.] Pœni a Metello cos. ad Panormum victi, Regulum jam quadriennio captivum Romam de pace aut de captivis commutandis una cum suis legatis miserunt, ille utrumque in Senatu dissuasit, & Carthaginem rediit, etsi ad crudelissimum hostem, & exquisita supplicia proficisci sese non ignorabat; tamen iusiurandum quo se reversurum astrinxerat nisi utrumque impetraret, conservandum putabat. Latius ista Eutrop. Oros. Gell. lib. 6. cap. 4. Valer. lib. 1. Cicero Officior. itidem Horat. Carm. lib. 3. & alii.

Sive crucis supplicio.] De supplicio Reguli variant scriptores; Cicero in Pisoniana, Regulum in machina relegatum scribit, & resectis palpebris vigilando enecatum. eam machinam Appianus caveam vocat stimulis intus exstantibus, necubi se sine corporis laceratione proclinare posset. Tubero apud Gellium lib. 6. aliud & inauditum tradit, talionemque nobilissimis Pœnorum capitivis repensum esse a Reguli liberis, eosque in armario muricibus præfixo inclusos, insomniaque excruciatos interiisse. Florus crucis supplicio enecatum, ceteri omnes insomnia, etsi alio atque alio cruciatus genere tradant. laudatur constanter ab omnibus Reguli in adversis animi fortitudo, in patriam pietas vitæ prodiga, & hosti ad internecionem usque fides servata.

Metello igitur consule.] Post devictum in Africa Regulum, & sævissima aliquot naufragia, Romani a mari abstinebant: Pœni ex ea occasione spem recuperandæ Siciliæ capiunt, Asdrubalemque cum exercitu in insulam mittunt, qui cum C. Furium Metelli collegam cum media parte copiarum Romam esse reversum ex transfugis didicisset, movit versus Panormum, ut Metellum opprimeret: ille ut hosti confidentiam confirmaret, intra mœnia continuit exercitum, atque traiicientem flumen adortus, elephantisque, quos in Romanos impulerat, vulneribus telisque irritatis, atque in hostium agmen conversis, belluarum impetu perturbat aciem Pœnorum, turbatosque ex obliquo invadit, & magno prælio vincit. duxit enim in triumphum XIII. duces hostium, & CXX. elephantos. quibus Eutropius X. elephantos, Plinius XXII. addit, at Orosius XVI; noster Florus XX. ab ea summa deducit. Pro consule triumphasse L. Cæcilium Metellum de Pœnis VII. Idus Septembris, anno 1311. Triumphi Capitolini testantur, quo præterea consilio elephantes in Italiam Metellus trajecerit, docet lib. 1. Front. cap. 7. & Plin. lib. 8.

Appio Claudio consule.] P. Claudius Pulcher Ap. Cæci filius consul in Siciliam anno V. C. 1311II. ut exercitui præesset missus, cum Drepanum ubi

ubi Adherbal erat, ad eum opprimendum confidentius navigaret, eum eodem occurrente congressus, vix cum xxx. navibus fuga elapsus, xciii. naves ab hostibus captæ sunt, estque a Romano populo condemnatus, eo quod ipsius temeritate cladem acceptam esse satis constaret. Sed Valerius lib. 8. non fuisse damnatum, quia imbris supervenientis beneficio, populi comitia dissoluta sunt, auctor est, etsi Cicero & Polybius ab eo dissentiant. non vixisse autem Claud. Pulchrum ab hac clade ultra biennium constat vel ex petulanti voce ejusdem sororis, quæ a spectaculo ludorum reversa, cum a confluente hominum multitudine & turba premeretur, optaverit fratrem suum vivere, & iterum classem ducere; ut scilicet urbem a tanta turba exhauriret, cujus petulantiæ caussa, ipsi ab ædilibus pl. multa dicta est xx M. æris, teste Gellio, Suetonio.

Præcipitari pullos.] Per jocum Deos irridebat, teste Cicerone, P. Claudius. cum enim cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit, ut biberent quando esse nollent: superatusque navali prælio, cum Dictatorem dicere a Senatu juberetur, velut iterum illudens descrimini publico, Gliciam viatorem suum dixit, ultimæ sortis hominem, ut habet Suetonius & Epitoma Livii. L. Iunius Pullus P. Claudii collega tempestate classem amisit, cum auspiciis etiam non paruisset, itaque necem sibi ipse conscivit, teste Cicerone. Romani tot naufragiis afflicti per quinquennium, mari abstinuerunt. Classis Punica insequentibus post Claudium annis, Italiæ oram infestavit, eamque longe lateque vastavit.

Marco Fabio Buteone.] M. Fabium Buteonem qui consul fuit cum C. Atilio Bulbo, anno IↃVIII. navali prælio vicisse Pœnos, nullum quidem præter Florum auctorem habeo. Aegimurus vero insula est in mari Africano, quæ sinum a mari claudit, in quo sita est Carthago xxx. M. fere passuum ab Vrbe, teste Livio lib. 30.

Quantus tectus triumphus.] Regulo capto, & exercitu Romanorum a Pœnis cæso, duce Xantippo, Aemilius Paullus & Fulvius Nobilior consules anno CCCCXCVIII. in Africam cum cc. navium classe navigare jussi, Clupeam petunt. Eo Carthaginienses cum pari classe confestim occurrunt: navale prælium, quod differri non poterat, committitur, in quo Romani superiores sunt, CIIII. Carthaginiensium naves demergunt, xxx. cum pugnatoribus capiunt. xxxv. millia militum cæsa sunt. Post autem cum Romana classis ad Italiam prædis onusta remearet, deformi naufragio eversa est, nam ex ccc. navibus ccxx. perierunt; LXXX. vix abjectis oneribus liberatæ sunt. consules utrosque pro Coss. de Cossurentibus & Pœnis triumphasse, anno V. C. CCCCXCIX. Triumphi Capitolini testantur, ita ut calamitas ista Coss. quo minus victoriæ honorem meritum adepti sint, impedimento fuisse non videatur. Cossura autem insula in mari Africo sita est.

Africam & Syrtes.] Anno IↃ. Consules, Cn. Servilius Cæpio, C. Sempronius Blæsus CLX. navibus in Africam trajecerunt. universam oram maritimam quæ circa Syrtes est, depopulati sunt; ignari autem locorum in Syr-

rium vada breviaque impulsi, onera abiicere omnia, ut naves sublevarent, coacti; cum retro in Siciliam, atque ex Sicilia in Italiam redirent: coorta tempestate CL. naves onerarias, & prædam amiserunt. Triumphasse tantum Consulem Sempronium Blæsum de Pœnis anno IↃ. testantur Capitolinæ Tabulæ.

Lutatio Catulo consule.] C. Lutatius Consul anno IↃXI. reparata classe, adversus Pœnos ineunte vere missus est, ipsique adiutor datus est. Q. Valerius Falto, quia collegam ipsius A. Costumium Albinum, flaminem Martialem Metellus Pontifex Max. in urbe tenuit, nec passus est ipsum ad bellum proficisci, ne a Sacris recederet. itaque hoc anno primum duo prætores creati sunt; alter urbanus juris dicendi, alter qui rei gerendæ caussa Consuli adesset. C. Lutatius Catulus rebus adversus Pœnos a pluribus ducibus prospere gestis, summam victoriæ sua celeritate imposuit, eo quod postero die, hoc est, VI. Idus Martias, quam hostem vidisset; classem ipsius gravem commeatibus, suo apparatu & instrumento impeditam oppresserit. Carthaginienses ea clade victi fractique, coacti sunt XXIIII. anno, postquam bellum istud primum Punicum cœptum est, pacis conditiones accipere; factique sunt Pœni P. R. vectigales & stipendiarii. Leges autem pacis teste Polybio tales latæ sunt. *Pœni Sicilia & omnibus insulis, quæ inter Italiam & Africam sunt, excedunto. duo millia & ducenta talenta Euboica* (Euboicum talentum, ut nunc pecuniæ ratio est, quadringentorum coronatorum erat) *in annos XX. pendunto, in præsens mille. Captivos Romanos sine pretio reddunto. Vtriusque populi socii apud utrumque populum tuti sunto. Alterius socios neuter in amicitiam recipito, neuter in alieno imperio imperato, neve milites conducito.* Livius libro vigesimoprimo ait Pœnos Sicilia & Sardinia hac in pace cessisse; quod tamen paullo post infirmare videtur, dum scribit Sardiniam inter motum Africæ, (quem mercenarii milites ob stipendia non soluta in Africa moverant) fraude Romanorum, stipendio etiam superimposito interceptam, quod etiam Polybius testatur. idque factum esse observo, anno IↃXVIII, imperatore T. Manlio Torquato consule. Orosius auctoribus Pœnis Sardiniam rebellasse, mox a Romanis subactam, pacemque supplicibus datam refert. Facta itaque prima P. Romani provincia est Sardinia anno IↃXX, Consule M. Pomponio Mathone de Sardis triumphante; nam Sicilia etiamsi hoc tempore a Pop. Romano administrari in formam provinciæ cœperit; tamen illa non est universa redacta in provinciæ formam ante Marcelli victoriam captis Syracusis secundo bello Punico anno IↃXLII, teste Vellejo: sunt etiam Corsi subacti a Pop. Romani imperatore C. Papirio Masone, qui primus in monte Albano, quia a Senatu non impetrasset, triumphavit anno IↃXXII, atque deinceps ab uno prætore utraque provincia & Sardinia & Corsica administrata est; ter autem de Sardis triumphatum esse Capitolini triumphi auctores sunt. Cetera quæ de provinciis istis recensenda erant, & ut iterum armis Romanorum recuperatæ sint post bellum Punicum secundum, suo loco prosequemur.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAP. III.

Ianus clausus moventibus Gallis iterum patefactus est, ut Ligures latrociniis omnia infestantes tandem edomiti sunt.

COMMENTARIVS.

Clausa porta Iani.] Numa Pompilio regnante Ianum Geminum belli pacisque indicem clausum fuisse primum omnes consentiunt; iterumque pace terra marique parta post Punicum bellum primum Q. Atilio Bulbo, & T. Manlio Coss. anno V. C. CCCCXVIII. clausum fuisse testantur Plutarch. in Numa, Livius libro primo, Vellejus, Orosius, & alii. Orosius toto anno clausum fuisse Ianum, D. Augustinus æstatem solum unam, Varro quidem l. 4. de lingua Latina eodem anno & clausum & patefactum fuisse. Ligures longo & difficili bello post centesimum & vicesimumsecundum annum, in provinciæ formam redactos demum esse, ex triumphis Capitolinis colligitur de iis quindecies triumphatum esse, primum autem egisse Conf. Cornelium Lentulum anno IƆXVI. postremum egisse Aemilium Scaurum Consulem anno IƆCXXXVIII. belli caussam Ligustinorum latrocinia excitarunt, quibus Etruriam populi R. provinciam infestabant.

Ligures.] Ligures trans Alpes ad Rhodanum usque, occupasse olim Galliam Narbonensem itidem, ut a Caro, qui Galliæ & Italiæ terminus erat, ad Arnum Italiam constat, quare impedite admodum noster & obscure de bello Ligustino tradidit, dum scribit bellatum cum Liguribus, qui in Italia inter Carum & Macram flumen habitabant, quo loco Ingauni, & Intemelii ab aliis censentur, utpote qui maritima a Nicæa ad vada Sabatia habitarunt. quando paullo post, dum enumerat Ligustinos bello subactos, eos quoque cum istis confundit, qui trans Alpes ultra Carum partim maritima in Gallia Narbonensi habebant, Deceates enim ad Cari ostia, Oxybii istis orientaliores, ad oram Gallici maris habitabant. estque ibidem portus Oxybius a vicina ejusdem nominis gente dictus Straboni libro quarto. Euburiates autem Plinius citra Alpes in Liguria numerat. nam quod Salyes sive Salvios hic etiam aliquot exemplaria recensent, mendum esse credibile est. Salvios enim bello Allobrogico & primos trans Alpes arma Romanorum expertos, & tunc primum in ditionem a C. Sextio Calvino redactos, Florus libro tertio capite secundo; Strabo libro quarto testantur. Epitoma addit, victa Salviorum gente C. Sextium coloniam Aquas Sextias condidisse, triumphasse autem constat de Salviis anno IƆCXXXI.

Fulvius.] Aeque impeditum hoc est de Fulvio atque præcedentia, nec enim satis liquet quisnam Fulviorum, de quo loquitur, fuerit. Varii enim Fulvii cum Liguribus bella gesserunt. Propior est conjectura, (est enim divinandum, quia rerum cum Ligustinis gestarum historia apud nostrum Florum impeditissima est, & ab aliis scriptoribus diversa,) Q. Fulvium

Digitized by Google

Flaccum fuisse, de quo loquitur, qui anno CCCCLXXIV. Consul de Liguribus triumphaverit, etiamsi triumphum magis gratiæ, quam rerum gestarum magnitudini datum fuisse Livius testetur: tamen ipsum per devios saltus, per invios montes, impeditas valles cum exercitu transgressum, acie hostem vicisse, castris exuisse, ex collibus in campestrem agrum deduxisse; præsidiaque montibus imposuisse idem auctor est. Apuanos etiam Ligures, qui ad Macran flumen habitabant, in deditionem acceptos ad septem millia hominum in naves imposita præter oram Etrusci maris Neapolim transmisit, indeque agrum ipsis inter populares in Samnio dedit. Victos etiam fuisse a Fulvio Nobiliore Ligures Alpinos & Celeates in Capitolinis Triumphis exstat. Celeates autem inter Cisalpinos Ligures numerat Plinius.

Baebius.] Cn. & M. Bæbios Tamphilos fratres cum Liguribus rem gessisse in consulatu, quorum iste collegam Corn. Cethegum anno IↃLXXIII. ille anno superiore Aimilium Paullum habuerit, e.. priscorum monumentis colligo; & M. de Liguribus triumphasse. Apuanos autem Ligures Cornelius & M. Bæbius victos, & in deditionem acceptos, e montibus in campestres agros cogunt, traductosque ex Liguria in Samnium, (eo consilio ne latebras & invios saltus ad rebellionem repeterent,) quadraginta millia liberorum capitum cum feminis puerisque publico sumtu, in agrum Tauraninorum, quem de Samnitibus Romani ceperant, collocarunt. vocatique sunt a ducibus, Ligures Bæbiani & Corneliani, qui in hoc Samnitium tractu, a Plinio recensentur. quare de hoc Bæbio loqui Florum verisimile est. Cn. namque Bæbium ad comitia Romam reversum, cum L. Aimilius interea cum Liguribus Ingaunis prospere dimicaverit, testatur Livius; & Aimilium de iisdem triumphasse Capitolinæ tabulæ produnt, anno IↃLXXII.

Posthumius.] Postumium hunc collegam intelligit Calpurnii Pisonis, qui vitricus fuit Fulvio Flacco: quique Pisoni in magistratu mortuo successit, anno IↃLXXIII. etsi tres fuisse Consules. L. A. SP. Postumios qui bellum Ligustinum sortiti fuerint; tamen Livius de isto diserte refert quæ ad Flori relationem conveniunt, cum ita inquit; *Ab A. Postumio Montanorum Ligurum vineæ cæsæ sunt, frumenta desecta; donec cladibus omnibus belli coacti ad deditionem venerunt, armaque tradiderunt.*

ARGVMENTVM CAP. IIII.

Cisalpini Galli sociatis cum Transalpina gente armis bellum populo R. movent, sed postquam prælio altero victi sunt, tertio, M. Claudius Marcellus opima etiam spolia de Virdumaro Gessatarum rege, tertia retulit.

COMMENTARIVS.

Bellum Gallicum.] Cisalpini Galli, Boji & Insubres, cum lege Flaminia

latum

latum esset de agro Piceno & Gallico, unde Senones pulsi erant viritim dividendo, suis etiam rebus ut injuria proximi metuere incipiebant. quare Boii Senonibus vicini, cum Insubribus ineunt societatem; & evocant etiam Gallos eos qui trans Alpes ad Rhodanum accolebant, quos Gessatas a mercede, qua conducti militabant, Polybius vocari; alii, a Gessa telo quo in bello utebantur, dictos esse malunt. Reges eorum Congolitanus & Aneroestus magnis invitati pecuniis cum ingentibus copiis per Alpes in Italiam transeunt, atque cum se Boiis & Insubribus Transalpini conjunxissent, ipsi tunc peditum quinquaginta millia exercitum adducentes in Etruriam irrumpunt, L. Aimilio Papo, C. Atilio Regulo Coss. anno IↃXXVIIII.

Gallis Insubribus.] Insubres Galli ab oriente Cænomanis (qui hoc bello quieverunt) proximi erant, atque inter Ollium & Ticinum flumina, Alpes & Padum habitabant. Coluerunt autem hæc oppida Cremonam, Bergomum, Mediolanum, Ticinum, Acerras, Novariam. Boii ab ortu Senonibus, teste Polybio, ad Rubiconem flumen: ab occasu Liguribus Cispadanis ad Trebiam amnem proximi erant, sed a meridie Apennino, a Septemtrione Pado includebantur.

Æmilius.] Aimilio Papo, & Atilio Regulo Coss. Italiam nuntio Gallici tumultus allato solam, sine externis auxiliis, equitum LXXX. millia, peditum IↃCC millia armasse Plinius auctor est. ad hæc etiam Polybius eundem numerum, sociorum Italicorum exercitu nuncupato, conficit. Aimilius cum parte copiarum Ariminum ad arcendos a transitu Gallos profectos, prætorem ad Fœsulas acie victum, & circumsessum liberat. Gallos inde cum præda in Etruriam abeuntes, a tergo Aimilius, a fronte Atilius ex Sardinia revocatus adorti: ita ad Telamonem, Etruriæ maritimam urbem, pugnarunt, ut Gallorum XL. millia occiderint, X. millia cum Congolitano rege ceperint. Aneroestus semetipsum in fuga interemit; Consul Atilius in prælio occisus est. Aimilius vastato Bojorum agro Romam triumphans rediit, ac Capitolium armis & torquibus Gallorum exornavit. ita fere Polybius. Zonaras addit, θώρακας ipsis, cum risus acerbitate, ut exsuerent in Capitolio Aimilium jussisse. Britomari ducis nomen, cujus hic Florus meminit, apud alios non legi, ut nec sequentis Astrionici.

Flaminius.] C. Flaminius & P. Furius Coss. anno IↃXXX. inauspicato creatos fuisse, ob prodigia, quæ apparuerant, augures consulti renuntiaverant: quare ab exercitu subito litteris a Senatu revocatus Flaminius eas acceptas non prius aperuit, quam collatis signis Barbaros juxta Aduæ fluminis ripam fudisset: in ea pugna octo millia Gallorum cæsa, XVII. millia capta sunt. Vicisse autem Flaminium Gallos maxima Tribunorum militum in acie instruenda prudentia, qua illorum primum impetum, ardoremque fatigaverint, Polybius describit. ægre triumphum impetrasse a Senatu Plutarchus auctor est; quia ex ipsa acie diis atque hominibus eum revocantibus non paruisset. Capitolini triumphi auctores, eum Consulem hoo anno triumphasse VI Idus Martias testantur.

Digitized by Google

Marcellus.] Pacem petebant Insubres fracti fessique frequentissima clade, sed a Coss. M. Claudio Marcello, & Cn. Cornelio Scipione in ipsos anno ıↄxxxı. moventibus, ad arm a inviti compelluntur. Coss. Acerras ipsorum oppidum, Insubres Clastidium Romanorum obsidebant (erat enim Clastidium ad Padum, quantum observavi, modo Ligurum, aliquando Insubrum oppidum) Marcellus eo ad socios obsidione liberandos cum equitatu profectus, cum in Gessatarum obvium exercitum incidisset; cum, rege ipsorum Virdumaro, (cujus spolia Feretrio Iovi voverat) interfecto, fudit, fugavitque. Marcellus deinde Acerras cepit, cum ii, qui Acerris præsidio fuerant, Mediolanum, quod Insubrum caput erat, confugissent. Cn. Cornelius ipsos prælio fudit, & Mediolanum expugnavit. Insubres desperatis jam rebus suis se Romanis dediderunt. M. Claudius Marcellus Consul de Gallis Insubribus & Germanis: (quod in Capitol. Tabulis est, pro iis; quos apud Polybium Gessatas legimus,) triumphavit. isque spolia opima retulit de duce hostium Virdumaro ad Clastidium interfecto, anno ıↄxxxı. Kal. Martiis. quod & Epitoma xx. & Virgilius lib. 6. Aeneid. Frontinus lib. 4. Plutarch. in Marcello testantur. Bellatum itaque cum Insubribus colligitur triennium. Bojorum gentem biennio prius devictam fuisse Q. Fulvio, T. Manlio Coss. anno ıↄxxıx. Polybius auctor est, atque iis Coss. primum exercitus Romanos trans Padum ductos esse Epitoma xx. & Orosius scribunt.

ARGVMENTVM CAP. V.

Illyrii Italicos mercatores prædati sunt: legati, qui res repetitum veniebant, Teutæ reginæ jussu securi percussi sunt. Fulvius Centumalus, eam injuriam armis ulciscitur.

COMMENTARIVS.

Bellum Illyricum.] Nondum deprehendere potui, quos annales secutus fuerit Florus noster, quod Illyricum bellum Gallico Cisalpino posterius faciat, neglecta serie & ordine temporum. cum Illyriis enim bellum initum est anno V. C. ıↄxxııı. Cum namque Phœnicem Epiri emporium Illyrii per vim occupassent, mercatores Italicos commerciorum caussa eo navigantes, etiam Illyrii jam prædationibus adsueti, deprædati sunt; legatosque, qui res repetitum veniebant, injuria affecerunt. dum namque Teuta Illyriorum regina superbe cum legatis ageret, superbiusque alter respondisset, jussu reginæ retractus ex itinere, occisus est. ea de caussa Romani classe comparata ad ulciscendam legati necem Fulvium Centumalum miserunt, qui Corcyram, quam Demetrius ab Illyriis captam regebat, recepit. Inde Apolloniam in potestatem redegit; secuti sunt & Dyrrachini hanc victoriam atque alii etiam populi sese Romanis tradiderunt. Teuta tot adversis fracta pacem a populo R. iis conditionibus impetravit, ut quotannis tributum pen-

deret, ac Illyrio fere omni excederet. neque ei extra Lissum urbem nisi cum duobus inermibus lembis navigare liceret. ita fere Polybius hanc historiam prosequitur: variat ab eo Appianus in Illyrico. sed Zonaras ab utrisque discedit.

Teutana muliere.] Teuta vidua erat Agronis regis Illyriorum, noverca Pineos filii Agronis.

Legatos.] P. Iunium & T. Cornucanios legatos a Teuta interfectos, & ipsis a P. R. statuas esse positas, (quod tribui solebat injuria cæsis) testis est Plinius lib. 34. cap. 6.

Cn. Fulvio Centimalo.] Cn. Fulvio Centumalo, qui prioris anni IↃXXIV. Consul cum Postumio Albino fuerat, imperium adversus Illyrios fuisse prorogatum in hunc annum, & pro Consule de Illyriis triumphasse, ex Eutropio & Orosio, & Triumphorum tabulis manifestum est. Iterum Illyrii cum rebellassent anno V. C. IↃXXXIV. ab Aimilio Paullo, & M. Livio Coss. edomiti sunt. Demetrius enim Pharius Illyriorum rex, oblitus beneficiorum Populi R. Illyrica oppida Romanis subjecta vastabat, & fines fœdere designatos transcendebat: adversus quem Aimilius Consul missus Dimalium urbem præsidio firmatam intra VII. dies expugnat. Demetrium in Pharum, insulæ Phariæ urbem, cum 6000. veteranorum contendentem Aimilius infestus prosequitur, oppidumque capit. Demetrio prius fuga ad Philippum Macedonum regem elapso, Illyrium reliquum occupat Aimilius, Pineoque Teutæ privigno Agronisque filio stipendium ut daret imperavit. ita Polybius, & Iustinus.

ARGVMENTVM CAP. VI.

Annibal XVII. *annis in visceribus Italiæ hæret, Populum R. multis cladibus frangit: ipse Scipionis virtute coactus pro sua patria pugnare, in Africam reversus, magno prælio a Scipione debellatur.*

COMMENTARIVS.

Bellum Punicum secundum.] Annibal Amilcaris filius in odium Romanorum sacramento ex patris auctoritate a nono ætatis suæ anno obstrictus, jam agens XXVI, & ab exercitu suo imperator salutatus, deleta Sagunto fœdera Pœnorum cum Romanis icta violat. ipse superato Pyrenæo per Gallias & Alpes in Italiam degressus, Scipionem Consulem equestri prælio ad Ticinum fluvium superat; quem vulneratum, filius admodum adolescens, (quique postea ab Africa devicta Africani cognomen inveniet) ne in manus hostium veniret, protexit. Iterum calliditate Annibalis ad Trebiam flumen, Ti. Sempronius collega Scipionis, torpentibus præ rigore sub Brumæ tempus Romanis, acie funditur. Tertiam cladem ad Trasimenum, in agro Perusino lacum, Consul Flaminius accepit, cum ab Annibale jam lusco, veluti indagine captus esset, una cum exercitu cæsus est. Quartam

 & ma-

Digitized by Google

& maximam, Varronis Consulis temeritate, Annibalis insidiis & vafricie, ad Cannas pertulit, quæ luctum & ultimum diem Romanis attulisset, si Annibal victoria uti scivisset. Enervatus inde Campanorum mollicie Annibalis exercitus, & Q. Fabii Dictatoris cunctatione fractus, Populo Rom. spatium respirandi & sese colligendi dedit, fatigatus deinceps frequenti impetu Marcelli, supplementis etiam, quæ ab Africa Asdrubale fratre Annibalis, in Italiam mittebantur, a Salinatore & Nerone Coss. una cum Asdrubale ad Senogalliam deletis: Scipio inde in Africam bellum transfert, Asdrubalis & Syphacis castra incendio una nocte delet, cæsa aut flammis consumta sunt quadraginta hostium millia, Syphacem per Massanissam & Lælium capit. inde perculsi Carthaginienses, cogunt per legatos Annibalem mœstum & dolentem ex Italia in Africam exercitum transportare. *Scipio* cum Annibale prælio congressus, cum acie fundit fugatque, & Carthaginiensibus leges pacis imponit.

Vix quadriennii requies.] Recte satis putat quatuor fere annos quievisse Romanum, a tempore scilicet quo Iani porta secundum clausa est, Manlio Torquato, & Atilio Bulbo Coss. anno IↃXVIII. etsi interea cum Sardis & Corsis sit bellatum. alioqui si supputemus a primo usque ad Secundum Punicum bellum, erunt anni intermedii viginti tres.

Minus quidem spatio.] Primum Punicum bellum cepit anno CCCCLXXXIIX. pax Pœnis data est anno IↃXII. sunt itaque anni intermedii XXIV.

Decem & octo annos.] Initum est hoc bellum, P. Cornelio Scipione, Tib. Sempronio Longo Coss. anno IↃXXXV. finitum debellato in Africa Annibale, & pace Carthaginiensibus supplicibus data Cn. Cornelio Lentulo, P. Aelio Pœto Coss. anno IↃLII. sunt itaque anni intermedii in hoc secundo bello Punico, septemdecim, nec amplius.

Vrebat nobilem pop. &c.] Hoc ad leges pacis a Romanis primo bello Punico latæ, referendum est: quas ita fere Polybius refert. *Pœni Sicilia et omnibus insulis, quæ inter Italiam et Africam sunt, excedunto. duo millia et ducenta talenta in annos* XX. *pendunto, in præsens mille, etc.* Livius itidem. Pœni navali ad Aegates clade accepta, Sicilia & Sardinia cessere, & se vectigales ac stipendiarios fieri passi sunt.

Saguntus deleta.] Vltimum cum Asdrubale Amilcaris genero Pœnorumque duce fœdus Romani in Hispania percusserant, ne Pœni armati Iberum Hispaniæ flumen trajicerent, neve Saguntinos Populi R. socios, qui ultra Iberum habitabant, vexarent, teste Polybio, quo fœdere violando Annibal, satis magnam caussam ad lacessendos Romanos sese habiturum opinabatur. Saguntus urbs Hispaniæ Tarraconensis, a Zacynthiis condita, distabat a mari Balearico septem stadiis, ut Polybius & Livius numerant.

Novem mensibus.] Octavo mense quam cœptum oppugnari, captum Saguntum Livius, Poly. τέλος ἐν ὀκτὼ μησὶ κατὰ κράτος εἷλε τὴν πόλιν.

Quodam impetu rapta.] Sagunto capto Annibal Carthaginem novam in hiberna

hiberna concessit, vere adulto a Carthagine profectus, quincto mense in Italiam venit, Alpibus sub Vergiliarum occultationem superatis.

Prætextatus admodum filius.] Prætextatum vocat filium Scipionis, ob ætatem, quia prætextam nondum deposuerat, ut virilem togam sumere posset. erat enim vix XVII. annorum teste Polybio, cum patrem ab hostis impetu protegeret. at prætexta decimo septimo anno exacto coram prætore urbano deponebatur, ut virilem togam ipsis gestare, & in legionibus nomen profiteri per leges liceret.

Aquilæ prodire nolentes.] Aquila exigua quædam est sacelli effigies, teste Dione, in qua est aquila aurea collocata. constituitur autem in omnibus legionibus Romanis, neque prius hibernaculis effertur, quam universus exercitus egrediatur. eam aquilam hastæ impositam unus quidem vir portat, cujus hastæ infima pars præacuta est, ut terræ infigi posset.

Torrente Vergelli.] *In torrente Gello* suspicatur legendum Cuspinianus ex Valerio Max. Cujus de crudelitate verba sunt. *Eorum dux Annibal, cujus majore ex parte virtus sævitia constabat, in flumine Gello corporibus Romanis ponte facto exercitum traduxit, etc.* Cor. etiam Lentulus, apud Appianum Carthaginiensibus, dum pacem supplices petiissent, objicit; quod captivos Romanorum in fossas fluviosque conjecissent, ut usum pontium præberent.

Modii duo annulorum.] Trimodia annulorum Carthaginem ab Annibale esse missa Plinius testatur, atque hinc promiscuum tunc fuisse annulorum usum colligit. alioquin cum annuli distinguerent ordinem Equestrem a plebeio, ingentem oporteret fuisse equitum numerum, si annuli ipsorum digitis detracti tantam mensuram explerent. sed Livius; *Fama*, inquit, *tenuit quæ propior vero est, haud plus fuisse modio.*

Epulari Annibal in Capitolio.] Hoc ita Cato in Originibus refert. *Igitur Dictatorem Carthaginiensium Magister equitum monuit. Mitte mecum Romam equitatum, die quinti in Capitolio tibi cena cocta erit.* eadem fere Aelius apud Gell. Plutarchus Barcam in Fabio vocat; qui hic & apud Livium est Maharbal. sententiam ejus ita Plutarch. ex Livio vertit. σὺ νικᾷν οἶδας, νικῇ δὲ χρῆσθαι οὐκ οἶδας.

Liberata servitia.] In militiæ Romanorum jure observatum est; ne in legione alios quam ingenuos, nec eos XVII. annis minores, vel XLV. majores conscriberent: si quid contra fieret, hoc in dubiis Reip. rebus, ut necessitati imperanti obediretur, accidit. Libertinos, hoc est, eos qui manumissi erant militasse primum bello Samnitico & Etrusco observavimus; sed hoc bello Punico, servitia novo exemplo a dominis suis esse redemta, ut centuriarentur & armarentur, Livium & ceteros auctores habeo.

Egebat ærarium.] Tributum triplex fuisse apud Romanos invenio; Vnum quod in capita collatum fuit, quo onere ex æquali divites & pauperes premebantur, usque ad censum Servii Tullii regis. Alterum inde ex ratione census est collatum, hoc est, pro cujusque facultate & opibus; ita ut ab hac collatione liberarentur, rei familiaris angustia impediti. Tertium fuit

temerarium; cum privatæ opes sine discrimine in publicum ob periculi magnitudinem sponte conferebantur; ut quod hoc tempore Lævino & Marcello Coss. a Senatu inde Equestri & mox plebeio ordine certatim collatum est. quod tamen a scribis in Tabulas Aerarii ideo referebatur, ut locupletato ærario, pecuniæ suæ cuique redderentur: quod post bellum Punicum tribus æquis pensionibus factum est.

Centuriarum sapientia.] Tribus prærogativa, Veturia Iuniorum, Consulem T. Manlium Torquatum anno IↃXLIV. declarabat, qui vitio oculorum sese excusavit, & ut meminisset bellum Punicum in Italia, hostiumque ducem Annibalem esse. Tanti viri auctoritate mota Iuniorum Centuria, petiit Veturiam Seniorum a Consule citari; quos postquam in Ovili, (erat is locus septus in Comitiis, in quem transibant per pontem, qui suffragii sui tabellam in cistas demisissent,) consuluissent: M. Claudium Marcellum, & M. Valerium Lævinum ut bello clarissimos; neque petentes tamen Consules renuntiarunt: auctoritatemque prærogativæ omnes centuriæ secutæ sunt. Antea etiam anno IↃXXXIX. prærogativa Iuniorum Consules rei gerendæ imperitos designaverat, sed revocata Fabii Maximi auctoritate, mutavit sententiam, creavitque Consules M. Marcellum III. Q. Fabium Maximum IIII.

Fabius fuit.] C. Flaminio Consule ad Trasimenum, magna cum Romanorum clade cæso, itidem quattuor milibus equitum, qui a Servilio Consule per C. Centenium proprætorem ad collegam Flaminium missa erat per Annibalem in Vmbria circumventis; in magna urbis consternatione ad Dictatorem dicendum confugiebatur. sed absente Consule Servilio, (erat enim solius Consulis, & in agro Romano, dicere Dictatorem.) nec ad illum propter Italiam armis Punicis undique clausam, erat expeditum vel litteras vel nuntium mittere, nec Dictatorem Populus R. creare posset, quod nunquam ante eum diem factum erat, Prodictatorem Populus R. creavit Q. Fabium Maximum: qui cum Annibale castra conferens, nec congrediens; ejus impetum mora & cunctatione senescentem infregit, quem ceteri hactenus, & deinceps aliquot alii temeritate & audacia sua superiorem fecerant.

Claudio Marcello duce.] Nolam Campaniæ urbem sese plebis proditione, etiamsi a Marcello prætore præsidio teneretur, occupaturum Annibal pertinaciter speraverat; sed re per Senatum Nolanum ad Marcellum delata, spes Annibalis irrita fuit. Annibal enim cum Marcello congressus, victus, & tunc primum a Romanis intra quinquennium semper victor, fugatus est. Cæsa sunt hostium quinque millia, Romanorum quingenti. docuitque hac pugna Marcellus Annibalem vinci posse, quod & Ciceronis Brutus ita testatur. *Post Cannensem illam calamitatem primum Marcelli ad Nolam prælio populus se Romanus erexit, posteaque prosperæ res deinceps multæ secutæ sunt &c.* Marcellus iterum Annibalem spe Nolæ potiundæ venientem post biennium vicit, victoriæque confessionem hosti expressit, dum ille altero die ad prælium

lium provocatus sese in castris continuerit, & Tarentum spe potiundæ urbis per proditionem profectus sit.

Sempronio Graccho duce per Lucaniam sequi.] Cannensi clade fracti Romani vetera hostium spolia templis detrahunt, porticibusque; octo millia servitiorum validiorumque juvenum publice emta armant: sciscitantes prius vellentne militare? illi velle se dixerunt, inde Volones deinceps vocati sunt. ipsi duce Ti. Graccho proconsule ad Beneventum contra Annonem Pœnorum ducem bene pugnaverunt: quorum egregiam operam ut remuneraret, publicam fidem quam ante prælium, si strenue se gererent, stipulatus erat, liberavit; & Volones liberos esse jussit.

Sicilia mandata Marcello.] Sicilia Hieronymi regis, (qui Hieroni successor erat) cæde turbata, ad Pœnos inclinabat: quare Marcellus Consul III, Syracusas jam a Populo R. abalienatas, missus oppugnavit, ejusque omnem impetum Archimedis Mathematici industria, triennio fere toto remorata est. expugnatæ enim sunt Syracusæ anno V. C. IↃXLI, oppugnari cœptæ IↃXXXIX.

Sardiniam Gracchus arripuit.] Tib. Sempronio Graccho quidquam hoc Punico bello in Sardinia Imperii fuisse, haud facile invenias, cum neque prætura functus sit, & prætores hoc fere tempore solum in eam provinciam (erat enim in provinciæ formam ante hoc bellum annis quatuordecim redacta, per M'. Mathonem Consulem) mittebantur. nam hunc Gracchum in Aedilitate Magistrum equitum a M. Iunio Pera Dictatore dictum fuisse Livius testatur; inde mox Consulem designatum anno IↃXXXVIII. iterumque post biennium cum Q. Fabio Maximo consulatum cepisse, & semper illi bellum cum Annibale in Italia, idque in Lucania, mandatum fuisse, quousque proconsul ipse anno IↃXLI. hospitis Lucani sui fraude, insidiis circumventus, a Magone Pœno interfectus est. Sed Consularis facta est, propter belli magnitudinem, Sardinia anno IↃLXXVI, hoc est annis XLI. post hujus belli initium. eamque tunc sortitus est Sempronius Gracchus Consul, hujus, de quo diximus, nepos; deque iis proconsulem Gracchum triumphasse testantur Triumphi Capitolini. tantumque captivorum Romam deportasse, ut in proverbium abierit, Sardi venales. Quod si rem tanto intervallo gestam cum hoc Punico bello confundit, intolerabilis est ἀνιστορησία. Verum isto, quo cum Annibale bellatum est tempore, rem bene gestam adversus Pœnos & Sardos in Sardinia a T. Manlio prætore, qui Q. Mucio Scævulæ valetudinario successor datus est, Livius testatur. ut qui captos a Manlio Asdrubalem, Magonem, Annonem Pœnorum: Harsicoram & Hiostum Sardorum duces cæsos esse scripserit. Insanorum etiam montium Livius meminit; quæ Ptolemæus μαινόμενα ὄρη libro secundo Geograph. vocat.

In Hispaniam missi Cnæus & Publius Scipiones.] Cn. Scipio sub primum Annibalis ab Alpibus descensum, pro Consule in Hispaniam missus, Annonem egregie vicit; militumque, qui cum Annibale in Italiam profecti erant, impedimenta carissima a Romanis diripiebantur. Inde Asdrubalem toto cis

Iberum agro cedere cogit, Punicam classem ad ostia Iberi fluminis stantem capit, & toto ejus oræ mari potitur. Dehinc P. Scipio frater ejus post consulatum prorogato imperio in Hispaniam mittitur; conjunctis itaque viribus in hostem movent: Aceducis artificio obsides Hispanorum, qui Sagunti custodiebantur, Romanis traditi sunt, & domum ad devinciendos hoc beneficio Hispanorum animos benigne ab ipsis remissi. Altero anno Scipiones cum Asdrubale, (qui ut in Italiam descenderet, ac se cum fratre Annibale conjungeret, ad Iberum copias traduxit) collatis signis bene pugnaverunt, castra hostium diripiunt, reliquæ Hispaniæ civitates Romanis hoc tam felici prælio adjunctæ sunt, ita ut Asdrubali vix tuto manendi in Hispania spes relicta fuerit. Castulonem inde recipiunt; ad Mundam, etiamsi Cn. Scipio tragula in femore vulneratus victoriam impediret, egregie pugnant. Saguntum etiam Punico præsidio inde pulso a Romanis recipitur ac restituitur. inde versæ tam lætæ res in luctum. Scipiones a Celtiberis mercenariis deserti prope cum totis exercitibus cæsi sunt. Cn. Scipio undevicesimo die quam frater Scipio cæsus esset, in turri, quam hostes igne circumdederant, crematus est; sexto quam in Hispaniam venerant anno, amissaque Hispaniæ possessio foret, nisi L. Marcii equitis Rom. virtute, & fortitudine contractis exercituum reliquiis, ejusdem hortatu bina castra hostium expugnata, & ad triginta millia hostium cæsa essent anno V. C. IↃXLI. Cum vero reliqui omnes, post tantas clades acceptas, post duos Scipiones interfectos Hispaniæ imperium oblatum recusarent: P. Scipio, P. Scipionis, qui interierat, filius, quique tunc annum XXIIII. natus esset, professus est se petere. Centuriæ omnes P. Scipioni imperium in Hispania proconsulare esse jusserunt, quo profectus est anno IↃXLII. Reversus est Romam exactis ab Hispania Pœnis, anno IↃXLVII. neque victor triumphavit, quia ad eum diem nemini triumphus datus erat, qui sine magistratu rem gessisset. quibus enim extraordinarium imperium, quale hoc fuit, Curiatis comitiis mandabatur, sine magistratu erant, qua de caussa etiam M. Marcello de Syracusis a Senatu negatus est triumphus.

A Pyrenæis montibus &c.] Pyrenæi montes Hispania a Gallia ab ortu disterminant, Oceano Cantabrico & Aquitanico a Septemtrione; ab occasu alluitur occidentali Oceano & Freto Herculeo; ab Africa hinc Calpe, isthinc Abyla promontoriis, quæ columnæ Herculis vocantur, disjungitur: cetera littora Mediterraneo mari, partim Iberico, partim Balearico abluuntur.

Iam & Capua &c. tenebatur.] Campani parum memores societatis & beneficii Popul. R. quo armis ab Samnitium injuria ante CXXVI. annos vindicati erant, Virio auctore legatis ad Annibalem missis fœdus cum eodem percutiunt, & Capuæ ipsum recipiunt. idque eodem anno, quo Cannensi clade Romani premebantur. eam usque adeo insignem injuriam & perfidiam Populus. R. tanta pertinacia, ut ulcisceretur, exarsit: ut Annibalem spe avertendæ per metum aut necessitatem, quod per vim non poterat, a Capua obsidionis, Romam properantem; & ad tertium lapidem supra Anienem

Digitized by Google

nem castra metantem, alter Proconsul Q. Fulvius Flaccus ad prohibendam obsidione patriam xv. M. peditibus; M. equitibus secutus sit; alter Appius a Capua cum exercitu non discesserit. Annibal etiamsi cum II M. equitum, ut urbis situm exploraret, obequitasset, & per triduum utrimque acies in procinctu starent; imbribus & cælesti ira a prælio diremtæ; ipse Annibal ab urbe repulsus, Capua deserta in Lucanos & Bruttios contendit. Campani jam desperationi imminentes sese dediderunt, posteaquam ipsorum principes veneno se necassent. Cum Senatus Campanorum ad palum ligatus securi percutiendus esset, litterasque a Senatu Romano missas (quibus jubebatur ut parceretur Senatui Campano,) Q. Fulvius recepisset, etsi de clementia Senatus conscius esset, tamen eas in sinu posuit, & lege agi jussit, hoc est, in eos animadverti, antequam legeret. Capua ob perfidiæ & defectionis culpam, in Præfecturæ formam redacta est, hoc est, ut jus & magistratum quotannis a Præfecto, qui cum legibus a Prætore Romano præscriptis mittebatur, acciperet: itidem ut vectigalis & stipendiaria esset.

Claudius Nero cum Livio Salinatore debellat.] C. Claudius Nero, Annibalem tumultuariis aliquot præliis in Lucania a Grumento profligatum, Canusium in Apuliam nunquam ejus vestigiis absistens prosequebatur; atque ibidem ex interceptis quæ ad Annibalem a fratre suo Asdrubale mittebantur litteris, quibus se in Vmbriam occursurum fratri suo Annibali esse significabat: metuens Nero, ne Livius collega ejus solus par esse possit Asdrubali venienti, vi. M. peditum, M. equitum robustissimorum de toto exercitu legit, cum quibus totam ab Aufido flumine usque ad Metaurum Vmbriæ longitudinem Italiæ sexto die emensus, auxilio Salinatori Livio accurrit. nihil quieti datum. altero enim die Asdrubalis copias ipsumque ducem ad Senam maritimam Vmbræ concidunt. Cæsa hostium quinquaginta sex millia, capta quinque millia, redditaque Annibali clades Cannensi æqualis, & ducis & exercitus interitu. Metaurus cruentus Punico cruore, ut Aufidus Romano. Sena Vmbrorum, nobilitata clade Pœnorum, non aliter quam Apulorum Cannæ erant calamitate Romana. Nero eadem nocte, eademque celeritate ad Annibalem, ejusdem errore hactenus feliciter usus, dum ipsum a castris hactenus, quæ suis adversa erant, non senserat abfuisse, properat, & sexto die revertitur.

Cum Livio Salinatore.] M. Livius Drusus anno, antequam in Italiam Annibal descenderet, consul cum Aimilio Paullo de Illyriis triumphaverat, populique judicio ob Illyricam prædam inique divisam condemnatus, in exsilium abiit, ignominiæ contumelia squaloreque efferatus. sed octavo fere anno post damnationem reductus est in Vrbem a M. Marcello, & M. Lævino coss. Ipse iterum consul omnium suffragio cum Nerone creatus est, & Asdrubalem Neronis auxilio debellavit. Censor quoque post biennium cum eodem Nerone quattuor & triginta tribus, hoc est, præter Metiam omnes ærarias reliquit. Censoria nota erat, qua ipsas levitatis & inconstantiæ notabat, quod innocentem ipsum condemnassent, condemnatum, con-

sulem

fulem & censorem creassent: neque infitiari possent, aut judicio semel, aut comitiis bis ab se peccatum esse. & ut se de plebe ulcisceretur, ex Salaria annona vectigal constituit; unde Salinatori nomen factum est. Inter Livium & Neronem ejus collegam cum odia privata essent, ea deprecantibus Senatoribus Reipublicæ condonarunt, & in gratiam redierunt.

Quos Syphacis exercitus fudit.] Syphax rex Mæsæsylorum, quæ gens est Mauris vicina, opulentissimus erat: cum Scipionem, qui ab Hispania in Africam navigarat, sua in Regia hospitaliter & benigne excepisset, amicitiæ fœdera & contra Pœnos consilia cum Scipione iniverat. Eam societatem, & tantam virium accessionem ut a Romanis divelleret Asdrubal, Syphacis animum, Sophonisba filia in matrimonium ei data, amore scilicet & complexu adolescentulæ, occupat: ita ut ille hoc libidinis ardore, & *Asdrubalis* instigatione dementatus, amicitiæ Scipionis, antequam in Africam appelleret, per legatos renuntiaret. Cujus perfidiæ magnas mox pœnas dedit. castris enim & exercitu una nocte incendio deletis, bis acie fusus, ipse captus, & Sophonisba adamata orbatus, Romam, inde Albam in exsilium relegatus, & a Scipione in triumpho ductus est, teste Polybio, quem alii tamen morte ante triumphum Tibure esse præoccupatum auctores sunt. Contra Massanissa Massyliorum rex a Syphace regno exturbatus erat. exsul itaque & profugus, semel a Scipione receptus, fidem egregie coluit: quare a Romanis rex salutatus, & amplissimo Syphacis regno donatus est. Regum totius Africæ maximus & potentissimus, vixit ad nonagesimum ætatis annum, florens opibus, gloria & dignitate. tanti est servasse fidem, aut ad felicem inclinasse parietem.

De legibus pacis.] Pœnis devictis a Scipione, cui lege Curiata pacis conditiones & ex x. legatorum sententia paciscendæ cum Pœnis permissæ erant, pacem illis legibus fecerunt: ut Pœni liberi viverent suis legibus; quas urbes, quosque agros, quibusve finibus ante hoc bellum tenuissent, tenerent: perfugas, fugitivos, captivos omnes, & rostratas naves præter x. triremes traderent, elephantosque quos haberent domitos, neque domarent alios: bellum neque in Africa, neque extra Africam injussu populi Romani gererent: Massanissæ res redderent, fœdusque cum eo ferirent: decem millia talentum argenti descripta pensionibus æquis in annos 50. solverent: obsides centum arbitratu Scipionis darent. Livius, Appianus, &c.

ARGVMENTVM CAP. VII.

Bellum Macedonicum.

Philippus Macedoniæ rex cum Annibale in Italia magnis populi R. cladibus grassante, fœdera sociaverat: & hinc belli caussa, quam etiam Atheniensium preces augent. Lævinus prætor, Attalus rex, & Rhodii socii Græciam occupant, regemque profligant. Flaminius consul summam bello imponit, victumque regem ad

ad pacis leges compellit, Nabin Spartanorum tyrannum impotentius sese efferentem compescit. Graciam libertate donat.

COMMENTARIVS.

Bellum Macedonicum primum.] Philippus Demetrii filius Macedoniæ rex (qui huic bello nomen fecit Philippicum & Macedonicum) cum Annibale post Cannensem calamitatem animo ad Pœnos inclinato, fœdus & societatem belli per legatos contra P. R. sanxerat. Romani, interceptis legatis & litteris de hoc fœdere edocti, ut Philippum ab Italia arcerent, in Macedoniam Valer. Lævino prætori imperium mandant: is Apolloniam & Oricum a Macedonibus obsessas liberat, Philippumque regem in regnum suum retro abire coegit, anno IↃXXXIX. Lævinus deinde cum Aetolis, cum Attalo Pergameno, Pleurato & Scerdilaido Illyriorum regibus societatem adversus Philippum confirmat. Consul declaratus, in Vrbem revocatur anno IↃXLI. huic successor mittitur Sulpicius Galba proconsul, qui adversus Philippum & Achæos rem bene gerit; quousque & hujus successor, P. Sempronius proconsul inter Aetolos eorumque socios, & Philippum pacem fecit anno IↃXLIX. Romani autem Africo bello levati, infensique iterum Philippo ob infidam cum Aetolis, ceterisque Græciæ sociis pacem, tum quia nuper auxilia in Africam Annibali Pœnisque submiserat, & Athenienses de ejusdem injuriis conquesti, calamitate sua commiserationem commoverant, bellum cum Philippo omnes centuriæ jusserunt, Sulpicio Galba, & Aurelio Cotta coss. anno IↃLIII.

A fœdere Philippi.] Fœderis & societatis istius leges ita Livius lib. 43. recitat. *Philippus ducentarum navium classe in Italiam trajiceret, vastaret oram maritimam, bellum pro parte sua terra marique gereret: ubi debellatum esset, Italia omnis cum ipsa urbe Roma Carthaginiensium atque Annibalis esset, prædaque omnis Annibali cederet: perdomita Italia navigarent in Græciam, bellumque cum quibus regibus placeret, gererent: quæ civitates continentis, quæ insulæ ad Macedoniam vergunt, eæ Philippi regnique ejus essent.*

Lævino consule.] Valerio Lævino prætori contra Philippum in Græciam imperium mandatum esse, consuli nunquam, ex Livio & ceteris constat, nisi pro *Lævino*, *Sulpicio consule* scribas, ἀνιστορησία erit. ille enim cum Philippo bis sed tumultuariis pugnis congressus est, ceteraque, quæ hic referuntur, gessit & in ejusdem prætoriæ navis puppe lauream natam scribit Livius lib. 42.

Ingentibus pilis.] Pilum, telum missile est, quod longitudine trium pedum crassitudine digitali lignum habebat, ferro armatum dodrantali, eousque sensim attenuato, & acuminato, ut prima statim offensione necessario flecteretur: alioqui emissum semel ab hostibus remitti posset, anceps utrisque telum futurum. γαῖσοι autem sive pilum armatum fuisse ferro dodrantali quadrisulco, & a medio in cuspidem desinente, Polybius lib. 6. testatur, & veteres picturæ, itidem Livius lib. 31. in descriptione Falaricæ. Fuitque

 hoc

Digitized by Google

hoc telum χειροφομάχου, sive, ut Livius vertit, velitibus proprium. Erat & aliud pili genus, quod quidam Verutum vocant, cujus hastile longum pedes fere quattuor semis, ejusdem longitudinis spiculum ex ferro erat utrimque hamatum, estque hastile illius vel teres, vel quadrilaterum, istud, latus unum palmi latitudine, illud teres diametrum palmi crassitudine habebat. hoc telum hastatis & Principibus asscribit Polyb. ut hastam triariis.

Chaonum montes.] Chaonia Epiri regio est, quae a meridie Cerauniis montibus clauditur, cujus populi postea Molo[?] dicti sunt. ab occasu Ionio mari, ab ortu Pindo monte, amne & urbe clauditur, a septemtrione Macedonia, a meridie Ceraunis montibus, & Thesprotiis populis.

Quos Cynoscephalas vocant.] Cynoscephalae, quae nomen hoc a situ & figura canini capitis invenerunt, impedita sunt multorum tumulorum juga aequali spatio distantia, teste Plutarc. in Flaminio, juxta Scotussam Pelasgiae regionis in Thessalia urbem. Polybius lib. 17. & Livius 43.

Eubœam.] Eubœa est maris Aegaei insula, quae Euripo, mari irrequieto aestuosoque a Bœotia dirimitur.

Sub Nabide suo Lacedamona cumpescuit.] Nabis tyrannus Spartanorum societate Philippi regis adiutus, Argos occupaverat, praesidioque tenebat: hoc, ut Quinctius Flamininus inde detraheret, Argosque liberaret, in Laconiam movit. itaque tyrannum ab alenis tutandis, dum domi periclitaretur, avertit. Gythaeo enim deditione capto, coegit Nabim ad leges pacis, & Argis cedere, & Lacedaemona ipsi relicta contentum esse.

Nemea in Theatro ----- caneretur.] Nemea urbs est & silva Argiae in Peloponeso, in qua tertio quoque anno Nemeaea ludos Graeci, ob leonem in ea silva ab Hercule occisum, Iovi celebrare solebant. hoc in solenni totius Graeciae conventu Quinctius Flamininus; postquam Nabidem ad pacis leges coegerat, Argosque liberaverat, a Demetriade Chalcide & Acrocorintho praesidiis Romanorum deductis, eas quoque per praeconem pronuntiare jussit esse liberas. uti antea Isthmiorum ludorum frequentia, qui Isthmo Neptuni gratia celebrabantur quinto quoque anno, Graeciae libertatem dederat. ibi audita voce praeconis de libertate Graeciae ex Senatus auctoritate pronuntiantis tantum cum clamore plausum fuisse exortum, testatur in Flaminino Plutarchus, ut corvi fortuito supervolantes in stadium deciderent; idque vel tanta vocum collisione aërem quo se suspendunt alites dissipante, vel contorquente velut attonitos & vertiginosos corruisse.

Libertas Achaja.] Populus Romanus ut cum Annibale pro Saguntinis, ita cum Philippo pro Atheniensibus bellum gessit. Philippo devicto libertas Graeciae nec opinanti data est. Pacis Philippo datae leges fuerunt: ut Macedoniae regno contentus Graecia tota cederet: talenta mille penderet. naves nisi x. haberet, Demetrium filium obsidem daret, ut Nabis Armenem, cujus victoriae caussa T. Quinctius Flamininus procons. per triduum triumphavit anno ƆƆLIX. obsidesque duxit ante currum duos alterum regis, alterum tyranni.

A R-

ARGVMENTVM CAP. VIII.

Syriacum five Antiochenum bellum.

Antiochus Aetolorum adulatione & Annibalis societate inflatus, bellum movet populo R. sed rex ignavia atque voluptatibus diffluens, & uno atque altero prælio fractus, ferocem ponit animum, & pacis leges accipit.

COMMENTARIVS.

Philippum Antiochus excepit.] Antiochus Syriæ rex Seleuci Callicini filius, ob devictas aliquot Syriæ gentes, cognomento Magnus; Thoantis Aetolorum legati adulatione & promissorum vanorum elatione, Nabidis Lacedæmoniorum tyranni societate, Annibalis terrore Romanos debellaturus, in Europam bellum movebat. Chalcidem Eubœæ profectus, & ibidem amore virginis, hospitis sui filiæ captus, nuptias celebrat, se suosque lascivia eademque luxuria enervat: oblitus quantas simul duas res suscepisset, bellum scilicet cum Romanis, & Græciam liberandam. e Thermopylis, quas insederat, non solum natura loci tutis, sed & præsidio & muro obseptis; Acilii Glabrionis cos. virtute deturbatur, profligatur, Ephesumque in Asiam ab Europa expellitur. L. Cor. Scipio cos. cui legatus ibat frater Africanus, in Asiam profectus, Antiochum fratre absente, qui Eleæ ægrotabat, Eumene Pergami rege adjuvante, cum arcus hostium amentaque pluvia essent laxata, apud Sipylum montem ad Magnesiam acie vicit, ac bellum conficit, & ipse ab Asia devicta Asiaticus in triumpho dictus est.

Xerxem atque Darium cogitarent.] Xerxes Darii Hystaspis filius, patre in apparatu belli moriente, intra quadriennium conscribit, ut in Græciam moveret, exercitum numero & fide majorem: quinquagies enim & bis centena octoginta tria millia militum censa fuisse Herodotus lib. 7. testatur: auget relationem, quod flumina ipsis prandentibus epota, quod mare sex millium omnis generis navium classe quasi constratum, & a superbo rege tanquam a Neptuno suo flagris, quia tumultuosius turbaretur, cæsum, Asiam Europæ ponte ad Hellespontum fuisse conjunctam, Athon montem perfossum, ut compendiosius per ipsum navigaretur, Græci scriptores in sua scripta retulerint. tantas copias remorata est exigua Spartanorum manus ad Thermopylas duce Leonida, classis ad Salaminem insulam devicta & depressa consilio & prudentia Themistoclis, ita ut rex tam elati animi, mox ut perditis rebus una scapha trepide per Hellespontum elapsus in Asiam fugerit. Mardonius Xerxis Imperator ad edomandam & male multandam Græciam cum exercitu relictus, juxta Platæas Bœotiæ a Pausania & Aristide acie fusus est, & terror ille Persarum e Græcia propulsus. Xerxes ob adversum prælium & totidem clades contemtior, domi ab Artabano avunculo occiditur. Diodor. l. xi. numerum militum modestius ad decies

centena millia contrahit. itidem in Panathen. Isocr. ad septies centena millia. Movisse in Græciam Xerxem, Sp. Cassio III. & Proclo Virginio coss. Diodor. lib. XI. scribit; fuit is annus V. C. CCLXVII. sed Dionys. lib. 9. Kæs. Fabio, & Sp. Furio coss. anno CCLXXII.

Darius Hystaspis filius, qui hinnitus equini prærogativa rex Persarum designatus & inauguratus erat, (quem temporis & rerum gestarum comparationem secuti, Assuerum, cui Esther, ut in Bibliis est, nubit, multi opinantur) expeditionem DC. millium in Græcos misit, Sardeis incendio ab ipsis devastatas ulturus, Date & Atapherne ducibus, qui collatis cum Miltiade & X. millibus Atheniensium & mille Platæensium signis, ab iisdem in campis Marathoniis nobili ad omnem posteritatem victoria victi sunt, 63000. Persarum cæsa, reliqui fugati. Atheniensibus parvo impendio ingens victoria parta est, 192. tantum in acie desiderati sunt.

Hinc Annibal ---- hostem populo Rom. toto orbe quærebat.] Annibal cum a populo Carthaginiensi consul sive Sufes, (ita enim illi summum magistratum vocant) creatus esset, multosque judices peculatus argueret, ut qui vectigalia civium oneribus levandis imperata, in suos usus converterent, ab optimatum factione, ut se ulciscerentur, Annibali Romæ suspicio creatur. ut qui in pace res novas, & cum Antiocho secreta belli consilia contra Romanos moliretur. Odiis itaque Romanorum, civiumque suorum factionibus & accusationibus tempestive cedendum esse sentiens Annibal, in Asiam ad Antiochum, qui Ephesi erat, navigat. a quo benigne exceptus & in honore habitus est, quousque iterum magna Annibalis cum populi R. legatis familiaritas, qui id studio agebant, novam de se male suspicandi Antiocho ejusque purpuratis occasionem præberet. sed eam regis a se alienationem purgatione libera amovit, dum sibi cum Romanis odium ut esset perpetuum ab anno ætatis nono fuisse jurejurando a patre adactum asseverat. Annibalis autem de hoc bello consilium, cum hoc quoque criminationibus purpuratorum corrumpitur: quod Antiocho si in Italiam movisset, ubi fragiles erant Romani, forsan gloriosum fuisset; versum est ob regis mollitiem & ducum suorum imperitiam in clades & calamitates. Antiochus bello fractus pacem petit. quare Annibal dum se a Romanis posci intelligit, ad Prusiam Bithyniæ regem fuga elabitur, a quo ipse poscentibus Romanis T. Flaminino proditus, venenum hausit, ut liberaret diuturna cura populum Romanum, cui grave erat exspectare mortem senis. mortuus est Libysse in Bithynia anno ætatis suæ quinquagesimo nono, anno V. C. IↃLXVI. quo anno & Scipio Africanus Literni quoque in exsilio obiisse putatur.

Lysimachiam urbem.] Lysimachia a Lysimacho Macedoniæ rege condita est in Isthmo Chersonesi Thracicæ XXX. fere annis ante adventum Pyrrhi in Italiam. eam cum post Lysimachi mortem Thraces delevissent, Antiochus iterum instaurat; colonisque donat, oportuna & maritima urbe usurus ceu horreo in belli quod cum Romanis destinabat, apparatibus.

Polyxenidas exsul Rhodius erat, classis Regiæ præfectus, a qui ab Aimilio Regillo

Regillo prætore ad Myonesum Ioniæ promontorium navali prælio victus est, tredecim navibus captis, XXVIII. aut incensis aut depressis. Regillus post navalem victoriam Ephesum quo se Regia classis subduxerat, profectus, directis ante portum navibus, confessionem concessi maris ultimam hosti expressit. Sunt qui Annibalem quoque ei prælio interfuisse referant, ab iis Appianus in Syriacis dissentit.

Mæandrum ad amnem montemque Sipylum.] Mæander Cariæ fluvius, multis adeo flexibus sinuosus, ut tortuosa & involuta Mæandros a similitudine vocemus. Hic campis per quos labitur, Mæandri nomen fecit: in iis est mons Sipylus, qui a meridie Magnesiam habet distantem ab Epheso in ortum XVI. M. passuum, teste Plinio.

Pacem ---- dari placuit.] Pacis leges Antiocho ita datæ fuerunt, ut Europa abstineret, Asiaque omni quæ cis Taurum montem est, decederet. pro impensis in bellum factis XV. M. talentorum Euboicorum daret, mille talentum per XII. annos penderet.

ARGVMENTVM CAP. IX.

Aetoli gens inquieta & arrogans, deditione a Fulvio consule capta Ambracia, ad pacis leges coacta est.

COMMENTARIVS.

Aetolicum.] Aetoli cum populo Romano arma sociaverant bello Philippico, atque cum ibi parum honoratam militiam suam fuisse accusarent, ad Antiochum deficiunt, quem misso Thoante multis promissis fœdereque percusso ad bellum sollicitaverunt: sed Antiocho victo & ipsi a Romanis perdomiti, coacti sunt imperata facere, M. Fulvio Nobiliore consule. Aetolia Græciæ pars, a septemtrione Corace monte, a meridie Ionio sinu, ab ortu Locris Ozolis, ab occasu Acheloo fluvio distinguitur.

Cephalenia, Zacynthos.] Cephallenia insula est maris Ionii, Epiro & Acarnaniæ opposita. ab ea Zacynthos in meridiem distat LX. stadiis. De Aetolis & Cephallenia Fulvium triumphasse triumphi Capitolini testantur, anno IↃLXVI. Inter Ceraunios Epiri montes, & Malæum jugum Laconiæ promontorium multæ passim jacent insulæ, quas hoc bello etiam populo Rom. accessisse testatur.

ARGVMENTVM CAP. X.

Istri castra Manlii consulis diripiunt: comessabundi vero iterum a Romanis exturbantur, & ab Appio Pulchro debellantur.

COMMENTARIVS.

Bellum Histricum.] Istris quia maritimos populi Romani agros latrociniis

infestassent, bellum indictum est anno IↃLXXV. quo A. Manlius Vulso sine Senatus consulto profectus, ad lacum Timavi fontis castris incursu Istrorum magna cum militum trepidatione exsutus est. Istri cum in Quaestorio omnium rerum apparatum viderent expositum, sese magna securitate ad epulandum convertunt. interim Romanus miles ex fuga collectus vino epulisque sopitos invadit, ad VIII. M. Istorum in castris sunt caesa: Aepulo rex raptim a suis in equum impositus, Nesactium fuga elapsus est, quem insecuti Manlius & Iunius coss. oppidum vi capiunt: Rex ne vinus in hostium potestatem veniret, sese gladio trajecit. Istria inde duorum adhuc oppidorum excidio pacata est. ita fere Livius lib. 51. ita ut antequam C. Claudius Pulcher consul in provinciam cum imperio legitimo venisset, bellum ab istis coss. confectum fuerit. Capitolini tamen triumphi cum Floro consentiunt, ut pote qui C. Claudium Pulchrum de Istris triumphasse testentur anno IↃLXXVI. Istria a Carnis sive occidente, oppido Tergeste; ab ortu Arsia amne; a Septemtrione Alpibus & Iapudibus populis; meridiem claudit Adriaticus sinus. Istam provinciam fuisse factam anno IↃCXIV. C. Sempronio Tuditano consule, & cum Illyrico conjunctam, quousque Augustus illam in decima regione relatam, Italiae cum Carnis & Venetis, testibus Strabone & Plinio, conjunxerit, observo.

ARGVMENTVM CAP. XI.

Cn. Manlius Vulso in Gallos Asiaticos ob societatem quam cum Antiocho junxerant, movit, & ipsos debellavit. Reguli Orgiagontis uxor a Centurione stuprum passa est, quod ejusdem nece ulciscitur.

COMMENTARIVS.

Bellum Gallograecum.] Cn. Manlius Vulso ad ordinandam Asiam eis Taurum missus, in Gallos Asiaticos movit sine S. C. aut populi jussu Tolistobogii Galli in Olympum montem sese, & sua subduxerunt, tamquam ejus praerupta altitudine, aut aditus difficultate sese contra Romanos defensuri: sed Manlius cum copiis in illos irrupit, eosque partim in praecipitia egit, partim occidit, & XL. M. cepit. Tectosagae & Trocmi Magna montem petierunt: ipse Manlius ut cum Regulis eorum pacisceretur veniens, ex insidiis nisi a suis protectus fuisset, opprimebatur, quare magna vi Gallos adortus, VIII. M. ipsorum occidit, ceterosque ultra Halym fluvium fugavit, Gallosque Asiaticos in suam potestatem redegit: ipsum triumphasse Capitolini triumphi testantur, & Livius.

A centurione stuprum passa.] Centurio qui custodiae captivorum praeerat, prava libidine exarsit in Chiomaram Ortiagontis Reguli captivam uxorem, a quo stuprum passa, dum aurum quod sui redemtione afferebatur, centurio appenderet, a suis necessariis (quibus hoc Chiomara Gallica lingua imperaverat) jugulatur; cadaveri caput praecisum marito in ultionem violatae pudicitiae

pudicitiæ attulit. Centurio hic proprium nomen non est, sed ordinis ductorem qui centum peditibus præerat, significat, quibus fere captivorum turba mandabatur custodienda.

ARGVMENTVM CAP. XII.

Perses Macedoniæ rex Thracia sibi sociata contra Romanos movet: victus a Paullo Aemilio, captusque in triumpho ductus est.

COMMENTARIVS.

Successerat Philippo filius Perses.] Perses Philippi ex pellice Gnahænia filius, Demetrium fratrem justa matrefamilias ortum, regnique successorem, invidia, calumniis, & confictis criminationibus apud patrem perniciose degravatum, ex insidiis & patris mandato, ut per Didam Pæoniæ prætorem veneno interficeretur, effecit. Philippus mœrore ob innoxii filii mortem senioque consumtus, in apparatu belli contra Romanos moritur. Perses regnum quod paricidio sceleréque occupaverat, accipit, & quasi hereditarium sibi cum P. R. a patre bellum relictum esset, ita omnia consilia ad ejus apparatum & caussas convertit, regesque P. R. socios invadit, Abrupolin Sapæorum regulum regno expellit. Aretarum Illyriorum interfecit. Eumenem Pergamenorum regem Delphis gravissime per submissos percussores affligit, Græciam contra Romanos ad arma sollicitat. Legatos P. R. ad res repetendas missos, superbe & contemtim exceptos, regni finibus intra triduum exire compellit. atque iis de caussis ipsi bellum indictum est, quod a Perse Persicum, & Macedonicum secundum dictum est. P. Licinius Crassus cos. contra regem profectus tertio & vicesimo anno, ex quo petenti Philippo pax data erat, equestri prælio ad Sycurium Thessaliæ juxta Ossam oppidum a Perse victus est: pacem tamen petenti regi, nisi Senatus arbitrio sese permitteret, negavit, iterumque cum rege in Phalannæo agro congressus meliore successu pugnavit. Licinio Hostilius cos. successit, sub quo soluta est per licentiam militaris disciplina; socios tamen cum fide coluit, & a Regis injuria egregie defendit. Q. Marcius Philippus cos. Macedoniam per invios saltus ingressus, regem nec opinantem adventu suo ita perterrefecit, ut præcipiti fuga omnes aditus reliquos, quos præsidio sepserat, nudaverit, aurique magnam vim Pellæ demergi jusserit, & classem Thessalonicæ incendi. Quartus in Macedoniam cos. L. Paullus Aimilius venit, & ad Pidnam Pieriæ urbem collatis signis III. Nonas Septemb. Perseum, XX M. peditum cæsis, equitatu cum rege fugiente, vicit, castris exuit, atque Macedonum urbes per deditionem accepit. Rex ab amicis desertus in Samothraciam templi religione sese defensurus fugit, sed a Cn. Octavio classis præfecto cum tribus filiis Philippo, Alexandro, (tertii nomen nusquam comperi) captus, & in triumphum ductus est. Hunc regem avaritia sua sociorum auxilia ab se dissociasse scribunt, crudelitate sua ab amicis desertum,

tum, indignumque majestate tanti nominis ob servilem & degenerem animum, & Demetrii fratris sui manibus servitute & domus suæ calamitate parentasse. ipse enim Albæ squaloribus carceris & filii duo perierunt. Alexander quidem tertius filius, scriba magistratuum Romanorum fuit.

Situm regionum suarum summo speculatus Haemo.] Aemus mons qui Thraciam a Mysia dividit, tantæ altitudinis esse opinatur, ut ex ejus summo vertice Adria versus occasum, Euxinus versus ortum cernatur: ita enim Pomp. Mela lib. 2. & apud Strabonem lib. 7. Polybius testatur. quod ideo non posse fieri Strabo contendit, quia ingens terræ tractus & montosus visum abrumpit. bene quidem & recte Strabo: cum namque per Mædicam Thraciæ Philippus cum Perseo ad Aemum contenderit, ut ex conspectis locis de bello consultaret, quod Livius lib. 50. narrat, non potuit longus esse prospectus. obstant enim versus Adriam Rhodope, Orbelus, Scardus montes altissimi & perpetui. At ut nihil sit quod visum impediat, cum Aemus centum Germanicis miliaribus ab Adriatico in ortum distet, non attollitur ejus perpendiculum ad eam altitudinem quæ devexitatem terreni globi tanto intervallo tribus milliaribus Germanicis cum sextante intumescentem, dispiceret. siquidem Plinius Aemi altidudinem VI. M. passuum supputat. at in tanta specula opus erat XIII. M. passuum altitudine. Ista paulo latius sum hoc loco prosecutus, ut lector benignus intelligeret, multam veritatis lucem apud veteres ex auctoritate tradentium esse obscuratam, quæ Geometriæ beneficio illustretur. ita eadem erroris labe Aristoteles in Meteoris de Caucaso contaminatur; & Plinius de Cassio monte, & alii aliter. Quod ad hunc locum attinet, bene Florus consilium ab ipso Perseo institutum narrat, ab Aemo regni sui situm ideo fuisse speculatum, ut aditus obstrueret commodius Romanis propter invios saltus & præruptos montes.

Paullo consule.] Maximum Lunæ deliquium, ea nocte quæ prælium præcessit, Sulpicius Gallus Tribunus militum explicata caussa, & condicta hora futurum prædixit. convocata ex Paulli consulis permissu concione, ut ne lunæ obscuratæ caligine exercitus consternaretur. accidit ea quarto Nonas Septemb. anno V. C. IↃLXXXVI. ante natum Christum CLXIV. annis.

Samothracem.] Samothrace contra Melanem sinum insula est in mari Ægæo sita, a Samone Mercurii filio & Thracia vicina conflato nomine Samothracia dicitur; aut ut alii volunt a Samiis tyrannorum sævitiam fugientibus ibique Coloniam deducentibus ita vocata fuit. hæc tota sacra erat, & omnibus jus asyli aperiebat, exceptis iis qui homicidio polluti erant.

A R-

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAP. XIII.

Illyrii socii Macedonum a L. Anicio prætore vincuntur.

COMMENTARIVS.

Traxit Illyrios.] Gentius Illyriorum rex Pleurati filius, trecentis talentis cum Perse societatem belli pepigerat: sed avaritia regis fidem, missis x. talentis elusit. Romani ob hanc Gentii cum Perse pactionem, L. Anicium Gallum pro prætore in Illyricum cum exercitu mittunt, qui intra xxx. diem expugnata Scodra, capto Gentio cum conjuge & liberis, & fratre Carvantio bellum confecit, & de iis triumphavit. Gentius & liberi & frater Spoletium ex Senatus consulto in custodiam ducti sunt. ita rex Gentius x. talentis acceptis in tam miserabilem fortunam prolapsus est.

ARGVMENTVM CAP. XIV.

Andriscus, qui sese Persei filium mentiebatur, Macedoniam occupat, M. Iuventium prætorem contra se missum cum exercitu cecidit. idem a Metello prætore victus, totaque Macedonia exactus est.

COMMENTARIVS.

Regnum -- Andriscus invaserat.] Andriscus infimæ sortis homo, ob oris similitudinem sese Philippum vocavit, & Persei regis ex pellice filium constanti asseveratione mentitus est, & eam ob caussam a Demetrio Syriæ rege, ad quem spe auxilii venerat, Romam missus, elapsus custodia multis ad eam fabulam confluentibus, ipse contracto exercitu totam Macedoniam aut deditione aut armis occupat. M. Iuventium prætorem contra se missum una cum exercitu occidit. ea victoria elatus & Thessaliam invadit, a qua auxilio Achæorum per legatos Romanos ejectus est. Inde Q. Metellus prætor contra Pseudophilippum movit, eumque cæsis xxv M. militum fugavit, & Macedoniam recepit, confectoque bello de Pseudophilippo a Byzo Thraciæ regulo, ad quem confugerat, recepto triumphavit anno V. C. IↃCVII. atque tunc Macedoniam in provinciæ formam esse redactam cum Floro Iornandes etiam testatur, vectigalemque esse factam ex Pisoniana Ciceronis constat. idque per circumlocutionem Florus satis eleganter. quia Macedoniam servitute multare, idem est ac si diceret in Provinciæ formam redigere.

Annis post devictum Pseudophilippum quattuor, Pseudoperses, qui se Persei filium esse ferebat, etiam in Macedonia collectis servis rebellavit, cum XVII. millia armatorum haberet, a Cn. Trebellio Quæstore Licinii Nervæ prætoris cum exercitu cæsus est. Trebellius Quæstor ibi Scrofæ nomen invenit: quia cum hortatus esset milites ut in hostes castris suis ob absentiam prætoris audacius insultantes erumperent, dixerit: celeriter se illos, ut scrofa porcos, disjecturum. Varro lib. II. de re rustica.

ARGVMENTVM CAP. XV.

Carthago triennio toto obsessa & variis machinis oppugnata est: quarto demum anno a Scipione Aimiliano capitur & incenditur.

COMMENTARIVS.

Tertium cum Africa bellum.] Carthagini male jamdiu cogitanti, & quia contra Massanissam Numidiæ regem P. R. socium violato fœdere arma sumserat, ad hæc quod naves plures quam ex lege permissæ erant, & apparatu nimio etiam suspecta esset, bellum indicitur, instigante ad ejus excidium Catone: fœdus enim quod cum Massanissa percusserant ante 50. annos immisso in ejus agro exercitu violarunt. Luxuriabant iterum Pœni opibus & potentia. usi enim pace per 50. annos, & agrorum fertilitate, & maritimis commerciis in pristinam dignitatem convaluerant. Quare in urbe opulenta, ut fit, cives in factiones tres scindebantur, Romanam, quam Anno Magnus, Regiam Massanissæ studiosam Annibal Passer, Popularem Amilcar Samnis & Carthalo principes civitatis fovebant. Oborta de agro in regione Tysca cum Massanissa controversia, popularis factio Regiam ejecit, XL. civibus in exsilium pulsis, & jurejurando sancientes, ne unquam exsules reciperentur. Massanissa Gulussam filium Carthaginem legatum misit pro exsulum reditu impetrando, cum urbe exclusum immisso ex insidiis equitatu violarunt. qua injuria irritatus Massanissa Horoscopam obsidet, Punicum exercitum XXV M. peditum & CCCC. equitum, deficientibus etiam a se Asasi & Suba ad Asdrubalem cum VI M. equitum fundit fugatque in tumulos: obsessum & pestilitate tabescentem sub jugum misit, & exsules recipere coegit. hac occasione usus P. R. & Vtica sese per legatos dedente, exercitum cum duobus coss. L. Marcio Censorino, & M. Manilio contra Carthaginienses miserunt, qui tanta calamitate & trepidatione oppressi per XXX. legatos pacem a Senatu & coss. petiere; qui Carthaginiensibus arma tradere, classemque comburere imperant, mox illi ea jussa diligentissime facientes, protinus a mari procul passuum X. millibus migrare urbe relicta jubent. ad tam acerba jussa incensi Carthaginienses ex desperatione & rei indignitate acuunt animos, Asdrubalem statim toti bello imperioque præficiunt, & non ferrea solum & ænea arma, sed etiam ea deficiente argentea & aurea parant. Coss. ad urbem movent sperantes sese infirmas & imparatas Pœnorum vires, antequam convalescerent, oppressuros: sed is conatus, dum pro patria & salute sese acerrime defendunt, triennio irritus fuit. cetera Florus, & nos per partes acturi sumus.

Scipio Nasica servandam.] Rectum consilium Nasicæ saluberrimumque futurum erat P. R. si illud ab eventu sequentium sæculorum ponderabimus: nam si æmula Romæ Carthago deleta excisaque non fuisset, non ita in otio & securitate diffluentes Romanos luxuria & avaritia cum Asiaticis triumphis

in

in urbem invectæ enervassent, aut mores ad ambitionem levitatemque inclinassent externo metu non amoto. neque ipsi tot domi civilibus bellis, tot factionibus se suaque viscera ferro proscriptionibusque dilaniassent, neque sua mole suis vitiis oppressa P. R. libertas, tandem unius dominationi in perpetuum servitura non erat.

Mancino deinde consule.] L. Hostilium Mancinum hoc bello non fuisse consulem satis certum est, sed proximo anno post devictam Carthaginem Annales Coss. & Plinius l. xxxv. testantur: quia L. Mancinus primum cum exercitu Carthaginem irrupit, & pictam Carthaginem præliaque facta in foro cum triumphum Scipio Aimilius duceret, proposuit: proximis comitiis cos. creatus est. quare hic aut *legato* aut *classis præfecto* scribendum est. legatus enim pro collega Sp. Postumio Albino datus est Calpurnio Pisoni cos. & classis præfectus fuit, quousque eum Scipio Aimilianus Romam remisit.

Byrsa, quod nomen arci fuit ----- resistebat.] Byrsa Græcis corium significat: nomen arci Punicæ ideo inde factum est, quod Dido, cum a Tyro Pygmalionis regis tyrannidem fuga vitasset, & in Africam appulisset, tantum certa pecunia agri ab Iarba Getuliæ rege compararat, quantum bovis tergore comprehenderetur, quæ secto in corrigias tenuissimas tergore, tria fere millia passuum (si Servio Honorato credimus) complexa, & arcem Byrsam, & Carthaginis initia condidit. Carthaginis situm Appianus in Libycis, & 17. l. Strabo; nam apud Liv. l. 26. desideratur, describit: situm esse in peninsula, cujus cervix in meridiem continenti Africæ trium fere millium latitudine adhæreat, in qua Byrsa & murus ille triplex. cetera Appianus, & 17. lib. Strabo.

Hunc Paullo Macedonico procreatum ----.] Hic Scipio filius fuit Pauli Aimilii, qui de Perseo Macedonum rege triumphum duxit. adoptatus quidem in Scipionum familiam a P. Scipione Africani filio, unde ipse Scipio appellatus est: adoptivo enim adoptantis gentem & familiam secuta esse, P. Cornelii Scipionis istius nomen testatur, suæque gentis nomen novo cognomini subjectum fuisse & Aimilianum ab Aimilio dictum. Lege enim Curiata adoptivus, eodem jure filius adoptantis fiebat, atque si eodem patre & matrefamilias ortus fuisset. Lex Curiata de adoptione vocabatur, quando Pontifices adoptionis caussa approbata, & deinde adoptio comitiis curiatis rogata, jubebatur. Quare Florus hic juste istius Aimiliani avum lege adoptionis numerat patrem P. Scipionis istius, qui ipsum adoptaverat: atque Africanus minor ab Africa devicta dictus est, ad discrimen Africani Scipionis avi sui.

Imitata reginam -----] Dido quæ Carthaginem condidisse scribitur, cum ab Iarba Getuliorum rege in matrimonium, ni pareret, bello etiam indicto sollicitaretur: ipsa ne Sichæo priori marito datam morienti fidem violare cogeretur, vitam sibi conscenso prius rogo, gladio finivit. ita Iustinus lib. XVIII.

Quæ Carthaginem condidit.] Carthago condi cœpta a Phœnicibus ante conditam Romam annis LXX. ut Appianus & Iustinus testantur: incendio deleta auspiciis Aimiliani anno Vrbis conditæ IↃCVII. ætas itaque Carthaginis universa fuit annorum IↃCLXXVII. patuisse ambitum XXIV. passuum millibus in Epitome numeratur. Hac victoria deinceps Africæ quæ Carthaginiensibus paruerat, tributum impositum est, atque ipsa in provinciæ formam redacta.

ARGVMENTVM CAP. XVI.

Achæi rebellant, Corinthus incendio deleta est, quia ibidem Romanorum legati superbius appellati sunt.

COMMENTARIVS.

Et hinc Achaicum bellum.] Achaia. Peloponesi regio huic bello nomen fecit. prætenditur sinui Corinthiaco a septemtrione; ab ortu Sicyonia & Corinthia, ab occasu Ionium mare, a meridie Arcadiam & Elidem habet. Caussa belli fuit, quod dum legati Romanorum Corinthi Achæorum corpus dissolvere, singulasque urbes sui juris facere ideo conantur, ut potentiam Achæorum, qua superbiebant, labefactarent, pulsati aut superbius appellati sunt; tum quod Achæi in Lacedæmonios Pop. R. socios conjuncta cum Bœotis & Chalcidensibus societate movissent. Metellus prætor ex Macedonia devicto Pseudophilippo exercitum per Thessaliam in Bœotiam duxit, Critolaum Achæorum ducem ad Scarphiam acie fudit, quem alii voragine quadam haustum, alii veneno periisse opinantur. Metellus Thebas aggressus, eas cum Pithea ipsarum imperatore in potestatem redegit. Inde Megaram Alcamene Achæorum præfecto Corinthum profugiente dedentibus sese civibus occupat, & ad Isthmum venit, dumque de pacis conditionibus agit, L. Mummius consul superveniens cum Diæo Achæorum duce collatis signis Achæos vincit, & in fugam conjicit. Diæus fugiens occisa prius uxore, veneno mortem sibi conscivit. Mummius patentibus portis ingressus Corinthum incendit, reliquorum mœnia, qui contra Romanos sese armaverant, diruit, atque iis arma ademit. Ex sententia X. legatorum qui Roma mittebantur, tributum Græciæ impositum est, & concilia sublata sunt: institutum autem, ut quotannis eo prætor mitteretur. Mummius consul de Achæis anno IↃCVIII. triumphavit, & Achaicus dictus est. Ab eo tempore Græciam una cum Epiro provinciam esse factam Strabo & Pausanias testantur; appellatamque Achajam non Græciam provinciam, quod Græciæ subacti sint, principatum Græciæ tenentibus Achæis.

Metellus cos. per patentes Elidis campos toto cecidit Alpheo.] Consul falso scribitur, erat enim prætor tantum Metellus in Macedoniam missus, cui cognomen a devicta Macedonia Macedonicum factum est Metellum cum Achæis Bœotisque duobus præliis congressum, primo ad Thermopylas, altero

Digitized by Google

tero in Phocæis vicisse auctores habeo Pausaniam & Eutropium, in Elide quæ Peloponesi occidentalia litora claudit, aut ad Alpheum Elidis fluvium hoc bello pugnatum fuisse tantum Florus scribit.

Geminosque portus sanguine infecit.] Corinthus in faucibus Isthmi sita, portus habet ab ortu Cenchræas, ab occasu Lechæas, sinu hinc Corinthiaco, istinc Saronico clauditur. Isthmi latitudo, qua veluti cervice Peloponesus Græciæ adhæret, patet quinque millia passuum, testibus Strabone & Diodoro. hunc perfodere aliquot principes sunt aggressi, ut Peloponesum insulam facerent, sed nullo successu. Corinthum L. Mummius post annos IϽCCCCLII. quam ab Alete Hippotis filio erat condita, funditus eruit, teste Paterculo.

Venae in commune fluxere.] Casu itaque mixtura Corinthii æris conflata est, cujus tria genera Plinius lib. 34. recenset. Candidum in quo argenti mixtura prævaluit, alterum in quo auri fulva natura, tertium ex tribus illis conflatum.

ARGVMENTVM CAP. XVII.

Hispania ægre per CC. *annos edomita est. ea virtus populi illius, ea laborum tolerantia fuit.*

COMMENTARIVS.

Res in Hispania gestae.] Hispaniam Europæ qua in occasum excurrit partem maximam, primus Amilcar Pœnorum dux latrocinio invasit, inde Asdrubal ejus gener per annos novem, mox Annibal Amilcaris filius: & ut Hispania a Pœnis jam nimium in ea dominantibus liberaretur, duo Scipiones Cn. & Publius in eam secundo bello Punico missi sunt, qui magna victoria usi, populique benevolentia, asseruerant Hispaniam a Pœnis, nisi uterque magna clade a ducibus Pœnorum oppressus fuisset. quæ latius cap. VI. prosecuti sumus, & qua virtute & fortitudine a P. Scipione ab Hispania Carthaginienses exacti sint; eaque victoria primam continentis provinciam factam esse Hispaniam, Marcellinus lib. XXV. Livius, & Rufus, & alii tradiderunt. sed terminatam ordinatamque in duas provincias anno IϽLIIX. apud Livium lib. 42. invenio in citeriorem sive Tarraconensem, & in ulteriorem, hoc est, Bæticam & Lusitaniam, & ut in eam duo prætores quotannis mitterentur, qui tunc primum ideo sex creari cœpti sunt. Atque anno proximo cum belli moles usque adeo invalesceret, ut & consulari imperio & exercitu opus esset, consules auctoritate Senatus (in cujus potestate erat vel consulares vel prætorias decernere provincias) sortiri ulteriorem Hispaniam jussi, eam M. Porcius Cato sortitus est, qui bellum ab Emporiis exorsus, totam citeriorem Hispaniam quæ rebellaverat, pacavit: CCCC. oppida ab eo capta esse Plutarchus tradidit, quod per nuntios calliditate Catonis & celeritate factum esse Appianus testatur, qui singulis ut uno die muros suos singulis diruerent imperaverant, & dum obtemperant singuli, oppidorum

Digitized by Google

cccc. mœnia diruta esse, antequam sentirent eam cladem ad universos pertinuisse. hinc prætores Fulvius Nobilior de ulteriore, Manlius Acidinus de citeriore Hispania: atque sequenti anno Calpurnius Piso & Quinctius Crispinus de utraque triumpharunt. Exstat etiam A. Terentii Varronis prætoris de Celtiberis ovatio apud Livium. Inde Fulvii Flacci de citeriore, in qua XXIV. M. hominum fudisset, IV. M. cepisset, triumphus celebratur. Istum excipit Tib. Sempronius Gracchus prætor, quem Celtiberorum ccc. oppida ex Polybio Strabo lib. III. delevisse scribit, & pro prætore de iis anno IↃLXXVII. triumphasse, ex triumphorum tabulis constat. condidisseque ipsum Gracchurim oppidum, quod antea Illurcis dicebatur, testatur Festus. L. Postumius Albinus eodem tempore de Vaccæis & Lusitanis triumphum egit. Inde post biennium de Celtiberia Ap. Claudius Centho ovationem, atque hinc XXV. annis fere in pace citeriorem Hispaniam mansisse invenio. Interea cum Lusitanis vario eventu bellatum est, & graviter Romani ab ipsis per arma vexati sunt; & cum Africano quodam duce socios P. R. invasissent, Manilium & Calpurnium Pisonem Romanorum duces fuderunt: Mummius horum successor re bene gesta, & cæsis XV M. hostium triumphavit. Mummio Acilius Balbus, Balbo Sulpicius Galba temporum suorum eloquentissimus successit, quem tradunt Hispaniam ulteriorem ex prætura obtinentem XXX. Lusitanorum millibus contra fidem trucidatis Viriathini belli caussam exstitisse. cetera Florus. Quod ad Celtiberos attinet, iterum contra Romanos belli caussas moverunt, Q. Fulvio, T. Annio coss. anno IↃC. quia Segida Arevaccum oppidum muris muniebant, ac tributa populo Romano pendere recusarant, contra quam legibus pacis cum Graccho pacti erant. atque res iterum gesta a consule Fulvio Nobiliore, qui bis parum feliciter cum iis pugnavit. hoc bellum M. Marcellus consul excepit, omnesque Celtiberiæ populos pacavit, & tributum ab iis IↃC. talentorum, teste Strabone, exegit, & Cordubam condidit. Huic secutus est Q. Metellus consul, cui in alterum annum prorogatum imperium est, res maximas gessit, & cum Contrebiam oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias, eodem protinus subire jussit, facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito perseverantia ducis, quem moriturum miserat militem, victorem recepit. ita Vellejus, Valerius, Frontinus. Metello Q. Pompejus successit, de quo capite proximo. Cetera Florus, & nos per partes prosequemur.

Prope ducentos per annos.] In Hispania mutuo multoque sanguine ita per ducentos annos certatum est, ut multis prætoriis, consularibus, imperatoriisque exercitibus cæsis, sæpe etiam contumelia & periculum Romano imperio inferretur. Missi sunt in Hispaniam Cn. & P. Scipiones anno IↃXXXV. eaque demum subacta est imperante Augusto per Agrippam ejus generum anno IↃCCXXIV. Sunt itaque ducenti anni intermedii, ut Strabo, Vellejus, Dio, & alii numerant.

Turduler

Digitized by Google

Turdulos atque Vaccaeos.] Vaccaei in Celtiberia populi sunt Arevacis finitimi, a quibus Turduli veteres ad Durium flumen ab occasu habitabant. In Vaccaeos sine Senatus consulto & nulla belli legitima caussa L. Licinius Lucullus consul movit, sola avaritia rapiendi & ambitione urgentibus, ut eum accusat Appianus. Caucaeorum XX M. contra deditionis stipulatae fidem immissis in urbem militibus trucidari jussit. Cum sederet ad Intercatiam Vaccaeorum oppidum (nec enim illi Romanorum perfidiae permittere sese volebant Caucaeorum clade perterriti) barbarus quidam ad singulare certamen quemvis Romanorum provocabat: prodiit Scipio Aimilianus tunc quidem tribunus militum, & barbarum confecit. nec enim Scipio opima referre potuit, ut Florus asseverat: quia ea tantum opima sunt spolia, quae dux occiso a se hostium duci detrahit. Idem Scipio in oppugnatione Intercatiae ingens periculum adiit, nam murum primus conscendit, sed Romani a civibus magna vi repulsi sunt, atque cum diu teneret obsidio, fatigatis utrimque partibus, Scipionis Aimiliani fidem Intercatienses secuti sese dediderunt.

Decimus Brutus ---- omnis Gallaecia populos.] Decimo Bruto consuli Lusitania mandata erat, ut eam latrociniis Viriathinorum vexatam ab injuria defenderet. sed eos palantes, cum sese Brutus adipisci posse diffideret, arma ad singula ipsorum oppida circumferre decreverat, quod se ita ad suorum defensionem attractos, facilius oppressurum speraret. Duria itaque flumine superato in Gallaecos, qui Lusitaniae littora a Duriae ostiis, & ultra Lethen, sive Limiam, sive Oblivionis flumen (haec enim omnia ejus nomina traduntur) ad Nerium sive Celticum promontorium habitabant, movit. LX. millia Gallaecorum qui Lusitanis auxilio veniebant, cecidit, aspero sane & difficili bello, tum quia gens bellicosa etiam asperitate montium, quibus includitur, sese tutabatur. ingenti tamen vi hominum urbiumque numero potitus est: ut non immerito hujus rei caussa Gallaecus a gentibus devictis in triumpho ductus fuerit, anno, ut quidam, IↃCXVII. ut alii, IↃCXXI. Decimus autem Brutus hoc bellum gessit post Viriathinum, ita ut hic iterum in tempore sit ἀναχρονισμός.

Lusitanos Viriatus erexit.] Viriathus, qui cum suis e Galbae manibus effugerat, eos dissipatos collegit, & M. Vetilium praetorem ipsorum vestigiis insistentem in locum alto limo voraginosum cum exercitu X. millium pertraxit, & cum loci difficultate luctantem ex insidiis adortus IV. millia & Vetilium captum occidit. VI. millia quae Carpessum effugerant, una cum quinque millibus, quae Quaestor Vetilii ex sociis collegerat, dum congredi audent, caesa sunt. hinc Viriathus C. Plautium praetorem magna clade bis fudit, & ipsum in urbes munitas, ut se moenibus tutaretur, coegit: cum Viriathus interea Carpetanorum agrum fertilissimum latissime popularetur. Post Plautium Claudium Unimanum qui cum magno apparatu veniebat, profligavit, & C. Nigidium imparatum oppressit, ita ut ille quattuor praetores intra quattuor annos magna cum Romanorum ignominia devicerit,

cum

cum singuli ad prioris cladem quasi corrigendam submitterentur. Sed C. Lælius in prætura Fabio & Hostilio coss. cum Viriatho egregie pugnavit, ferocitatemque ejus ita repressit, ut facile bellum reliquis tradiderit. Q. Fabius Aimilianus consul in Hispaniam missus est, conscripto ex tironibus milite, quem Paulli patris exemplo severitate disciplinæ exercuit, priore anno levibus tantum præliis hostem lacessendo; altero cùm ipsi imperium esset prorogatum, Viriathum secundus fregit, duobusque ei oppidis cum vi ademtis, ipsum magna cum exercitus ejus clade propulsavit. huic Quinctius prætor successit, quem iterum Viriathus aliquot cladibus perterrefactum Cordubam intra mænia ut se contineret, compulit, ita ut Q. Fabius Servilianus, Fabii Aimiliani frater, consul ex Senatus consulto mitteretur, qui cùm aliquot urbes & castella vi recepisset, transfugarum quos ceperat, manus præcidere jussit, ut trunca præ se brachia gestantes, metùm defectionis injicerent. Viriathum insecutus consul, oppidum circumvallare cœpit: at ille eruptione facta exercitum Serviliani fugavit, & in præruptum locum, unde exeundi facultas præclusa erat, compulit. Viriathus itaque belli finiendi honestam sibi occasionem esse oblatam sentiens, pacem æquis conditionibus fecit, quæ Servilianæ victoriæ labem imposuit. Ea pace Q. Cæpio consul, cui frater Fabius Servilianus ex adoptione erat, variis calumniis elevata, & ex Senatusconsulto infirmata, in Viriathum movet. quem ex improviso adortus, Arsam oppidum ejus occupat, fuga cum exercitu elapsum assequi non potuit. Legatos autem Aulacem, Ditalconem, & Minurum de pace a Viriatho missos, Cæpio donis & promissis corruptos in Viriathi necem armat, atque ipsi ut receperant dormientis jugulum præsecant, cum in alia corporis parte vulnerari non poterat, quia armatus tantum dormiebat. Turpissimum hoc semper facinus Cæpionis a Romanis habitum est, ut qui percussores in hostem emerit. Exercitus Viriathi, qui duce Tantalo Saguntum profectus, atque inde repulsus, Bætim trajecerat, in Cæpionis, qui a tergo instabat, potestatem pervenit, atque ab eo venia impetrata, agros etiam fertiles quos coleret, ne inopia ad latrocinia relaberetur, assignavit. ita Appianus.

ARGVMENTVM CAP. XVIII.

Quattuor millia Numantinorum magnis cladibus Romanos per XVI. *annos fatigant, & ad contumeliosas pacis conditiones cogunt, qui virtute tandem Aimiliani Scipionis ægre fame, igne, ferroque sunt consumti.*

COMMENTARIVS.

Bellum Numantinum.] Arevacces Celtiberiæ populi Segidam muris contra fœdera cum Gracco percussa muniebant, quare Fulvius Nobilior consul in eos ex S.C. movit cum XXX. millium exercitu. Segedani non audebant sese urbi nondum satis firmæ includere: fugiunt, & Carum ducem sibi deligunt,

Digitized by Google

gunt, qui Fulvium vicit: sed dum incautius in dispersos fuga Romanos provehitur Carus occiditur. Segidenses dissipati fugiunt, quos Numantini ut socios & consanguineos excipiunt, & Fulvium ad Numantiam moventem exercitum fortiter profligant cæsis quattuor millibus Romanorum. & hinc hujus belli caussam reperit Florus. atque cum Fulvius consul cum T. Annio fuerit anno IↃC. debellatum sit cum Numantinis a Scipione Aimiliano anno IↃCXX. recte colligit Strabo, bellum hoc cum Numantinis gestum esse annis viginti. Cetera Florus, & nos per partes.

Pompejum proelio aggressi.] Q. Pompejus novus homo & primus de sua gente ad consulatum provectus, in citeriore Hispania Q. Metello successit, & extrema hieme ad Numantiam castra posuit: sed inopinata Numantinorum eruptione, & frequenti clade fatigatus, adhæc gravissimo exercitus sui morbo fractus, frumentationeque ob hostium ferociam interclusa coactus solvere obsidionem, cum Numantinis ita paciscitur, ut darent obsides, traderent perfugas, & xv. talenta penderent. Eam pacem Senatus irritam esse jussit, missusque successor Pompejo Popillius Lænas proconsul, dum scalis oppidum aggredi frustra conatur, recipientem se ac suos revocantem & aversum eruptione facta Numantini adorti sunt, & fuderunt fugaruntque. DCXV.

Hostilium deinde Mancinum.] C. Hostilius Mancinus consul in Hispaniam citeriorem iturus terrebatur prodigiis: obnuntiabat pullarius pullos e cavea emissos proximam silvam avolasse; vox fortuita & incerta, Mancine mane, excepta erat; anguis etiam in navi repertus e manibus elapsus est. Victus itaque, & cum exercitu xxx. millium fugatus a Numantinorum IV. millibus, & in castris suis obsessus, ignominiosam pacem facere coactus est, quam contumeliosa deditione sua, quia Senatus ratam esse noluit, infirmaret: ita ut numerum prodigiorum numero calamitatum exæquaverit. Fœdera enim (quæ propriæ tamen sponsiones, teste Livio, sunt dicendæ) siqua ab imperatoribus populi Romani non consulto Senatu, aut sine jussu populi cum hoste facta erant, eorum qui fecerant deditione infirmabantur, & populus Romanus religionis fœdere exsolvebatur. ita etiam in Caudina pace factum esse, libro I. cap. XVI. scripsimus. Mancinus itaque nudus a P. Furio Philo consule manibus post tergum revinctis ante portas Numantinorum expositus, ibique in noctem a suis desertus, ab hostibus non receptus, tristi spectaculo utrisque commiserationem movit. Romani hac Mancini deditione, cum sese satisfecisse fœderi cernerent, Calpurnium Pisonem consulem miserunt, qui novam cladem accepit exercitu ejus oppresso. Atque hactenus sex coss. sex exercitus consulares ab unius & exiguæ urbis præsidio nihil præter contumeliam & calamitatem retulerunt: magno sane documento, si Hispaniæ duces contigissent, si ipsa, antequam vires suas nosset, oppressa non fuisset, nunquam Romano imperio servituram fuisse.

Nullum de se gaudium hosti reliquit.] Appianus tradit Scipionem, quinquaginta

Digitized by Google

quaginta ad triumphum selectis, qui efferata maxime specie essent, reliquos sub corona vendidisse. At hic fortitudinem Numantinorum ex Scipionis maximi imperatoris confessione deprehendere licet. Obseptos enim & veluti indagine clausos fame, quos armis non poterat, fregit, intra annum atque tres menses quam eo venerat teste Vellejo, lib. 2.

ARGVMENTVM CAP. XIX.

Luxuria per Asiaticos triumphos in Vrbem invecta, & exterarum gentium metu amoto; virtus Romanorum inclinatur, & in vitia degenerat.

COMMENTARIVS.

Hactenus populus Rom. pulcer ----- reliqua saeculi ----- magis turbida.] Aequissimis legibus temperata fuit Respublica, plebe in honorum & conjugiorum societatem admissa, a Pyrrhi regis bello usque ad tertium bellum Punicum. ex quo tempore praeclara illa & ad omnis posteritatis memoriam illustria abstinentiae, modestiae, fortitudinis, civilis denique concordiae exempla edita sunt: tum enim Fabricii, tum Curii viguerunt; tum Metelli, Fabii, Marcelli, Scipiones, Paulli floruerunt. quorum excelsam in bello animi magnitudinem ac prudentiam, ita incredibilem in pace justitiam ac moderationem merito admirareris & coleres. Post autem vetere jam labante disciplina, moribus quoque ad levitatem & ambitionem nimiam inclinatis, luxuria & avaritia grassantibus: sensim Reipublicae consensus tentatus atque labefactatus, & injusta tandem populi dominatione eversus est: cum namque Gracchi, Saturninus, Drusus furiosi & amentes tribuni plebis partim agrariis, partim judiciariis legibus ferendis, ut ita sibi plebem obstringerent, ejusque potentiam supra optimatium efferrent, perturbarunt. Atque hinc jam factionum & partium studia gliscere, seditionum & civilium bellorum incendia grassari incipiunt, quousque mutuis cladibus laniata Respublica, ab unius dominatione in aeternum servitium oppressa est. Sed ista sequentibus libris per partes prosequemur.

ARGVMENTVM CAP. XX.

Attali Regis testamento populus Romanus Asiae heres scribitur. eam Aristonicus ut paternum regnum invadit.

COMMENTARIVS.

Aristonicus ——.] Aristonicus Eumenis, cui Attalus successerat, ex pellice filius, Asiam ut paternum regnum multorum regum opibus & favore adiutus invadit. P. Licinius Crassus consul & Pontifex Maximus extra Italiam, quod nunquam antea factum fuerat, profectus, praelio inordinata acie cum

Digitized by Google

cum Aristonico ad Leucas commisso victus & captus, inde barbaro in sui cædem proritato occisus est. Caput Aristonico oblatum, cadaver Smyrnæ sepultum est.

Mox a Perperna domitus.] M. Perperna, qui consul fuit antequam civis, Crasso in Asiam successit. hic Aristonicum recenti victoria grassantem & exsultantem inopinato prælio aggressus fudit & in fugam vertit, atque Stratonicem qua se ex fuga Aristonicus receperat, obsedit, fameque eum ad deditionem coegit. Perperna Pergami ex morbo, antequam de bello confecto triumpharet, mortuus est.

Aquilius.] Manius Aquillius consul Perpernæ successor, ordinata cum decem legatis provincia, Attalicas gazas Romam deportavit, & de victoria alterius labore parta, & capto Aristonico triumphavit. Aristonicus in carcere jussu Senatus strangulatus est. Aquillium ante triumphum ordinasse provinciam Asiam; eamque magnis multisque vectigalibus & servitute quoque mulctasse constat. denique post triennium lege Sempronia tribunicia, incertum vectigal, ut pote quod a Censoribus Romæ locaretur, Asiæ fuisse impositum; quod in decimis, portoriis, scripturis exercerent, ex Verrinis actionibus manifestum est. eandem, tanta proventuum copia nobilem, extraordinariis tributis frequenter fuisse vexatam ex Cicerone, Strabone, Cæsare & Plutarcho; tum ex impotenti Antonii Triumviri tyrannide constat.

LIBRI TERTII

CAPVT I.

Iugurtha parricidiis & scelere Numidiæ regnum invasit, & largitionibus possedit: sed tandem suis artibus captus, Romæ a Mario in triumpho ductus est.

COMMENTARIVS.

Fuit in Iugurtha.] Iugurtha ex pellice Manastabalis filius, Massanissæ nepos erat, quem Micipsa Numidiæ rex Scipioni Aimiliano rem cum Numantinis gerenti auxilio misit. cumque ibi res magnas feliciter & fortiter gessisset, easque Scipio litteris etiam ad Micipsam datis testaretur, rex eum, etsi Adherbalem & Micipsam filios haberet, tamen in filium adoptavit, atque dum suis tutorem & patronum hoc beneficio sibi demereri parat, percussorem in suos immisit. Cetera Florus.

Capite censos sacramento adegisset.] Servium Tullium regem distinxisse ex censu populum Romanum, hoc est, ex facultatibus in sex classes, primo libro expositum est: ita ut tenuissimum quemque civem in sextam classem ultimamque censeret. quam ut ab omni onere publico immunem esse voluit

luit, ita a militia eandem & honoribus exclusit. Estque ea classis divisa in Proletarios & capite censos. Proletarii, ut qui proli tantum procreandæ operam darent, censumque CIƆIƆ. æris haberent. Capite censi, quorum nomina tantum veluti numero in censorias tabulas relata erant, & CCCLXXV. æris censerentur. Hos Marius consul (quia ipsorum opera potissimum usus homo novus, ad magistratum curulem commendatus erat) primum hoc bello in legiones Romanas novo exemplo adscripsit. Ipseque Marius, teste Festo, primus legionem sex millium peditum conscripsit non ex Senatus decreto, sed ex suo consilio. Legio enim antea, prout usus Reipublicæ postulabat, & ex Senatus arbitrio modo quattuor, modo quinque millium scribebatur.

Fraude soceri sui.] *Generi* scribendum est, quia Bocchus, cui Iugurthæ filia nupserat, (ut Salustius testatur) gener erat Iugurthæ. atque is a Boccho proditus est L. Sullæ tunc Quæstori Marii consulis.

Iugurtham in triumpho populus Rom. aspexit.] Iugurtham cum duobus filiis Marius in triumphum duxit, teste Plutarcho. atque Iugurtha in carcerem post triumphum tractus, nudusque in baratrum conditus est, ibidemque sex dierum fame contabuit, suspensum semper spe vitæ spiritum trahens: ut ita manibus fratrum, quos scelerate enecaverat, egregie parentaret. Numidia hoc bello in provinciæ formam redacta non est, ut quidam scribunt. observo namque Numidiam regibus P. R. sociis quattuor fuisse donatam. Hiempsali, qui Marium exsulem fovit: teste Plutarcho; Hiarbæ, qui, quod Marianas partes adiuverat, Sullæ auspiciis per Cn. Pompejum victus & captus est; qui Numidiam cum Gætulia Hiempsali (ut Cicero in Agraria testatur) tradidit. Hiempsali Iuba filius successit; quem Cæsar (quod Pompeii partes sequeretur) profligavit, vicit, Numidiamque occupavit, & provinciam fecit, ita Hirtius & Dio. Crispumque Sallustium ei primum præfecit.

ARGVMENTVM CAP. II.

Allobroges, Salyes, Ruteni Galliæ Transalpinæ populi victi sunt, & in provinciæ formam redacti.

COMMENTARIVS.

Bellum Allobrogicum.] Quattuor Transalpinæ Galliæ populi contagione quadam vicini belli a Salybis orti arma sumserunt. Salyes in Massilienses ab ortu proximos & populi Romani socios latrocinia exercebant; eam injuriam armis vindicant Romani. Salyes autem, Arvernos, Rutenos, Allobroges, qui ut potentissimi huic bello nomen fecerunt Allobrogicum, ita postremo a Fabio Maximo victi sunt. Salvii per Fulvium consulem afflicti, per C. Sextium Calvinum consulem debellati sunt eo loci, ubi & coloniam Sextius ab aquarum copia, & de suo nomine Aquas Sextias dictas, haud longe supra Massiliam condidit anno IƆCXXIX. Elapsum ex ea pugna Tentomalum Salviorum regem Allobroges recipiunt & protegunt, & Aeduorum populi R. sociorum.

Digitized by Google

sociorum agros devastant, quare bellum in se convertunt, & ipsi socios Arvernos quoque armant contra Romanos. Cn. Domitius Ahenobarbus consul elephantis in prælio usus, ex ipsorum exercitu ad Vindalium urbem, ubi Sulga & Rhodanus confluunt, xx. millia cecidit, III. millia cepit. Q. Fabius maximus consul Arvernos, Rutenos, & Allobroges apud Isaram fluvium prælio congressos ante diem VI. Idus Augusti fudit, cxx. millia Gallorum, ut Plinius & Appianus numerant, occidit. Bituitum sive Betultum (ut nomen ejus in fragmento marmoreo legitur, quod anno CIϽIϽ LXIII. erutum est) Arvernorum regem captum in triumphum duxit. ipse à gente devicta Allobrogicus dictus est. nepos hic fuit Paulli Aimilii ex filio Q. Fabio Maximo Aimiliano, quem gens Fabia sibi adoptaverat. eo bello Narbonensis Gallia in provinciæ formam redacta est, ut Cæsar lib. 7. testatur.

Allobroges.] Allobroges cis Rhodani ripam ab ortu habitabant ad Iuram montem & Lemannum lacum, quæ hodie pars est Delphinatus, & Sabaudiæ. iis Ruteni propius mare dextrum latus claudebant, Arverni versus septemtrionem sinistrum. ultra Arvernos Aedui nunc Burgundi erant. Salvii vel Salyes, utrumque enim scribitur, primi Gallorum ultra Varum incolebant, quæ nunc Pedemontii pars est juxta Nicæam, sive Nissam, ut nunc vocatur.

Tropæa fixere.] Tropæa appellantur spolia fixa in stipitibus, teste Nonio. inde etiam monumenta victoriæ erigi cœpta ex marmore saxoque in jugis montium, & editioribus locis. eadem cum Floro scribit Strabo. erectaque Lib. 4. hæc tropæa juxta Cemmenum montem ad confluentem Isaræ & Rhodani.

ARGVMENTVM CAP. III.

Cimbri magnis cladibus populum Romanum fatigant, sed a Mario fortiter tandem repressi cæsi & debellati.

COMMENTARIVS.

Cimbri, Theuteni.] Cimbri ex Cimbrica Germaniæ Chersoneso & Teutoni per Galliam ab Oceano in Illyrium profecti irrumpunt anno IϽCXL. Cn. Carbonem consulem, cui ea provincia evenerat, ad Norbejam oppidum cum exercitu occurrentem, acie fundunt & profligant. Arma inde in Gallos, qui Romanis nondum parebant, & Hispanos convertunt: a quibus repulsi adversus M. Iunium Silanum consulem ob caussas a Floro enumeratas movent, quem congressum magna calamitate fundunt fugantque. Inde M. Scaurus contra illos in Galliam missus tertiam cladem accipit. Scauro Cassius Longinus consul succedit, qui a Tigurinis in finibus Allobrogum cum L. Pisone legato suo & exercitu cæsus est. Hujus successor Q. Cæpio cum Tectosagibus Gallis sive Tolosanis bellum facit, thesaurumque Tolosanum e templo Apollinis diripit, auri cx. millia librarum, argenti libras quin-

Digitized by Google

quinquies decies centena millia. atque hujus sacrilegii pœnas paullo post a Cimbris victus dedisse putatur. Cæpioni proconsuli inde cum C. Manilio (legendum affirmat Mallio Fr. Fabricius) consule prorogatum in Gallia imperium est, qui, dum inter se privatis odiis certant, exercitum quoque & provinciam inter se partiuntur. atque ita a Cimbris, quibus Theutoni, Tigurini & Ambrones sese conjunxerant, magna clade pridie Non. Octobris & miserabili victi sunt: in eo enim prælio M. Aurelius consularis captus, & paulo post occisus est: duo filii consulis cæsi, LXXX. millia militum, calonum & lixarum XL. millia occisa & bina castra capta sunt. Cæpioni fortuna istius prælii crimini, & invidia populi calamitati fuit, novoque exemplo ob rem male gestam populi judicio condemnatus in carcere mortuus, ejusque cadaver in Gemoniis a carnifice projectum est, & bona publicata. Cimbri hac victoria potiti, iter per Galliam iterum in Hispaniam convertunt. Interim C. Marius iterum consul in Galliam profectus Tectosages domuit, Sullaque Marii legatus Copilum ejus gentis regem cepit. Prorogato deinde per biennium Marii consulatu ob impendentem semper a Cimbris metum; ipsi a Celtiberis repulsi in Galliam, sese Theutonis, Ambronibus conjungunt, eo consilio, ut Alpibus superatis Italiam occuparent. Cetera nunc ordine Florus prosequitur.

Epitom 10. Asconil. in Cornel.

Eaque cædes hostium fuit.] Cæsa sunt CL. millia Theutonum primo ac postero die, teste Vellejo. Orosius ducenta millia armatorum trucidata, LXXX. millia capta, vix tria millia effugisse scribit, & Theutobochum occisum.

In Venetia.] Venetia Togatæ Galliæ pars, ab occasu Athesi, ab ortu Adriatico sinu, a meridie Pado, a septemtrione Natisone claudebatur.

Diem pugnæ ab imperatore nostro petierunt.] Cimbri sese a Theutonis in Noricum converterant, ut inde ipsi in Italiam irrumperent. Q. Catulus Marii collega eo, ut eos ab Alpium transitu arceret, cum exercitu missus est. qui cum tantæ hostium ferociæ se diffideret resistere posse, a jugis Alpium in plana descendit, atque ripam utramque Athesis fluvii juxta Veronam fluentis præsidio firmavit, ponte etiam instrato, ut suos tutius ex adversa ripa, si urgeret hostis, reciperet. Sed Cimbrorum vis propulit Catulum. Marius ab Urbe statim trajecto Pado accurrit conjunctoque cum Catulo exercitu, hostibus diem prælii designari ferociter postulantibus, alterum Marius, sive, ut Plutarchus, tertium in agro Vercellensi condixit, & fortiter vicit. cæsa sunt CXL. millia, capta XL. millia. diem conflictus III. Nonas Sextileis fuisse Plutarchus in Mario scribit.

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAP. IV.

Thraces, gens fera & bellicosa, varie per aliquot imperatores edomantur.

COMMENTARIVS.

Thraces rebellabant.] Obscura est & impedita omnium de Thracico bello relatio, tum quia gentem eandem modo cum Illyricis, modo cum Pannoniis & Mysis, mox etiam cum Macedonibus confundunt. periit etiam apud alios scriptores rerum cum Thracibus gestarum memoria. nos quantum exstare observavimus, tantum adferemus.

Scordisci.] Scordisci gens Gallica, latissime citra & ultra Istrum habitabant: qui citra, Scordisci magni, Pannoniis & Illyricis montibus vicini: Strabo. qui ultra, Scordisci parvi, Mysis & Triballis proximi. Cum Scordiscis primum bellum gestum esse, quia in Macedoniam latrocinatum irruperant. M. Cosconio prætore invenio anno IↃCLVIII. quid interea cum ea gente Epitom. LVI. usque ad annum IↃCXXXIX. gestum fuerit, nondum in Annalibus veterum satis deprehendi.

Quem duxerat Cato.] C. Porcius Cato consul infeliciter cum ea gente pugnavit: sed eam cladem T. Didius prætor accurrens usque adeo feliciter Cicer. Pison. correxit, quod de eadem triumphaverit. Catoni successit C. Metellus Caprarius cos. qui etiam, teste Eutropio & Vellejo, de Thracia triumphum duxit.

Drusus.] M. Livius Drusus consul Metello successit, qui Scordiscos fudit fugavitque, magnumque honorem tulit, omnesque ultra Istrum & Danubium propulsavit. Epit. LXIII. DCXLI.

Minucius Piso.] M. Minucius Rufus proconf. cum a Scordiscis Dacisque premeretur, quibus impar erat numero, præmisit fratrem & paucos equites una cum æneatoribus, præcepitque, ut cum vidissent contractum prælium, subitus ex diverso se ostenderet, juberetque æneatores concinere. resonantibus montium jugis species ingentis multitudinis offusa est hostibus, qua perterriti dedere terga. Frontinus lib. II. Eutropius. Epitom. LXV. Vellejus. Pisonis istius nec mentionem apud alios observare potui, nec tempori, in cujus imperium ista victoria caderet, aliquis e Pisonum familia æqualis est, estque longum intervallum inter Rhodopen Thraciæ & Caucasum Schytiæ montes. quare nos hanc Pisonis victoriam in dubio relinquimus, nisi ad L. Pisonem illum, qui sub Augusto Thraces vicit, sæculo uno posteriorem respexerit.

Curio Dacia tenus venit.] C. Scribonius Curio Proc. primus intra triennium Dardanis & Mæsis debellatis, arma Romana ad Danubium usque promovit, ultra quem Dacia in ripam septentrionalem Danubii porrigitur Appio Claudio, qui Rhodopæis edomitis morbo consumtus erat, Curio Orosius L. 5. (ut

(ut in aliorum Annalibus est) successit, qui re bene gesta proc. triumphavit anno ɪↄcʟxxxɪ.

Pædianus, Rufus, Eutrop. Oros.

Lucullus.] M. Terentius Lucullus Thraces Aemimontanos edomuit, & quæ ad littora Ponti Istrique, ostiaque ejus sunt urbes, Tomosque Ovidii exsilio nobiles expugnavit, & Scythis arma Romanorum primus ostendit. Tanais Europam ab Asia in ortu terminat, atque in Mæotidem paludem labitur. Triumphasse Lucullum de Thracibus, Bessis, ex triumphorum Annalibus anno ɪↄcxxc. invenio.

ARGVMENTVM CAP. V.

Mithradates Ponti rex xʟ. *annos varia victoria cum populo Romano bellum gerit: ejus potentiam luxavit Sulla, Lucullus fregit, Pompejus extinxit*

COMMENTARIVS.

Bellum Mithridaticum.] Mithradates regum Orientis post Alexandrum Magnum maximus, bello Aristonici auxilia Crasso consuli ut populi Romani socius submisit. deinde hunc ambitio & regnandi libido in diversa consilia distraxit: dum enim bello Cimbrico, Servili, Sociali, civilibus armis seditionibusque Romanos veluti oppressos laborare videret, utendum ea sibi occasione ad regna Asiæ Europæque invadenda occupandaque veluti injuriis obnoxia ratus, pulso Ariobarzane Cappadocum rege P. Romani socio, primas belli causas movit anno ɪↄcʟɪx. quem Sulla prætor ex Senatus consulto, profligato armis Gordio Mithradatis duce, in regnum restituit. Estque hoc bellum a Cn. Pompejo terminatum anno ɪↄcxc. hoc est, anno quam cœperat tricesimo secundo, octo annis ante quadragesimum. Cetera per partes. Mithradates pro Mithridates edere Fastos Capitol. *Goltzii* observavi, imitandum duximus.

In Sinistrum jacent.] Mare sinistrum Pontus Euxinus erit a Roma in Asiam minorem proficiscentibus. gentes omnes, quæ littora ejus accolunt, in genere Ponticas vocat quo tractu ad Propontidem, prima Bithynia, inde Paphlagonia, mox Pontus proprie dicta, cui ad meridiem Cappadocia, ab ortu Armenia est.

A septem Persis oriundus.] Septem Persarum proceres, Magis, qui regnum fraude & conspiratione a Cambysis morte occupaverant, interfectis, de nova regis ex Septemviratu suo creatione ita convenerant, ut cujus equus primum oriente sole ante palatium, equis conscensis, hinnitum edidisset, is rex salutaretur; equini hinnitus prærogativa Darius Hystaspis filius regnum obtinet. Ex his septem proceribus Mithradates unus nomine fuisse creditur, a quo gentem & nomen Mithradates iste Ponticus numeraret.

Herod lib. 3. Just. lib. 1.

Causam --- belli prætenderat apud Cassium.] L. Cassius Asiæ prætor Nicomedem Bithyniæ regem, populi Romani socium, a Mithradate profligatum in regnum restituit, & Nicomedem instigat, ut hanc Mithradatis in se *in*-

juriam

njuriam armis ulciscatur. invadit itaque ille Pontum, eamque late usque ad Amastrim populatur, permittente id Mithradate, ut belli caussas justiores haberet. Quare de hac Nicomedis in agrum suum incursione Pelopidem legatum suum Mithradates conquestum misit ad L. Cassium. Appian. in Mithrad.

Procul Marius, Sulla, Sertorius.] Marius & Sulla civilibus armis, & crudelissima laniena populum Romanum lacerabant. Sertorius Hispaniam contra Romanos armabat. sed ista fusius capite XXI. & XXII. hujus tertii.

Romanæ civitatis homines interfici jussit.] Eo edicto centum quinquaginta millia Romanorum uno die interfecta sunt: sed Valerius Max. octoginta tantum millia putat. Q. Oppium proconsulem & M. Aquilium legatos captos & fœde cruciatos enecavit: idque dum Sulla civili Mariano Romæ occupatus est. ut intelligas Mithradatem non pro regno & gloria, sed odio etiam cum Romanis certasse. Plutarch. Sulla. Vellejus.

Excepta Rhodo.] Rhodus excepit omnes, protexitque quicunque Romani nominis vitæ suæ fuga contra Regis edictum consuluerant: inter ceteros & L. Cassium Asiæ prætorem. Movit itaque in Rhodios classe Mithradates, sed fortiter navali prælio a Rhodiis profligatus, multaque terrestri oppugnatione frustra conatus, obsidionem solvit. Appia. in Mithrid.

Subruto Piræei portu.] Piræeus Atheniensium portus e quadrangulis saxis, quæ laminis ferreis connectebantur, a Pericle bello Peloponesiaco munitus est, ad sexaginta fere pedum altitudinem, latitudinem vero tantam, ut onusti duo currus sibi occurrentes sine offensione mutua prætergrederentur. Hujus muri partem cum magno militum labore Sulla & cuniculis subruisset, Archelaus Mithradatis præfectus novas iterum intus munitiones erexit, ita ut oppugnantium & defendentium mutua clade cum multum temporis traheretur obsidio, Sulla totum impetum in Athenas convertit, ubi fames tanta fuit, ut medimnus tritici veniret mille drachmis (atque cum modius sit medimni sexta pars, venisset ea ratione modius $166\frac{2}{3}$ drachmis: & eadem ratione panis unius libræ emebatur $6\frac{1}{3}$ regalibus Hispanicis) lora, calceos, vasaque aquis macerata in alimentum verterent, nec deessent qui cadaveribus vitam sustinerent. Tot calamitatibus fractas Athenas Sulla Kalend. Martiis expugnavit, anno IↃCLXVII. Plutarch. Sulla. Appianus.

Apud Chæroneam.] Chæronea Bœotiæ urbs ad Cithæronem montem Plutarchi patria est, juxta quam Sulla Archelaum Mithradatis imperatorem CXX. millium exercitu suffultum præruptisque locis vallatum, cæsis centum decem millibus fudit, fugavitque; ipse autem XIV. tantum milites se in eo prælio desiderasse scribit.

Apud Orchomenon.] Dorylao Mithradatis præfecto iterum cum XXC. millium exercitu in Græciam venienti sese Archelaus ad Orchomenum urbem Achajæ conjungit, cum quibus Sulla castra confert, & ut prævalidi equitatus hostium impetum tardaret, frequentes fossas X. pedes latas fodere jubet;

Digitized by Google

bet; irruente tandem hostium equitatu nonihil trepidatum est a Sullanis, sed acuit ille suos ad resistendum, dum signum a suis correptum, magno impetu in hostes infert, vicitque feliciter cæsis XV. millibus hostium, & Diogene Archelai filio.

Nisi de Mithridate triumphare cito, quam vere voluisset.] Tot cladibus, & Sullæ felicitate territus Mithradates pacem per Archelaum a Sulla petit, quam a Sulla tempestivius & facilius ideo impetravit, quod Romæ absente Sulla, Marius & Cinna adversæ factionis principes, Rempublicam crudeliter & fœde dilacerarent, & quod Cinnæ jam in consulatu regnantis auctoritate L. Valerius Flaccus (qui in Marii consulis VII. in magistratu mortui, locum successerat) Sullæ successor, cum Fimbria legato mitteretur. Sed Flaccus propter avaritiam invisus exercitui suo a C. Fimbria occisus est. isque exercitu occupato cum Mithradatis copiis bene pugnavit. Ilienses, quia Sullanarum partium erant, expugnatos crudelissime funditus igne delevit. Ipse autem, Sulla in Asiam e Græcia veniente, exercituque suo ad Sullam transeunte desertus, Pergami sibi manus cum intulisset, a servo suo adiuvante ictum, interfectus est.

Ita ille de integro, —— veniebat.] L. Murena prætor a Sulla relictus, Mithradati bellum adversus fœdus infert. Haly flumine superato quadringentos Mithradatis in Ponto vicos incendit. Murena, legatis a Roma referentibus non placere Senatui, quod regi fœderato bellum moveretur, non solum ab incepto non destitit, sed majori conatu iterum cum rege congressus, castris ac exercitu exsutus in Phrygiam fugit. Mithradates Cappadociam pulso iterum Ariobarzane occupavit. Sulla iniquum ratus si Mithradates contra fœdus vexaretur, Murenam a bello revocavit. Mithradati, restituta Ariobarzani Cappadocia, pax data est. Tenuit hoc bellum biennium, Murena de Ponto & Mithradate triumphavit. Mithradates iterum nova interea bellorum consilia, novos belli apparatus moliebatur. Cum Sertorio quoque adversus Romanos societatem jungit, L. Magio & L. Fannio, qui a Sulla ad Mithradatem transfugerant, internuntiis. Sertorius Marium ad regem, ut eo belli duce uteretur, mittit. Rex ineunte vere in Bithyniam, quæ populo Romano a Nicomede testamento relicta erat, irrumpit. M. Cottam apud Chalcedonem terra fudit, mari classe pulcherrima exsuit, inde ad Cyzicum obsidendam sese convertit. Cicero. pro l. Manil. [margin: Cicero. xcl.xxix.]

Cyzicum.] Cyzicum insula in Propontide, quæ duobus pontibus continenti adhæret, estque in ea urbs clarissima, de qua Florus. L. Licinius Lucullus, Mithradatis exercitu terra marique a frumentatione intercluso, urbem obsidione liberavit. Rex præmissa Lampsacum copiarum parte, classe Parum fugit. Lucullus hostes ad Aesapum fluvium (ita enim Aesapus, non Asopus ex Strabone, Hesiodo, & Ptolemæo scribendum est) assecutus cecidit. partem alteram ad Granicum juxta Lampsacum a septemtrione ex Ida fluentem prosecutus interfecit. uterque fluvius ex Cyzico terrestri itinere Lampsacum petentibus occurrit. Plutarchus scribit ad Rhyndacum fluvium Mithradatis [margin: in Lucull.]

exerci-

exercitum a Lucullo cæsum, juxta Apolloniam Mysiæ, alterum ad Granicum; periisse in utroque conflictu trecenta millia hominum.

Rex —— spargi a fugientibus sarcinas & pecuniam jussit.] Lucullus Mithradatem sese in Asiam recipientem juxta Cabira Ponti urbem, ad Paryadræ montis radicem sitam assecutus, feliciter pugnavit, cæsis hostium LX. millibus. Mithradates e regno fugiens maximam vim auri atque argenti, pulcherrimamque rerum omnium supellectilem sparsit. quæ dum milites Romani colligunt omnia diligentius, rex ipse qui idem in potestatem venisset, e manibus effugit. Lucullus inde Ponticas urbes partim deditione accepit, partim vi expugnavit, Macharem Mithradatis filium Bospori regem in amicitiam recepit. Iterum cum Mithradatis & Tigranis Armeniæ regis copiis acie conflixit pridie Non. Octob. atque regem Tigranem, qui Mithradatem socerum adiuverat, fudit. Tigranocerta regiam Armeniæ cepit, Armeniæ partem occupavit. Mithradates Triarium Luculli legatum e Cabiris moventem cum omnibus fere copiis in itinere oppressit. Lucullus militum suorum seditione impeditus, & ab iis destitutus eam injuriam ulcisci non potuit. Missusque est Lucullo, cum septem annis hoc bellum gessisset, successor Cn. Pompejus, vel quia tam diuturna potestate imperiis assuescere suos duces nollet populus Romanus, vel quia ab æmulis accusatus erat Lucullus, ipsum de industria bellum, quod conficere posset, cum Mithradate protrahere. Cicero Manilia. IƆCXXCVI.

Et luna in partibus.] Quotquot auctores hujus belli habeo, scribunt lunam in occasum devergentem Romanis a tergo fuisse, & hinc ut propius ad Horizontem prolabitur, ita productiores Romanorum umbras porrigit, deceptos inani imagine Ponticos, in umbrarum spectra in irritum tela conjecisse. Plutarchus in Pompejo, Orosius, Frontinus lib. II. & Romanos in Ponticos ita exarmatos irrupisse, victoriaque potitos esse. Prælium hoc ad Dastracum montem in Armenia minore accidit. Oros.

Male tentatum veneno spiritum ferro expulit.] Mithradates amuletis & antidotis assidue devoratis, ita firmaverat vitalia contra venena, quod ne præsentanea quidem letalique potione sibi vitam eripere cum vellet, potuerit. Inde Mithradaticum amulетum a regis istius inventione nominatum apud Pharmacopœos exstat, quod contra pestilitatem & venena efficax habetur. Rex Mithradates cum invalido ictu semetipsum percussisset, usus servi sui manu, vel, ut alii volunt, a Bithoco Gallo, precibus ab ipso ad id exorato, confectus est. Plin. lib. 28. cap. 8.

ARGVMENTVM CAP. VI.

Piratæ, qui commercium latrociniis intercludebant, intra XL. *diem a Cn. Pompejo edomiti sunt.*

COMMENTARIVS.

Bellum Piraticum.] Piratæ dum populus Romanus domi seditionibus & Cimbrico bello laborat, maria latrociniis vexabant, qui a M. Antonio prætore a Byzantiis adjuto, in Ciliciam profligati sunt. Inde cum majore iterum mole convalescerent, ut per mediterraneum mare ubique latrocinarentur, a P. Servilio proconsule per quinquennium in Cilicia varie afflicti sunt. Pergamenon etiam archipirata, qui Siciliam prædabatur, a L. Metello prætore & mari & terra profligatus est. Sed cum ipsorum potentiam hactenus per tot annos tres etiam imperatores frangere non potuerint, quin mare mediterraneum latrociniis ita infestarent, ut commeatus & annonæ commercia intercluderent, bellum piraticum lege Gabinia ipsi Pompejo permissum est, ut maria, insulas, oras maritimas, & continentem ad quingenta a littore stadia, exercitus, classes populi Romani potestate extraordinario imperio haberet. Pompejus rem per XV. legatos aggressus, prospere gessit, ita ut extrema hieme bellum ab ipso apparatum sit, ineunte vere susceptum, æstate confectum.

Tacitus. IↃↃLI. IↃↃCLXXIV. IↃↃXXCIV.

Cilices invaserant maria.] Ciliciæ Asiæ minoris regio, ab ortu Amano monte, ab occasu Pamphylia, a septemtrione Tauro monte & Cappadocia, a meridie mari mediterraneo & sinu Issico clauditur. eam in Thraciotida sive Asperam, & in Campestrem sive Planam Scriptores dividunt. in Thraciotide ultra Taurum est Isauria regiuncula, & Isauros urbs, quam Servilius vi, quia prædonum arx erat, expugnavit. Isauros postea dicta fuit Claudiopolis a Claudio Cæsare, qui eo coloniam deduxit.

Cicero in Verrem.

Myoparonas,] Myoparon prædonum & piratarum navigium erat, quod forma mixta ex nave oneraria & longa triremi fabricatum erat. quare accommodatum & expeditum semper ad celeritatem, sive remis sive velis utendum esset, nunc galeonem vocant.

Strabo. 14. Cicero in Verrem.

Phaselin, & Olympon evertit.] Phaselis & Olympus urbes sunt Lyciæ maritimæ & maximæ; quæ piratarum & prædonum semper domicilium & receptaculum fuerant, & ea de caussa hoc bello etiam a Servilio expugnatæ & deletæ sunt.

Plutarch in Pomp. App. in Mithrad.

Classibus suis --- complexus est.] Classem quingentarum navium habuisse dicitur, peditum CXX. M. equitum V M. legatos quindecim. quibus alii aliter & nomina adscribunt, & provincias, & maria portusque distribuunt. atque ista Pompeji in opprimendis piratis prudentia satis convincit, Romanos duces fuisse Geographiæ peritissimos, qui Mediterraneum mare, ubi est fretis angustum, classe distributa ita obsiderent, ut piratas veluti indagine cape-

Digitized by Google

rent, aut includerent. adhæc littora provinciarum etiam a Myoparonibus piraticis ita liberarent, ut mox annonæ commercia laxaret.

Quadragesimo die parta est.] Quadragesimo die a ferro Herculeo Balearicum, Africum, Sardoum, Gallicum, Ligustinum, & Tuscum lustrasse, & res cum legatis ordinasse alii scribunt: inde a Brundisio in Ciliciam profectum, & captis partim prædonibus, partim interfectis Ciliciam populi Romani imperio adjunxisse. Captis autem piratis agrum assignavit, ne ex inopia ad piraticam relaberentur, Solosque Ciliciæ urbem a Tigrane Armeniæ rege vastatam instauravit, eamque de suo nomine Pompejopolin vocavit, captivosque piratas ejus urbis colonos scripsit. Cicero pro lege Manil.

ARGVMENTVM CAP. VII.

Creta a Metello consule edomita, & in provinciæ formam redacta est.

COMMENTARIVS.

Creticum bellum.] Cretam alteram piratarum arcem sive fontem Plutarchus vocat. M. Antonium triumviri patrem cum amplissimo in eam imperio missum fuisse, turpissimeque victum, & morbo ibidem periisse, antequam Pompejus in piratas moveret, Cicero testatur. Huic Q. Metellus proconsul in eam missus succedit, sed cum lege Gabinia Pompejus etiam ad suum imperium Cretam pertinere asseveraret, magno odio inter duces & contumeliis utrimque certatum est. usque adeo quod Metellus, iracundia exasperatus, dum sese Cretenses aliquot Pompejo ut clementiori dediderunt, acerbissime in eos consuluerit. etsi Pompejus ad accipiendos illos in deditionem, L. Octavium (qui hic Antonius male scribitur) misisset, ille contemto etiam legato, & irrisa Pompeji ambitione, Lappam urbem quam Octavius præsidio ex piratis collecto munierat, expugnavit, & supplicium de piratis illis præsidiariis sumsit. In Pomp. Pædianus. Divinat. Plutarch. in Pomp. Dio.

Lasthene & Panare.] Lasthenen & Panaren captos in triumpho ducere nequivit Metellus, quod Pompejus eos a Metello per Tribunum plebis, ut suos dedititios abstulerit: ita ut Pompejus ornamentum triumphi Metellici subduxerit. Q. Metellum invitis æmulis invenio de Creta triumphasse, & ab insula Creticum nominatum anno IↃCXI. Tentatam & antea Cretam a Q. Fabio Labeone Prætore auctor est Livius: sed eum cum nihil dignum memoria gessisset, paucis tantum Romanis qui in insula serviebant receptis, inde abscessisse. Vellejus.

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAP. VIII.

Metellus Baleares insulas expugnat.

COMMENTARIVS.

ɪɔcxxx.
Strabo 13.
Epitom. lx.
Orosius.
ɪɔcxxxvii.
Plinius lib. 7. cap. 44.
Velleius.
Valer. Max.
ɪɔcxxxiix.

Metelli Macedonici domus.] Q. Metellus Metelli Macedonici maximus natu filius, qui & patre vivo consul & censor fuit. Baleares insulas proconsul edomuit, unde Balearici cognomen acquisivit. Magna est apud Florum ἀνιστορησία, quod Balearicum faciat Cretici fratrem, & utrumque Macedonici filium: nam Balearicus fratrem habuit L. Metellum Dalmaticum a Dalmatia devicta cognominatum. ita ut funus Macedonici patris a duobus filiis triumphalibus elatum fuerit. sed Creticum cujus superiore bello cognomen a Creta devicta sumtum est, L. Metelli Dalmatici filium, Macedonici nepotem ex tabulis Capitolinis verisimile est, ita ut hic sexaginta annorum intervallo in tempore digerendo ex nominum confusione aberratum sit.

Baleares.] Baleares quæ sunt insulæ in mari Mediterraneo, Tarraconensis Hispaniæ littoribus adversæ, Græcis etiam Gymnesiæ dictæ, cetera Florus. Hodie major illa Majorca, minor Minorca vulgo dicitur. Baleares a studio per fundas feriendi nomen invenisse, ab aliquibus scriptum est. eorum opera in bello frequenter usos deinceps esse Romanos, apud rerum gestarum scriptores invenies.

ARGVMENTVM CAP. IX.

M. Cato in Cyprum lege Clodia profectus, pecuniam & supellectilem regis Ptolemæi Romam navibus revulit.

COMMENTARIVS.

Expeditio in Cypron.] P. Clodius hostis Ciceroni acerrimus e patricia gente in plebejam sese a M. Fontejo adoptandum, consule Cæsare adnitente, dedit, ut Tribunatum pleb. per legem Sacratam (qua cavebatur, ne cui patriciorum plebejum magistratum capere liceret) accipere posset; quem cum cepisset, ut Ciceronem per exsilium pelleret, Catonem qui solus illum protecturus videbatur, honesto prætexto, ut ab Vrbe abesset, lege lata ablegavit. Vt Cyprus insula in provinciæ formam redigeretur, ac bona regis Ptolemæi publicarentur, idque negotium M. Catoni viro integerrimo mandaretur. Profecto Catone Ciceronem mox lege lata, quia cives Catilinæ socios sine populi judicio necasset, Vrbe expulit. Cæsaris etiam & Pompeji gratiam sibi confirmasse Clodius opinabatur, quod Catonem eorum consiliis gravem amovisset: illo enim solus Cæsaris Pompeiique coitiones

ɪɔcxcv.

Digitized by Google

nes & factiones ut Reipubl. perniciosas, publice concionabatur esse dissociandas, nec iis Rempublicam per affinitatum necessitudinem esse prodendam. Strabo caussas hujus legis a Clodio latæ refert in regis avaritiam, qui Clodium a piratis captum redimere noluerit, & in Clodii privatam cum Ptolemæo rege simultatem. facitque Ptolemæum Cleopatræ reginæ Aegypti patruum. lib. 14.

Cypros recepta sine bello.] Cyprus insula ab ortu Issicum sinum & mare Syriacum, ab occasu Lycium & Pamphylium, a septemtrione Cilicium, a meridie Aegyptium habet. In hac virgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quæsituras, in quæstum ad littus maris mittebant, teste Iustino, & hinc Veneri sacram esse habitam. lib. 18.

Veneno fata præcepit.] Canidium familiarem suum in Cyprum præmiserat Cato, qui Ptolemæo ut sponte legi Clodiæ cederet, persuaderet; daturum ipsi populum Romanum Veneris Paphiæ sacerdotium, quod ut opulentissimum, ita præcipuæ dignitatis apud Cyprios habebatur. Rex hausto veneno ab ea contumelia sese liberavit. Confectam pecuniam septem millium talentorum scribit Plutarchus: at cum talentum, ut nunc est temperamentum CCC. aureos Regales valeat, facile est hanc summam cum nostrate pecunia conferre. estque digna præda propter quam unius insulæ rex regno expelleretur. Cyprum postea a Iulio Cæsare Cleopatræ Aegypti reginæ concessam, & post mortem ejus ad Romanos rediisse invenio. Plutarch. in Caton. Vtic.

ARGVMENTVM CAP. X.

Cæsar Galliam ulteriorem per annos novem variis bellis edomuit, Germanos Rheno superato profligavit, Britanniam insulam invasit.

COMMENTARIVS.

Reliqua quæ restabant in Europa, fortuna in Cæsarem transtulit.] Cæsar in consulatu suo, quem cum Bibulo anno IↃCXCIV. cepit lege agraria popularem auram assecutus, Illyricum & Galliam citeriorem cum tribus legionibus lege Vatinia a populo per quinquennium obtinuit, mox senatus ulteriorem etiam ipsi Galliam cum una legione decrevit. Cæsar ut sibi absente & in Galliam profecto, etiam in Vrbe potentiam & amicos confirmaret, Pompejum Magnum sibi per filiam Iuliam generum, Calpurnium Pisonem consulem designatum sibi per Calpurniam filiam socerum comparat, Ciceronem & Catonem suis consiliis infestos ab Vrbe amovet. idque lege lata de P. Clodii Pulchri adoptione. Cæsar enim offensus Ciceronis pro C. Antonio oratione, qua temporis statum Iulio consule deplorabat; eadem die & hora nona a patriciis ad plebem traduxit. Cetera de Catonis expeditione nos superiore capite diximus, & deinceps per partes sumus cum Floro dicturi,

Im-

Digitized by Google

Immanissimi gentium Galli.] Galli ut e finibus suis exierunt, & in Romanos moverunt, vel ipsi a Romanis lacessiti sunt, ita in notitiam populi Romani ampliorem venerunt, & nomina primum acceperunt a sedibus in quas migrarunt: ut Cisalpini dicti, qui Alpibus superatis, Superbo regnante in Italiam descenderunt. Transalpini qui in Gallia manserant, dicti sunt. Transalpinam Galliam Cæsar Vlteriorem, Cisalpinam Citeriorem vocat. Citerioris in Italia terminus ab Alpibus ad superum mare Rubicon fluvius & Ariminum erat; ad inferum mare Luca Liguriæ civitas, & Arnus fluvius. Cisalpina etiam Gallia flumine Pado in Cispadanam & Transpadanam aliquando divisa est. Gallia inde omnis a cultu Gallorum distingui cœpit. Togata dicta est Cisalpina Gallia a togis, quibus utebantur Citerioris Galliæ populi: Transalpina vero sive ulterior in Braccatam & Comatam. Braccata erat quæ ad mare Mediterraneum, hoc est, in Ligustinum & Gallicum protendebatur; a Braccis vestium genere brevi & præcincto, & ad terrorem movendum composito. Comata a promissis comis, qua Gallia in occasum & septemtrionem ad Oceanum usque porrigitur. Vlteriorem deinde Cæsaris imperio notiorem per flumina in partes tres destinxerunt. Aquitaniam Pyrenæis montibus, littoribus Oceani, & Garumna flumine includunt. Celticam, quæ Romanis proprie Gallia dicitur, Rhodano a Narbonensi, Sequana & Matrona a Belgica, Garumna ab Aquitanis distinguit. Belgicam ab ortu & septemtrione Rhenus a Germania separat. Galliam iterum aliter ab Augusto terminatam suo loco dicemus.

Ab Helvetiis.] Helvetios Cæsar ab ortu a Germania Rheno dividit; a meridie Iura monte, Lemanno lacu, Sequanis & Rhodano fluvio a Narbonensi Gallia & provincia distinguit. hodie Suiizeri dicuntur.

Rhodani ponte rescisso.] Cæsar audito Helvetiorum motu, iter ab Vrbe Genevam maturaverat, & ut viam Helvetiis præcluderet, pontem qui ad Genevam erat, rescindi jussit. Geneva enim extremum oppidum Allobrogum, proximum Helvetiis erat. Helvetii missis ad Cæsarem legatis, iter ut ipsis per provinciam sine maleficio facere liceret, rogabant. Cæsar deliberandi spatio usque ad Idus Aprilis sumto, murum a Lemanno lacu ad Iuram montem XIX. mill. passuum longum ducit, & ita Helvetios, a profectione prohibet. Ipsi ad Ararim deflectunt, Cæsar traiicientes ipsos, & quartam partem nondum traductam concidit, aut fuga dissipavit. Iterum Divicone legato frustra ad Cæsarem misso, pergunt in Aeduos, equitatum Cæsaris IIII. millium numero avidius insecutum, aliquot occisis, represserunt. Inde Cæsar ipsorum vestigiis semper insistens, eos a populationibus coercebat, & magno difficilique prælio in itinere eos fudit fugavitque, ita ut CXXI. millia hominum ex CCCLXVIII. millibus superessent. qui in Lignonum fines profecti, inopiaque fracti, sese supplices Cæsari per legatos dediderunt, quos obsidibus datis, armis & perfugis traditis, in fines suos, unde erant profecti, redire, oppida vicosque quos incenderunt, restituere jussit.

Sequens —— pugna Belgarum.] Sequenti anno Cæsar in Belgas, qui per hiemen

Digitized by Google

hiemen inter se contra Romanos conjuraverant., exercitum duxit: Belgas ad Axonam flumen cecidit. inde in Suessiones, Bellovacos, Ambianos profectus, ipsos quia sese dedebant, in fidem recepit. Movet inde in Nervios bellicosissimam Belgarum gentem, quos cum Atrebatibus & Veromanduis ipsorum sociis difficillimo ad Scaldim fluvium prælio ad internecionem vsque delevit. Aduatici, Cimbrorum & Theutonum progenies Nerviis auxilio veniebant, atque ipsorum clade, quam in itinere intellexerunt, perterriti, domum dilabuntur, & sese Cæsaris clementiæ permittunt. M. Cicero, qui superiore anno ab Vrbe lege Clodia expulsus fuerat, hoc anno lege Centuriata Sextili mense lata, maximo Senatus gaudio & universæ Italiæ revocatus est XVI. quam exsulaverat mense. sub finem namque Martii mensis anno superiore in exsilium pulsus est, revocatus hoc anno rediit Romam pridie Nonas Septembr.

Inde cum Venetis etiam navale bellum.] P. Crassus Cæsaris legatus superiore anno Venetos, Vnellos, Osisinos, Curiosolitas, Sesovios, Aulercos, Rhedones, maritimas Galliæ ad Oceanum Britannicum civitates in deditionem redegerat, atque cum Cæsar in Illyrico ipsa hieme profectus erat, Veneti, equites frumenti petendi caussa a P. Crasso, qui Andibus hiemabat, missos retinebant, ut datos Cæsari obsides eorum permutatione recuperarent. Hoc factum ceteræ civitates sequuntur, omnesque sollicitatæ sociatæque inter se conjurant. eam injuriam Cæsar armis prosecuturus cum exercitu proficiscitur in Venetos, & ut auxilia ipsorum distineret, singulis nationibus per legatos bellum movet, qui re bene gesta hostes partim metu, partim deditione imperata facere coegerunt. Cæsar Venetos navali prælio per D. Brutum victos in deditionem accepit. Crassus Sontiates, Aquitanos & maximam Aquitaniæ partem; Sabinus Vnellos & maritimas civitates, & Viridovicem ipsorum ducem vicit. Cæsar inde in Morinos & Menapios adhuc armatos bellum convertit, sed superveniente tempestate & hieme, & quia illi paludibus & silvis se suaque abdiderant, militem in hiberna reduxit, ipse Lucam in Italiam proficiscitur, quo ab Vrbe Pompejus, Crassus, Claudius, Metellus Nepos, aliique Senatores colloquendi gratia convenerunt. Cæsar lib. Comment. III. Plutarch. in Cæs.

Ambiorix concitavit Eburones.] Cæsar ex Britannia victor reversus L. Domitio, Ap. Claudio coss. concilium Gallorum Samarobrinæ indixit, & quia frumentum ob siccitatem angustius provenerat, coactus est legiones suas per plures civitates in hiberna distribuere. Legionem unam & quinque cohortes, quibus legatos Q. Titurium Sabinum & L. Aurunculejum Cottam præesse jussit, in Eburones qui Ambiorigi & Cativulco parebant, misit. T. Labienum cum quarta legione Rhemis in confinio Trevirorum hiemare jussit. Induciomarus Trevir Cæsari infensus quia Cingentorigem æmulum ipsi prætulisset, cum Ambiorige, quem tamen multis sibi beneficiis Cæsar antea devinxerat, & Cativulco ut opprimerentur legiones, conspirat. Ambiorix subito ad Cottæ & Sabini castra properat, a quibus vi repulsus dolo agit. Sabinum ac Cottam

Digitized by Google

tam simulata officii benevolentia admonet, ut suæ ac militum saluti consulant, Galliam, ut communem libertatem a Romanis vindicaret, conspirasse: accitos stipendio in auxilium Germanos, qui jam superato Rheno intra biduum adfuturi essent; ipsi consulerent, velintne ad Labienum aut Q. Ciceronem quorum castra L. millium passuum abessent, in tutum priusquam copiæ Gallorum conveniant, suos deducere; se tutum iter per fines suos daturum. mox itaque in castris convocato concilio certatum est sententiis acriter inter duces. Sabinus eundum ex amicissimi regis Ambiorigis consilio contendit. Cotta nihil temere credendum hosti, nec legionem insidiarum periculis in itinere objectandam disputat. tandem Cotta ceterorum consensu victus est, & profectio prima luce pronuntiatur. eos solutis ordinibus abeuntes, hostes ex insidiis adoriuntur, & velut indagine clausos eminus lacessunt, fortissimum quemque vulnerant, aut circumfusi occidunt. Titurius tot malis circumventus, dum Ambiorigi deditionem offert, occiditur: Cotta strenue pugnans cum maxima militum parte interficitur: cetera pars in castra recurrens sese mutuis vulneribus confecit. Inde Eburones adiunctis Advaticis & Nerviis sese in Q. Ciceronem qui apud Nervios hiemabat, convertunt, a quo fortiter repulsi sunt, nec dolo nec vi pares, & superveniente Cæsare cum VII. millibus, funduntur fuganturque LX. millia hominum. Induciomaro sui contemtum studio etiam T. Labienus augebat, quousque auxiliis in castra quam occultissime arcessitis, eundem ex more solito temere castris insultantem subita & nec opinata eruptione profligaverit, fugientemque in vado fluminis assecuti equites interficiunt, caputque cæsi in castra referunt. Cæsar lib. quinto. eadem Dio, & Plutarchus. male hic scribitur Dolabella pro T. Labieno.

Quæ Ariovisti superbia?] Ariovistus Cæsare consule, rex & amicus a Senatu appellatus erat, qui Aeduis cum Arvernis & Sequanis de *Galliæ principatu* contendentibus, contra Aeduos ut potentiores mercede in Galliam cum Germanis arcessitus erat, atque cum ille per vim occupatos Sequanos crudelissime vexaret, Aeduosque congredi ausos magna calamitate affixisset, Aeduorum precibus, & Senatus consulto, quo Aedui ut socii defendendi erant, Cæsar commotus, nihilque pacati ab Ariovisto Cæsaris legatis responderetur, in Ariovistum movet, & ex itinere Vesontionem occupat, præsidioque firmat: cum ibidem Cæsar ob belli apparatum hæreret, consternatione exercitui suo oborta, quia hostium ferocia verbis nimium & fama efferebatur, metum suis omnem veris rationibus dissolvit, & mox in hostem movit. quem nequidquam colloquiis tentatum, & Harudum, Marcomannorum, Triboccorum, Vangionum, Nemetum, Sebusiorum, Suevorum auxiliis suffultum, & acie, quia ante novam lunam ne pugnaret, ipsi a sortilegis mulierculis obnuntiatum erat, decernere cunctantem, ad prælium tamen cogit, superat, & ultra Rhenum profligat. Cæsar lib. primo. Plutarch. Dio.

Ut testamenta passim etiam in principiis scriberentur.] Testamenta militaria qui

qui in aciem prodituri erant, antequam scuta caperent, & togis se præcingerent, hoc est, in procinctu, tamquam ad certam mortem eundum esset, faciebant, tribus aut quattuor audientibus. At acies ita apud Romanos instituebatur, ut prima hastatorum, altera principum esset, tertiam triarii clauderent. Quare principia pro secunda acie frequenter apud alios & hoc loco a Floro ponuntur.

Se testudine barbarus tegeret.] Testudo hoc loco militum manus dicitur quæ confertis super capita scutis sese contra impetus lapidum & telorum desuper cadentium protegit.

Iterum de Germano Tencteri querebantur.] Cn. Pompejo & M. Crasso iterum coss. Vsipetes Germani, Tenchtheri qui a Suevis bellicosissima & maxima Germaniæ gente exacti, triennio per Germaniam vagabantur, non longe ab Rheni ostiis in Galliam traiiciunt, Menapios profligant, ipsorumque sedes occupant. Cæsar his de rebus certior factus, cui mobilitas & Gallicæ gentis infirmitas suspecta erat, maturat in Germanicam expeditionem, confirmatque Gallorum animos jam utcumque labefactos. Germanos qui jam trajecerant Rhenum, dum legatos ipsorum pro agris petendis missos retinet, ex improviso nec tale quid opinantes adortus, CCCCXXX. millia hostium non longe a confluente Mosæ & Rheni profligat, castris exfuit, & dissipat, & perpaucis suorum vulneratis, periculosissimo bello defungitur. Vbii qui ultra Rhenum habitabant, Suevis vectigales & nunc obsidibus Cæsari datis populi Romani amici, Cæsaris auxilium contra Suevorum injurias orabant. quare Cæsar ut Vbios defenderet, ut Germanos etiam propiore periculo & bello domestico frangeret, Rhenum ponte sublico intra decimum diem confecto superavit, & in Sicambros signa convertit: illi & ceteri Germani Suevique sese in silvas & paludes una cum rebus carissimis receperant: Cæsar late populatis igne ferroque ipsorum agris, & Vbiis liberatis, XVIII. die iterum in Galliam exercitum reduxit, pontemque rescidit. Hujus pontis structuram ut Cæsar elegantissime & absolutissime describit, ita cum Iocundus Veronensis corrupte depingit, Cardanus in subtilitate sua subtiliter, Io. Buteo in Geometricis diligenter & fideliter. Cum Pompejus & Crassus Cæsaris etiam factione coss. essent declarati, id enim superioris anni conventu Lucæ per coitionem optimatium conceptum fuerat, provincias lege Trobonia, frustra intercedente Catone, in quinquennium Pompejus Hispaniam, Crassus Syriam & Parthicum bellum, Cæsar Gallias & Germaniam in alterum quinquennium novo exemplo per vim obtinuerunt. Iulia uxor Pompeii e partus doloribus etiam periit, atque ita necessitudinis vinculum illud, quo Cæsar & Pompejus solum in amicitia tenebantur, abruptum est, cum filiola etiam quæ nata erat, statim matrem sequeretur. anno proximo id accidisse, cum Cæsar Britanniam peragraret, testatur Seneca de consolatione ad Marciam, & Cicero ad Q. fratrem lib. III.

Classe igitur comparata Britanniam petit.] Cæsar qui intelligebat Britannos

Digitized by Google

hostibus populi R. auxilia subministrare, aut profugos etiam excipere, in eos proficisci decrevit. Bis itaque hac de caussa in Britanniam insulam trajecit; Primo sub Autumni æquinoctium, cum tertia vigilia e Morinorum portu solvens, hora circiter diei quarta in Britanniam appulit Pompejo & Crasso coss. ipse Britannos facto prælio ut se ejus clementiæ permitterent, impulit. sed cum classis ejus quæ equitatum transportabat, ob incognitum Romanis æstum Oceani circa plenam lunam, & circa æquinoctia, quod etiam Tacitus testatur, sævissimum, fœdissima tempestate disjecta est. Quæ res Britannos ad rebellandum erexit, sed iterum fusi fugatique, imperata datis obsidibus facere coacti sunt. Cæsar cum suis incolumis in Galliam rediit. Atque cum Britanni quos promiserant obsides non misissent, iterum Cæsar in Britanniam navigat, solvitque ab Iccio portu ad solis occasum, Africo spirante, & ad insulam magno cum militum labore accessit meridiano fere tempore: oborta enim malacia ad terram remigandum erat. Hostes navium multitudine, erant enim octingentæ, perterriti a littore discesserant; eos Cæsar insecutus, Cassivellanum regem, quem suis copiis Britanni præfecerant, profligat. Trinobantes & alias Britanniæ civitates in deditionem & ipsum etiam Cassivellanum accipit, vectigalemque populo Romano Britanniam facit, & quia in Gallia hiemare decreverat, sub æquinoctium Autumnale VI. kal. Octobris, secunda inita cum solvisset vigilia, prima luce cum classe incolumi Galliam attigit L. Domitio, Appio Claudio consulibus. Cæsar lib. V. Dio Plutarchus.

Cic. Att. lib. 4. epist. 15. *Conjuratio fuit Gallarum.*] Gallia tota pro libertate contra Romanos conjurat, Cn. Pompejo sine collega consule anno IↃCCI. dum Cæsarem civilibus motibus remoratum, & nivium quæ in Alpibus ceciderant, altitudine a Gallia exclusum opinantur, initium a Carnutibus cepit, qui reliquorum societatem jurejurando sibi adstringunt, ac die condicta Genabum profecti, cives Romanos, qui negotiandi caussa ibidem constiterant, interficiunt. ea fama eodem die ad Arvernos per CLX. millia passuum perlata, eos etiam ad arma duce Vercingentorige Arverno incitat, qua contagione & ceteri Galliæ populi in bellum trahuntur.

Per invios ad id tempus montium tumulos, —— Galliam occupat.] Gebennam montem qui Arvernos ab Helvetiis dividit, durissimo anni tempore altissima ad sex pedes nive impeditum Cæsar summo militum labore superat, & in Arvernorum fines pervenit. hinc Vellaunodunum Senonum oppidum per deditionem recipit, inde ad Genabum Carnutum ad Ligerim oppidum proficiscitur, quod dum Genabenses fuga sibi consulere parant, occupat, oppidoque potitur, diruit, incendit; ut civium Romanorum cædi ibidem perpetratæ parentaret; prædam militibus donat, & Ligerim exercitu traducto, movet in Bituriges, oppidum ipsorum Noviodunum ex itinere capit, Vercingentorigis equitatum fundit fugatque; Galli XX. & amplius Biturigum urbes, ut Cæsarem frumentatione & commeatu excluderent, publico consilio incendunt.

Ava-

Digitized by Google

Avaricum —— sustulit.] Avaricum Biturigum oppidum trans Ligerim, fere ab omni parte flumine aut palude circumdatum, ab ea parte ubi aditum angustum habebat, Cæsar, frustra renitente Vercingentorige, maximo militum labore, difficillimo anni tempore, exercitu etiam sui rei frumentariæ difficultate affecto expugnavit, ex XL. millibus armatorum vix octingenti, primo captæ urbis clamore audito, fuga elapsi ad Vercingentorigem incolumes pervenerunt. Cæsar lib. VII.

Alexiam —— flammis adæquavit.] Gergobia Arvernorum oppidum secundum flumen Elaver, in altissimo monte situm est, quod Cæsar oppugnatum omisit, & ad Alexiam Mandubiorum oppidum in colle summo, cujus radices duo duabus ex partibus flumina subluebant, contendit; Vercingentorigem equestri prælio congressum fundit, fugatque in castra; equitatu dimisso ad cogenda auxilia Vercingentorix sese cum octoginta millibus in Alexiam recepit. quem variis munitionibus Cæsar obsessum circumvallatumque inclusit, & ab omni externo auxilio, quod Galliæ totius conspiratione ad liberandam ab obsidione Alexiam convenerat, exclusit: quare in desperationem Alexienses coacti, Vercingentorigem, seseque Cæsari dedunt, & arma proiiciunt.

ARGVMENTVM CAP. XI.

Crassus consul Parthici belli cupiditate ardens, Parthis bellum sine Senatusconsulto, aut lege infert: ipse victus & occisus, ludibrio etiam hostibus fuit, qui avaritiam liquido in caput ejus auro infuso exprobrabant.

COMMENTARIVS.

Cupiditas consulis Crassi.] M. Crassus cum Pompejo iterum consul, lege Trebonia per vim perrogata, Syriam & Parthicum bellum in quinquennium obtinuit, quare Crassus in consulatu ab Vrbe paludatus in Syriam delectu habito properat, nihil dirarum Ateii Capitonis tribuni plebis devotionibus commotus, cum in Syria omnia quieta esse offendisset, ipse belli gerendi gloria, & avaritiæ morbo ardens, in Parthos paulo ante pacatos, & tum etiam Orode regnante quietos, sine Senatusconsulto aut populi jussu movit, ipsorum opulentia solum quæ celebris erat, ad prædandum invitatus. Trajecto Euphrate, ac plerisque Mesopotamiæ locis evastatis aut occupatis, ejus regionis satrapem Talimenum Ilacem, equestri prælio ad Ichnias (id castelli nomen est) facile vicit, atque eodem impetu usus Nicephorum & aliquot Græcæ originis urbes in potestatem redegit: Zenodotiam quæ præsidiarios quos petierant Romanos obtruncaverat, exercitui suo diripiendam dedit. Ea victoria contentus Crassus, urbibusque quas ceperat, præsidio firmatis, in Syriam in hiberna concessit, ac imprudenter Parthis jam a se irritatis spatium ad belli apparatum dedit. Dio, Plutarch. Appianus.

Digitized by Google

Undecim strage legionum.] Legiones Septem Plutarch. in Crasso, equitum quattuor millia, & totidem velitum numerat.

Quum Zeugma transisset exercitus.] Zeugma Assyriæ urbs ad citeriorem Euphratis ripam posita, nomen habet, quod ibi Alexander Magnus ponte catenis juncto exercitum transportaverit. Cum Crassus ibidem copias trajiceret, tam fœda tempestate & profunda caligine circumfusus est, ut sensus aurium & oculorum omnibus adimeretur, & ut veluti prodigio hoc præmonentibus diis ab incepto itinere desisteret, nec signa etiam, tamquam sequi nollent, terræ evelli poterant. pons etiam quasi iter ipsorum reditui præcluderet, tempestate disjectus est. Sed Crassus iis contentis ab Euphrate, qui solus commeatus subvehere, & hostem a latere summovere poterat, in Parthos movit, nec legati Vogesis ab Orode missi, qui contra fœdus quod ipsis cum Lucullo & Pompejo erat, bellum cum sociis & fœderatis susciperet, deterritus est.

Tribunis plebis Metellus.] Tribunum plebis Atejum Capitonem vocant Dio, Plutarchus, Appianus qui diris Crasso proficiscenti ex simultate privata obnuntiabat. quibus neglectis sese, exercitum, & filium perdidit. Diræ imprecationes & execrationes erant ab evocatione deorum inauditorum in illos obnuntiatæ, qui dicto audientes non essent, quæ fere & imprecatoribus & non obedientibus calamitosæ erant.

Mazaræ Syro creditur.] Augarum Arabum præfectum Dio & Appianus, Ariamnem Plutarch. qui Pompejo aliquot officiis fidelem operam navaverat, atque ita tunc sibi fidem in parvis præstruxerat: ut nunc cum operæ pretium esset, magna cum mercede falleret. Constat apud omnes hunc transfugam quocunque nomine fuerit, subornatum a Persis fuisse, ut Crassi credulitate in ipsius perniciem abuteretur.

Carras.] Carrhæ urbs Mesopotamiæ cis Chaboram flumen sita, est in Bibliis Haram sive Charam dicitur, ex Abrahami patriarchæ historia satis celebris. Ad Carrhas a Surena & Syllace Orodis ducibus Crassus circumventus, totum fere exercitum cum P. Crasso filio, qui ad eum a Iulio Cæsare cum lectissimis mille equitibus e Gallia missus venerat, amisit. cujus reliquiis in collem receptis, evocatus a Surena in colloquium tamquam de pace acturo, captus, atque, ne vivus in hostium potestatem veniret, repugnans occisus est. Qui e calamitate evaserant, fuga in Armeniam. Ciliciem, quo quemque metus aversum egit, dissipati sunt. Cassius Longinus quæstor cum aliqua parte in Syriam incolumis rediit. accidit ea clades VI. Idus Iunias, ut ex Ovidio sexto Fastorum notum est.

ARGV-

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAP. XII.

Haec est illa tertia aetas ——— Postremi centum.] *Enumeratione comparat res superiore saeculo gestas, quae laudem habent, cum sequenti quod ad vitia degenerat, & seditionum facibus ardet, quae vix civili sanguine restinguuntur, adhaec quod servilibus & gladiatoriis bellis omnia contaminentur, mox ambitum ex opulentia invasisse, ex luxuria egestatem, quae quia invaluerint, universum malorum fontem aperuisse.*

ARGVMENTVM CAP. XIII.

Gracchorum Tribunicia leges partim agrariae, partim frumentariae & judiciariae, justissimum Reipublicae temperamentum convellunt, & discordiarum civilium fontem aperiunt.

COMMENTARIVS.

Seditionum omnium caussas Tribunicia potestas excitavit.] T. & C. Sempronii Gracchi fratres, tribuni pleb. seditiosi & furiosi, ut optimatium potentiam, cui erant iniquissimi, frangerent, plebis opes confirmabant, eamque quo ad omnia quae in Rempublicam molirentur, devinctiorem haberent, optimatium agros plebi dividebant, frumentum gratis largiebantur, socios civitate donabant, ut ita plebejorem suffragiorum multitudine facilius nobilitatis factionem in comitiis imminuerent. Atque dum judiciaris etiam legibus a Senatoribus ad equites judicia transtulissent, consensum illum civitatis optimum dissolverunt. Ita plebis potestate eousque invalescente, ut optimatium opes multis partibus inferiores essent, plebs ex libidine & Tribunorum impotentia dominari coepit. atque dum nobilitas ab ea se vindicare conatur, tanta seditionum moles exstructa est, ut audacissimo cuique dum largitione plebem jam dominantem corrumpit, via ad lacerandam aut occupandam Rempublicam patefactaa sit.

Agrariis.] Agraria lex primum a Sp. Cassio tertium consule anno CCLXVII. promulgata perferri non potuit, neque unquam sine maximis motibus Reipublicae agitata fuit: ejus varia fuisse capita invenio, sed quae huc facit potissimum ea erat quae possessores vetere agrorum possessione exturbabat, ut illa Licinia Tribunicia, ne quis plus quingenta jugera agri possideret, cetera plebi divideret. eam pertulit anno CCCLXXXV. atque mox quod filium emancipando mille jugerum possideret, & legi fraudem fecisset, sua lege X. mill. aeris damnatus est. & ab hac agraria deinceps quieta civitas fuit usque a T. Q. Giacchi tribunatam, qui legem Liciniam pertulit, quantumvis lobilitate quae patriis sedibus pеream movebatur adversante, anno V. C. IↃCXX.

Frumentariis.] Cajus Gracchus legem frumentariam tulit, ut frumentum in

in modios singulos plebi semis æris ac trientibus daretur: ita enim victus plebi suppeditabatur sine labore. Repugnabant boni, quia ea lege plebem ab industria ad desidiam avocari putabant, & ærarium exhauriri videbatur. Inde L. Saturninus in tribunatu conatus est perrogare legem qua frumentum plebi gratis daretur. eam perlatam a P. Clodio tribuno plebis, habeo auctores.

Cic. Sextia.

Iudiciariis legibus.] Iudicium est potestas de rebus aut privatis aut publicis ex jure & legibus Romanis judicandi. qui judicia obirent, judices dicti sunt. Iudices a magistratu, hoc est, primum a regibus, inde a consulibus, sequenti tempore a prætoribus, ad quos jurisdictio translata erat, e Senatorum ordine dabantur. Iudicia alia privata, alia publica: privata injuriam privato civi illatam vindicabant: publica Reipublicæ. In privatis, si de *jure* actio esset, dabantur vel arbitri, vel decemviri, vel centumviri. Si de *facto* controversia erat, recuperatores qui de rebus reddendis vel recipiendis cognoscebant. Si de neutro quæstio erat, edictum prætoris interponebatur. Publicorum vero judiciorum dominus post exactos reges populus Romanus usque ad annum Vrbis conditæ sexcentesimum quartum fuit, publicas quæstiones quibus ad populum accusabat reum magistratus (nemini enim alii licuit) fuisse invenio; de majestate, parricidio, peculatu, de quibus judicio populi condemnati puniebantur morte, exsilio, multa. Majestatis crimine tenebantur, qui magistratus vel populi amplitudinem læsissent, vel in rempublicam sese hostiliter gessissent, quod perduellionis crimen vocabatur. Parricidii accusabantur, qui cujusque hominis cædem perpetrassent. Peculatus anquirebatur, qui de publico furtum fecisset: Perduellionis crimen ut maximum centuriatis comitiis a populo judicabatur: de ceteris autem omnibus comitiis tributis. Aut cum usus postularet, Quæsitores ex Senatusconsulto creabantur, qui de crimine publico quærerent, vel Dictator, vel coss. ambo, vel alter, vel prætor. qui ita extra ordinem jussus erat quærere, Quæsitor dicebatur, quousque perpetuæ quæstiones anno Vrbis conditæ ІↃCIV. constitutæ sunt. tum enim pro Quæsitoribus extraordinariis prætores ordinarii sunt cœpti creari, qui suas quisque quæstiones quotannis sortirentur. Majestatis, peculatus, ambitus, repetundarum, quibus quæstiones de falso, de parricidio, de sicariis, de injuriis Sulla adiecit. Prætor qui quæstionem sortitus erat, eam cum selectis judicibus exercebat, quæsitor editicius cum editiciis judicibus. Prætor aut quæsitor sortiebatur judices ex decuriis, quas prætores Vrbani quotannis non sorte, sed judicio jurati conscribebant, & quia decuriæ ex ordinibus iis apud quos judicia essent, deligebantur, selecti judices appellati sunt, & ipsorum cœtus concilium. at qui primus ex ipsis sententiam ferebat, is Iudex quæstionis, aut princeps judicum vocabatur. Concilium illud ex Senatoribus tantum constabat usque ad C. Gracchi legem, qui judicia ad equites transtulit, & tum ex equitum ordine decuriæ, & ex ipsis concilium descriptum est. qua Gracchi lege universa Reipublicæ ratio perversa est, & Senatus dignitate sola præstabat, equester ordo potentia,

Digitized by Google

tia, opibus, dominatione turpissima & superbissima regnabat. Editicii judices erant, non quos quaesitor sortitus esset, sed accusator edidisset, neque ex certis decuriis, sed ex omni populo sumti, quos delectis sive selectis iudicibus Cicero opponit. Plancina.

Vectigalia ——— supprimebat.] Vectigal pecunia erat, quae vel portus, vel venditionis vel circuvectionis nomine exigebatur. hinc nomina vectigalium, Portorii, Decumarum, & Scripturae, vel Salis & Macelli, vel Vicesimae apud scriptores obvia sunt. Portoria pecuniae erant, quae portitoribus pendebantur, id est, iis qui mercedes ex mercibus devehendis aut traiiciendis exigebant. Decumas solvebant fructuum, qui agrum publicum arabant. Scriptura erat vectigal, quod ab iis pendebatur, qui silvis & pascuis publicis fruebantur. Macelli nomine res omnes quae ad victum hominum pertinebant, comprehenderunt, ea vectigalia ut civibus ditato aerario remissa sunt; ita Vicesima, quae ab iis qui manumittebantur, exigebatur, semper remansit. At vectigalia provinciis sunt imposita, quae aut certa erant & stipendiaria dicebantur, aut incerta, quae iis, quae exposuimus, nominibus pendebantur, eaque Publicani ad hastam a censoribus redimebant, idque quaestus sui caussa, ut ea a provincialibus suo periculo exigerent, & Reipublicae datis sponsoribus repraesentarent. atque cum Publicani fere equites fuerint, & ad ipsos judicia lege Gracchi translata essent, facile erat suae societati favendo vel ludificare locationem vel remittere, vel redemtionis parte relevare: atque tali coitione pecuniam publicam depeculari. Cic. Verrin.

Exhauriebat aerarium.] Aerarium locus erat in quo pecunia publica in aede Saturni custodiebatur, quod triplex apud scriptores observavi. Vnum, in quo civium tributa ac sociorum vectigalia, & praedae imperatorum condebantur, quo sumtus bellorum ordinarii sustinebantur. Alterum, sanctius aerarium, in quo aurum vicesimarium, ex vicesima manumissorum collectum ad ultimos casus servabatur. Tertium sanctius Gallicum, in quo pecunia Gallici belli caussa reponebatur.

Aetate, quasi jure haereditario possidebant.] Vsucapionem intelligere videtur, qua in legitimum dominium jure civili civis Romanus per continuationem possessionis uniebat, in rerum mobilium anni tempore, immobilium biennii: ea tamen lege, ne ulla intra hoc tempus possessionis aut usus interruptio, quae usurpatio dicebatur, fuisset.

ARGVMENTVM CAP. XIV.

Refert quid Ti. Gracchum ad tam perniciosas Reipublicae leges rogandas impulerit, & qua occasione perculsus, ab optimatibus duce Scipione Nasica caesus fuerit.

COMMENTARIVS.

Tib. Gracchus.] Ti. Graccho invidia Numantini foederis, cui feriendo quae- Cic. de Aruspic. resp. Plutarch. Appian.

quæstor C. Mancini consulis cum esset, interfuerat, & in eo fœdere improbando Senatus severitas dolori & timori fuit. istaque res illum a gravitate patrum desciscere ad equites & plebem coegit. de Mancini deditione in bello Numantino vidimus.

Plutarch. in Gracch.

Genere ——— facile princeps.] Nati enim sunt Ti. & C. Gracchi fratres patre Tib. Sempronio Graccho, qui bis consul fuit, bisque triumphavit, & censoria severitate cum C. Claudio Pulchro nobilis est: matre Cornelia, femina lectissima, moribus sanctissimis, P. Cornelii Scipionis qui Annibalem debellavit, filia.

Quia depulsam agris suis plebem miseratus est.] Agrum Romanum vocant scriptores, quidquid montium, camporumque extra urbem Romanam ex omni parte sociorum fines attingeret. Agros quos populus Romanus bello atque armis ademisset hostibus, eos fere si culti essent, civibus diviserant; si inculti, Italicis hominibus, atque adeo etiam plebi Romanæ censores locabant fruendos, ea tamen conditione, ut qui ararent, decimam frumenti, quintam ceterarum frugum partem solverent: qui vero majora aut minora pecora alerent, certum vectigal penderent. Cum autem evenisset ut incredibili locupletum impudentia atque libidine aratores antiquis pulsi possessionibus, quas divites aliis temporibus alias ementes continuarunt, & P.R. vectigalibus annuis, & pauperes propriis alimentis essent exsuti, lex fuit ad avaritiam locupletum coercendam necessaria; quam Liciniam & Semproniam supra retulimus: Liciniam Gracchus auxit, ne fraus legi fieret: ut dimidium filiis tribueretur, quod reliquum esset, id pauperibus qui nihil haberent, divideretur. Quod si quis agrum emtione latius patefaceret, ut triumviri quotannis ad id creati judicarent, qua publicus, qua privatus esset: eam legem Tiberii morte neglectam, iterum frater ejus Cajus retulit, quem cum pariter patres interfecissent, lex ex ipsorum consilio lata est, qua agrorum venditio permitteretur, atque ita agri in divitum a pauperbus ementium potestatem iterum redacti sunt.

Rostra conscendit.] Suggestum in foro ante curiam Hostiliam exstructum, navium ab Antiatibus captarum rostris adornatum fuisse, Rostraque ideo id templum fuisse appellatum, Livius scribit. In rostris magistratus sedentes jus dicebant, & ibidem leges ferebantur, & conciones habebantur.

lib. VIII. Plin. lib. XVI. Cic. Vatin. Pison. Manl.

Ubi intercedentem —— Octavium videt.] Tribuni plebis decem creabantur, quorum potestas major semper erat in vetando, hoc est, intercedendo quam jubendo: nam etiamsi ceteri omnes rogationem alicujus legis ad populum ferrent, unius tamen Tribuni intercessio, ne lex illa perferretur, impediebat. cum itaque M. Octavius collega diversæ partis studiosus Graccho intercederet, ille in eum furorem exarsit, ut novo exemplo ei potestatem lege lata (nihil enim collegam, quod alii scribunt, violavit) adimeret, aliumque in ejus locum suæ factionis hominem Q. Mummium surrogaret. atque hac ferocia multum plebis animos a Graccho alienatos fuisse invenio.

Triumvir creatus dividendis agris.] Triumviros, qui agros plebi lege sua divide-

Digitized by Google

dividerent, quique quotannis crearentur, ut judicarent qua publicus, qua privatus ager esset, lege sanxerat, seque & Cajum fratrem, & Appium Claudium socerum primos triumviros creavit. Imperium nimis improprie pro tribunatu dixit: est namque imperium belli gerendi potestas, populi jussu alicui commissa.

Duce Scipione Nasica —— quasi jure oppressus est.] Scipio Nasica cum segniter P. Mucius ageret, & seditio glisceret, sequi se jussit qui Rempublicam salvam vellent, atque ita auctore Scipione a nobilitate in Capitolio Gracchus occisus est, ictus fragmentis subselliorum, & inter alios, qui in eadem seditione cæsi erant, insepultus in Tiberim a Lucretio ædili, qui inde Vespillo cognomen invenit, projectus est. P. Mucius arma, quæ privatus P. Scipio sumserat, ea Ti. Graccho interemto, jure optimo sumta fuisse defendit. Cic. Placit.

ARGVMENTVM CAP. XV.

C. Gracchus assertor legum fratris sui, seditionem movet, & Opimii consulis opera occisus est.

COMMENTARIVS.

C. Gracchus.] C. Gracchus decennio post fratris cædem Tribunatum plebis capit, & seditiosis legibus latis Rempublicam biennio perturbat. Cum Minucius Rufus tribunus plebis Gracchi leges, qui jam tribunatu abierat, abrogaturus esset, occupatum est ab utraque parte Capitolium: in ea turba Atilius Opimii consulis minister occiditur; Senatus ejus cæde graviter offensus, mandat L. Opimio consuli ut videat ne quid Respublica detrimenti capiat. ita Opimius postridie armato Senatu atque equitibus in forum descendit. Gracchus ac Fulvius Flaccus, is qui ante de Gallis triumphaverat, cum suis Aventinum obtinuerant. Cum de conditionibus pacis frustra per Fulvii filium legatum actum esset, Gracchus ab Opimianis Aventino armis pulsus una cum Fulvio & duobus ejus filiis interfectus est, caput ejus ad Opimium delatum auro redemtum est. Sunt qui Gracchum Philocratis servi sui manu confectum scribant. L. Opimius etsi crudelissime in Gracchanos sævivisset, & ob id a P. Decio tribuno pl. accusaretur, tamen eum populus Romanus semper periculo liberavit. sed cum postea muneribus a Iugurtha Numidiæ rege corruptus populi Romani majestatem imminuisse accusaretur, ejus sævitiæ memoria adhuc eadem invidia deflagrans, judicio publico condemnatus, in exsilio & ignominia Dyrrachii consenuit & mortuus est.

Sacrosanctum caput.] Errat in eo Florus, quod caput hujus Gracchi sacrosanctum vocat, jam enim tribunatu abierat Gracchus, quare abdicato magistratu sacrosanctus esse desierat. Promulgatum erat si quis Caii caput adferret, quod æquale auri pondus ipsi de publico rependeretur. Septimulejus itaque ejus familiaris illud pilo transfixum ad Opimium consulem retulit, Plutarchus. Plin. lib. 33.

tulit,

Digitized by Google

tulit, plumboque in cerebri detracti locum infuso, ita ut septemdecim librarum & semissis penderet, parricidio etiam suo Rempublicam avaritiaque circumscripsit.

ARGVMENTVM CAP. XVI.

Appulejus Saturninus tribunus plebis ad Gracchi leges sanciendas etiam Senatum juramento coegit. Metellum cum jurare in ejus legem recusaret, in exsilium pellit. ejus tandem furores a Mario VI. consule Senatusconsulto repressi sunt ipseque cum suæ factionis hominibus occisus est.

COMMENTARIVS.

Apulejus Saturninus.] L. Appulejus Saturninus dolore factus est popularis, quia in annonæ caritate quæstorem se a frumentaria procuratione senatus amoverat. cepit itaque tribunatum plebis Mario III. consule, atque ejus potissimum opera consul IIII. factus est. Cum Saturninus a Q. Metello Numidico censore, Senatu ob vitæ dedecora motus esset, eam ignominiam ulturus tribunatum plebis Mario V. consule petiit iterum, atque novem jam creatis tribunis, cum ipsi candidato A. Nonius competitor obstaret, ut ejus cæde occupandi tribunatus facultatem adipisceretur, eum e caupona in quam ipse confugerat, extractum, auxiliante C. Mario V. consule interfecit, & tribunatum plebis occupavit. (Cic. de Rep Arusp. Plutarch. in Mario.)

In eius locum.] Quinctium quendam, qui se Gracchorum fratrem ob oris similitudinem mentiebatur, Q. Metellus ut insiticium censu, contra vim incitatæ multitudinis prohibuit, eum Saturninus quia populo gratum ob Gracchorum memoriam sciebat, sibi collegam tertio quem ceperat tribunatu, cooptavit, quem primo magistratus sui die periisse in seditione invenio. hominem sine tribu, hoc est, servum, aut, ut alii scribunt, fugitivum. Libertini enim tribum habebant Esquilinam, aut quamcunque Vrbanam, in qua censebantur. sine nomine, hoc est, ignobiles, obscuri. (Cic. Sextian. Valer. lib. IX. Appian. de bello civili. IↃXXCV.)

Rogandis Gracchorum legibus.] In tribunatu secundo legem ex Marii V. consulis auctoritate promulgavit Saturninus, ut quem agrum Marius in Gallia, pulsis Cimbris, armis vindicasset, is populo Romano divideretur. in eamque ubi a populo accepta esset, a singulis senatoribus jurari voluit; qui non jurasset, ei XX. talentorum multam irrogavit; Metello in popularem legem jurare nolenti, cum a bonis civibus defenderetur, ne cædes eorum fieret, maluit de civitate quam de sententia discedere, profecto ei C. Marius consul aqua & igni interdixit, atque captatam hucusque ultionis occasionem Saturninus exercuit. Metellus Smyrnæ exsulavit, sed proximo anno ab exsilio ingenti civitatis favore restitutus est, M. Antonio, & A. Postumio coss. anno IↃCLIV. In frumentariæ etiam legis rogatione Q. Cæpionem cum quæstor urbanus esset, Saturnino restitisse, scribitur ad Herennium. (Epit. LXIX. Cic. post Red.)

Aqua & igni.] Quibus aqua & igni interdictum erat, iis pœna exsilii etsi non nomi-

Digitized by Google

nomine, re tamem ipsa irrogabatur; siquidem earum rerum usu privati, quæ maxime ad vitam sustentandam sunt necessaria, abire ab urbe cogebantur.

C. Memmium competitorem interfici jussit.] Saturninus cum III. tribunus plebis designatus esset, C. Memmium consulatus competitorem, quem actionibus suis adversari judicabat, interfecit ut C. Servilium Glauciam prætorem urbanum, suæque factionis studiosissimum consulem crearet. Qua audacia commotus Senatus Mario mandavit, videret nequid Respublica detrimenti acciperet, quo Senatusconsulto difficillimo Reipublicæ tempore plena imperii potestas consulibus tradebatur. itaque Marius Glauciam prætorem, Saturninum tribunum pleb. & Saufejum quæstorem armis in Capitolium compulsos obsedit, ac incisis aquæ fistulis, ad deditionem compulit, & contra fidem omnes uno die interfecit. Saturninum a C. Rabirio senatore occisum & ejus caput per convivia circumlatum esse, auctores habeo. Quare postea Perduellionis a T. Labieno accusatus, cujus patruus Q. Labienus cum Saturninos occisus fuerat, a Cicerone tunc consule defensus est, & populi judicio absolutus.

ARGVMENTVM CAP. XVII.

Drusus dum judicia inter Senatores & Equites communicare, & socios civitate donare contendit, utrumque ordinem non sine magno motu offendit, & incerto percussore in turba occiditur.

COMMENTARIVS.

Livius Drusus.] M. Livius Drusus vir nobilissimus, eloquentissimus & sanctissimus, eo consilio tribunatum plebis cepit, ut summa ope niteretur pro optimatibus, quorum opes Gracchanis legibus fractæ erant; legem itaque rogabat, qua communicato inter senatores & equites judicio ordines in concordiam redigeret. sed collegarum improborum intercesstone impeditus, senatorum inconstantia & levitate deceptus, quando bene cœpta male cedebant, convertit animum ad dandam Italiæ civitatem, quam promissam cum præstare non posset, Latinis propterea ac senatui, & equitibus ob latas leges infensus, in atrio domus suæ incerto percussore, quem tamen C. Varium Cicero nominat, occisus est. & nihil de ejus morte populus consultus, nulla quæstio a senatu discreta est, invidia cædis apud Philippum & Cæpionem fuit. Livium etiam Drusum hoc in tribunatu suo octavam partem æris argento miscuisse Plinius scribit lib. 33. De natura Deorum. III.

Iudiciaria lege Gracchi diviserant populum Rom.] Varro apud Nonium in dictione, Biceps, eisdem fere verbis citatur: Gracchus senatu iniquus equestri ordini judicia tradidit, ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem. Pertulit eam legem C. Gracchus dejecto ab intercessionis auxilio senatu, & conscientia ignominiæ & infamiæ, qua ob judicia corrupta flagrabant, quod Aurelium Cottam, Salinatorem, M. Aquillium repetundarum reos captis pecuniis aperte absolvissent. Narrant autem Gracchum accepta hac lege di-

xisse, se penitus nervos senatorii ordinis incidisse. quod vere ab ipso usurpatum fuisse res postea comprobavit: nam judiciorum auctoritate a senatoribus translata, equites de civibus Romanis, Italicis, & Senatoribus ipsis judicabant, multam, ignominiam, exsilium irrogabant: quare eos vere dominos optimatibus præposuit. Equites etiam cum tribunis pl. conspiratione facta in comitiis coibant, atque ab iis omnia quæ vellent impetrabant. atque ita Rempublicam universam in potestate habebant, senatus dignitate sola eaque enervata, equester ordo potentia & opibus florebant.

Appianus.

Senatus —— debilitatus.] Metellum a Saturnino in exsilium fuisse pulsum jam diximus. P. Rutilius Rufus, qui consul fuerat cum C. Manilio anno IↃCXLVIII. vir innocentissimus lege repetundarum interrogatus, & conspiratione equitum qui tunc judicabant, ex invidia condemnatus est: quod cum Q. Mucio Scævulæ in Asia legatus fuisset, Asiaticos a publicanorum (qui equites erant) injuriis defendisset; quare omnes civitates Asiæ, legatos secessum ejus opperientes, & ad se ut veniret invitantes, obviam miserunt. a Sulla etiam revocatus, longius, ne quid contra leges faceret, in exsilium recessit. Smyrnæ eum exsulasse in Bruto scriptum est.

Vellejus. Ascon. in Divinat. Epit. 70. Seneca. Val. Max. Cic. Brutus.

Equitem Serv. Cæpio, Senatum Liv. Drusus asserere.] Q. Servilius Cæpio consul anno IↃCXLVIII. legem tulit, qua senatoribus & equitibus inter se communicata sunt judicia, quam Serviliam Cicero vocat. at idem equitum animos propter judiciorum communicationem a Cæpione alienatos affirmat. Eam tamen legem aut non acceptam, aut non observatam, aut paulo post cum publico judicio Q. Servilius Cæpio ob rem male cum Cimbris gestam damnatus esset, abrogatam esse verisimile est: alioquin quid opus erat, quod eam Drusus post annos quindecim denuo referret? Inter Cæpionem & Drusum ex annulo in auctione venali inimicitias cœpisse, unde origo socialis belli, Plinius lib. 33. scribit. At hic Cæpio ab illo alter est: hic enim ejusdem cum equitibus factionis & popularis, ille nobilitatis & optimatium studiosus. hic proximo anno sociali bello a Popedio circumventus, & cum exercitu cæsus creditur.

In Bruto oratore.

IↃCLXXXVI. *Reos ambitus.*] Ambitus sive ambitionis accusabantur, quicumque honores malis artibus affectabant. quod crimen apud Romanos variis legibus coercitum est. severa erat Calpurnia consularis, quæ pecuniariam quoque pœnam habebat, cui postea derogatum est, etsi abrogata non fuerit. Præmium accusatoribus erat, ut, si ambitus ipsi damnati essent, aliorumque eodem in genere culpam demonstrassent, ii in integrum restituerentur. Aut, quod si accusator magistratum in judicium vocasset, ejusque culpam judicibus probasset, reus magistratum amittebat, accusator in ejus locum, si per ætatem & leges licebat, sufficiebatur. Aut tribus permutationem accusator petebat, si modo ea tribus in qua reus censebatur, nobilior esset quam tribus accusatoris. Lex Tullia consularis etiam ambitus condemnatis decennio aqua & igni interdicebat. Aufidia tribunicia, hoc a ceteris novi habebat, ut qui nummos in tribu promisisset, si non dedisset, impune esset: sin dedisset, ut is quo ad viveret,

Pro Cluentio

Pro Balbo.

Digitized by Google

ret, singulis HS IIIM. deberet. Lex Iulia pœnam capitalem sanxit, qualem Polybius Romæ suo tempore fuisse testatur, vel ex more, vel ex lege. Cum itaque coss. quinque fere menses antequam inirent, designarentur (designabantur enim Iulio, inibant sequenti Ianuario) eo fere tempore per competitores, ob prædicta præmia de ambitionis crimine in ipsos inquirebatur.

Scaurum.] Ambiguum est quem de familia Scaurorum designet. Cicero M. Aimilium Scaurum ambitus a P. Rutilio, consulatus sui competitore accusatum, & absolutum fuisse: eundemque Rutilium a Scauro vicissim ob idem crimen in judicium vocatum fuisse scripsit. eundem senatus principem & a Iugurtha muneribus corruptum Sallustius testatur. M. Aurelium Scaurum suffectum fuisse collegam Sulpicio Galbæ, cum illius collega antequam iniret, mortuus scribatur, & istum, cum legatus C. Manilio consuli contra Cimbros esset, captum, & a Bolo Cimbrorum rege, cum ab iis in consilium evocatus, deterreret eos, ne alpes transirent in Italiam degressuri, quod diceret Romanos vinci non posse, occisum. De hoc ne an illo Scauro loquatur, mihi adhuc incertum est: nam Scaurum a Cæpione pro M. Scauro repetundarum reum fuisse factum ob Asiaticam legationem, scribit Asconius, non ambitus

In Bruto. — Decxiv. — Epit. lxviii

Et Philippum, —— dejecit.] Q. Marcium Philippum postquam calamitate sua cessisset Vrbe, Nuceriæ civem factum esse Cicero scribit: licebat enim reo antequam sententiæ perferebantur, exsilio spontaneo publicum judicium subterfugere. An de hoc Philippo Florus loquatur, mihi adhuc incertum est. De L. Philippo quem paulo post consulem Drusi jussu violatum inquit, non posse intelligi, ex Ciceronis Officiis manifestum est: quia ille gloriari solebat, se sine ullo munere omnia adeptum esse, quæ haberentur amplissima. quæ gloria cum ambitione ex diametro pugnat.

Pro Corn. Balb.

Obrogare legibus.] Leges sunt rogationes, quas populus Romanus universus, consulibus, vel alio patricio magistratu rogante, jussit. Plebiscita, quas plebs tributis comitiis sine patribus, tribuno plebis rogante, scivit. Plebiscitorum nomen cum legum auctoritate fuisse confusum post Hortensiam legem, qua ea, quæ plebs scivisset, omnes Quirites tenerent, sancitum erat, ex scriptoribus manifestum est. at locus postulat, ut ea quæ de legum ferendarum more ex veterum auctoritate observavimus, hoc loco adferamus. Legitimæ rogationes habebantur, quando legem laturus magistratus, domi eam scribebat, & cum peritis consultabat, ne quid contra populi rem aut voluntatem sanciret, ne pugnantia capita simul ferret, neve quid, quod vetus aliqua lex jussisset, si ferretur, infirmaret (abrogabat tamen nova lex si perferretur veteri, præterquam sacratis) ne curationem, potestatem, commodumve aliquod ipse sibi sua lege, aut collegis, cognatis, affinibus mandaret, ne pluribus de rebus, quæ non ejusdem generis essent, una rogatione perferretur. Scriptam ita legislator Reipubl. studiosus antequam promulgaret, senatum consulebat, popularis vero contenta senatus auctoritate, legem rogabat. In publico inde ponebatur lex, hoc est,

Licinia. Aebutia. Cæcilia Didia.

pro-

Dionysius. Cic. Philip. 5. pro domo sua.

promulgabatur, eo consilio, ut inspiceret qui vellet, & judicio suo disquireret, non solum ut intercederet antequam ferretur, verum etiam fan antiquanda an jubenda sibi suo suffragio videretur, aut legislatorem de corrigenda, vel non roganda lege moneret. Spatium promulgationis erat trinundinum, hoc est, per trinas nundinas. cum enim nundinarum caussa ex agris cives in urbem convenirent, per trinundinum leges patere, ut a rustica plebe ter legi cognoscique possent, voluerunt. Post tertias nundinas magistratus populum convocabat; ibi cum legem præco subjiciente scriba recitasset, tum quidem primum qui legem rogabat, populo suadebat, ut rogationem acciperet, sed post eum alii primum privati, permittente magistratu, (nec enim aliter concionari privatis licebat) inde magistratus, ne si privati eos qui magistratum gerebant, ante audissent, ab iis dissentire non auderent. tum quidem si qui legi intercedere (quod proprium tribunis pleb. erat) hoc est, vetare ne perferretur, vellent, potuerunt, dum sitella deferebatur, dum æquabantur sortes, dum sortitio fiebat. Tribubus vel centuriis in sortem conjectis quæ prior exibat, prærogativa dicebatur. populo tabellæ binæ distribuebantur, quarum altera quæ abrogabat legem A. hoc est, antiquo, id est, antiqua volo, nova non probo: altera *V. R.* hoc est, uti rogas, habebat. Atque cum centuria sive tribus tabulam pro sua quisque voluntate in cistam coniecisset, suffragia in utramque sententiam dinumerabantur, numerusque eorum punctis notabatur, unde ejus centuriæ vel tribus sententia dignoscebatur, eaque a præcone renuntiabatur & eadem in reliquis tribubus aut centuriis servata, ex majore tribuum centuriatumve numero vel antiquabatur lex, vel sciscebatur. accepta omnium civium jurejurando confirmabatur, & in æs incidebatur, & in ærarium ferebatur, legique nomen factum est a gente legislatoris. Contra si qua lex rogata esset, ea ex senatusconsulto a populo abrogabatur.

Obrogare.] Abrogare hoc loco pro obnuntiare positum esse nullo exemplo videtur: obnuntiare enim consul tribuno, non intercedere poterat. Obnuntiabat autem qui contra auspicia aliquid fieri, vel ex augurum monitu, vel quia populo ad suffragia discedente fulgur aut tonitru observatum erat, nuntiabat, quod solum magistratui licebat. At a Philippo consule fuisse Livio Druso obnuntiatum, ex eo verisimile est, quod is a Senatu statim post mortem Drusi obtinuerit, quod Liviæ leges omnes uno senatusconsulto tollerentur. nempe hujusmodi legibus non videri populum teneri senatus decernebat, quæ contra auspicia latas esse augures monuissent.

Apprehensum faucibus viator.] Tribunorum plebis, in privato, vel in magistratu aliquo ad concionem ad populum admittendo, vel ab eadem prohibendo tanta potestas erat, ut non solum de rostris concionantem, sed etiam de curru triumphantem detrahere tribun. pleb licuerit. vel etiam ad supplicium si liberet ducere propterea quod, cui vellet, manus injicere sacratis legibus poterat: ipsi, cum sacrosanctus esset nemo poterat.

AR-

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAP. XVIII.

Italici toties promissa civitate delusi, quod legibus Fulvia & Livia obtinere non poterant, hoc armis vindicare conantur.

COMMENTARIVS.

Sociale bellum.] Bellum hoc triplici nomine dictum apud scriptores invenio. Sociale: quia cum sociis populi Romani gestum est, Marsicum: quod a Marsis primo commotum. Italicum, ab Italica urbe, quo nomine Corfinium dictum est, quia illo pro arce & consilii loco Itali hoc in bello contra Romanos utebantur. M. Fulvius Flaccus consul ad spem civitatis donandæ primum socios erexerat, hoc est, ut perrogata quam promulgaverat lege, tribum & honorum petitionem consequerentur. atque Fulvius ægre compulsus est, ut in curiam veniret, deinde partim monenti, partim oranti senatui, ut ab incepto Reipublicæ tam pernicioso desisteret responsum non dedit. quare decreta ei provincia Gallia, senatus illum ab eo consilio avocavit, ipseque cum triumpho domum reversus, se socium C. Graccho adjunxit, cum quo in eadem seditione a L. Opimio, ut dictum est, occisus fuit. Livius Drusus eandem legem perferre conatus est: sed ei civium, in quod incurrerat, odium impedimento fuit. Ergo Italici bis tanta spe dejecti, facta inter populos coitione adversus populum Romanum conjurarunt: quare populus Romanus saga sumsit, ac bellum adversus Italicos jussit Sexto Iulio Cæsare & L. Marcio Philippo coss. anno IↃCLXII.

Strab. lib. 5. IↃCXXVIII. IↃCXXV. IↃCXXXIX. IↃCLXII.

Municipalia illa prodigia.] Municipiorum duplex apud Romanos scriptores genus invenio: primum quod jure suo uteretur, & tantum munus honorarium inter cives Romanos obiret, hoc est, honoris caussa in legione stipendium faceret, ut cives, non ut socii in auxiliis: illaque municipia sine suffragio dicta sunt. Alterum genus municipiorum fuit eorum quibus cum suffragii latione civitas est data hoc est, quibus honores dare & petere licebat. sed illi legibus suis spoliabantur, Romanis obstringebantur. hinc municipalia prodigia vocat duces Italici belli ex municipiis oriundos.

Festo die Latinorum.] Latinarum feriarum, vel Latinorum ludorum originem, pompam, & cæremonias Dionysius late describit. Consules die initi magistratus, Iovis Opt. Maximi templum adibant, Latinas indicebant, ad diem condictam ferias celebrabant, Iovi Latiali sacrum solenne in monte Albano faciebant. lib. VIII.

Asculo furor omnis erupit.] Asculanum civem pro obside Italici fœderis ductum in urbem aliam, quidam indicaverat Servilio Cæpioni pro consule agenti in Apulia, qui propere oppidum ingressus, Asculanosque solenne patrum celebrantes minis deterrere conatus, ab iis interficitur, quod defectionem proditam intelligerent: simulque Fontejus ejus legatus, & quotquot erant Asculi cives Romani, atque bona eorum direpta sunt. Itaque

que aperta jam conjuratione omnes arma corripiunt, Marsi, Peligni, Vestini, Marrucini: eos sequuntur Picentes, Frentani, Irpini, Pompejani, Venusini, Appuli, Lucani, Samnites aviti hostes, Latini, & quidquid populorum ultra Lirim usque ad sinum Adriaticum habitabat. Vtrimque armantur copiæ ad centum millia hominum, & a populo R. utrisque coss. L. Cæsari, & Rutilio Lupo imperium datum est.

Auctore belli discursante Popedio.] Popedium Silonem hujus belli ducem fuisse Appianus etiam & Orosius testantur, qui dum transfugæ fidem magna fraude sibi præstruxerat, cum majore perfidia Cæpionem in insidias cum comitatu suo pertractum occidit. Popedii exercitum Cæcilius Metellus adortus prœlio vicit, in quo etiam ipse Popedius cæsus est.

Grumentum.] Licinius Crassus Cæsaris legatus a M. Lamponio Italicorum duce, octingentis ex ejus exercitu occisis, fuga in Grumentum Picentinorum oppidum compulsus est.

Fusæ Rutilii copiæ.] P. Rutilius Lupus consul una cum C. Mario legato duos pontes non longe inter se distantes super Lirim construxerat, ad traiiciendas copias, quibus Vettius Cato Marsorum dux sese cum exercitu opposuit: cumque propius ad Marii pontem movisset, insidias noctu circa P. Rutilii trajectum, quem ipsi permisit, disposuit. cæsis itaque multis, multos in flumen præcipites agit. Rutilius consul in capite saucius, paulo post ex vulnere moritur. Marius ubi eam cladem ex cadaveribus prono flumine ad sua castra delatis intellexit properat ad hostium castra, eaque expugnat, & calamitatum acceptam castigat. Consulis cadaver in Vrbem relatum, magnum luctum civibus & consternationem attulit. quare Senatusconsultum factum est, ut posthac defunctorum corpora ibi sepelirentur, ubicumque cecidissent. ita Appianus.

Iulius Cæsar.] L. Iulium Cæsarem consulem a Vettio Catone, cæsis M. M. in Aeserniam populi Romani sociam urbem compulsum fuisse, Appianus scribit, eundemque, copiis undique contractis, contra Samnites feliciter pugnasse, & ob eam victoriam Romæ saga esse posita Orosius etiam testatur. quare hic alios esse secutum Annales Florum oportuit, qui ea de L. Iulio Cæsare scribit, quæ alii de Rutilio Lupo memoriæ prodiderunt. accedit ad criminationem Flori, quod Annales consulum, hunc Iulium Censorem cum Licinio Crasso in proximum annum nuncupent, & Rutilium Lupum in prælio occisum testentur.

lib. 5. cap. 17.

Cato discutit Etruscos.] Etruscorum animos, dum moliuntur bellum, a Senatu Romano in amicitiam civitatis donatione fuisse præoccupatos alii scribunt. sed L. Porcium Catonem consulem rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum ad Fucinum lacum expugnat, fraude C. Marii, cujus patris victoriam Cimbricam Cato dicteriis extenuaverat, in turba occisum esse Orosius scribit.

Appianus. lib. 5. cap. 17.

Gabinius Marsos.] A. Gabinium adversus Lucanos bene pugnasse, multa oppida expugnasse: sed dum castra illorum obsideret, interiisse, apud alios scriptores observavi.

Sylla

Sulla Samnites.] Sulla legatus Samnites prælio fregit, & bina eorum castra expugnavit. ipse tot successibus invitatus, & cum post præturam etiam hoc bello feliciter gesto illustratus esset, consulatum in proximum annum petiit, eumque honorem undequinquagesimo ætatis anno omnium pæne civium suffragio assecutus est.

Strabo vero Pompejus.] Pompejus Strabo consul Picentes & Asculanos, qui hoc bellum concitaverant, edomuit: cum enim diu obsedisset Asculum, erumpentem hostem vicit, decem & octo millia Marsorum cæsa, capta III. millia, Asculo occupato, præfectos & centuriones, cunctosque principes eorum virgis cecidit, securique percussit, atque de Picentibus & Asculanis triumphavit, &, teste Appiano, de Marsis, cum neque de Marsis, neque sine Marsis antea triumphasset. Hic Cn. Pompejus pater erat Cn. Pompeji Magni, ipse post biennium bello civili Cinnano fulmine ictus interiit, lectum ejus populus diripuit, corpus unco traxit. Hanc invidiam sibi conflaverat, quia Q. Pompejum Rufum Sullæ collegam, ad exercitum ab ipso, quem aliquamdiu invita civitate obtinuerat, accipiendum contendentem, seditione quam ipse Strabo excitaverat, sacrificare incipientem adorti, in modum hostiæ mactaverant; & hoc primum anno & Strabone auctore, sanguine consulis Romanorum militum manus contaminatæ fuerunt. Valer. Max Vellejus II. IↃCLXV.

ARGVMENTVM CAP. XIX.

Summatim servilia bella recenset, ab Vrbe liberata usque ad annum IↃCLIV: *quo in Sicilia per M. Aquillium proc. cum servis debellatum est.*

COMMENTARIVS.

Herdonio Sabino duce.] Herdonius Sabinus convocatis ad arma exsulibus, & servis ad libertatem, Capitolium noctu occupaverat anno CCXCII. quod dum Valerius Poplicola armis recuperat, occidit; & Herdonius eo in prælio interfectus est. eodem etiam tempore laborabatur in Vrbe magno motu inter patres & plebem, C. Terentio Arsa tribuno plebis legibus in patrum servitium promulgandis omni studio incumbente. Liv. lib. 3.

Tumultus magis fuit quàm bellum.] Tumultus proprie est ex subito bello tanta perturbatio, ut major inde timor oriatur; dictus quasi timor multus. Tumultu ex Senatusconsulti decreto justitium indicebatur, saga sumebantur, delectus sine vacationibus habebatur tam in Vrbe, quam in Italia. Philipp. 8.

P. Rupilio Imp.] Tres Consules in Sicilia rem gessisse contra servos invenio: C. Fulvium Flaccum; quo eventu tamen, quia rerum memoria hic periit, parum compertum habeo. L. Pisonem Flacco successisse, qui octo millia servorum interfecit, quos capere potuit, patibulo affixit. P. Rupilius Pisoni successit, qui cum fugitivis debellavit, ac bello confecto provinciam ordinavit. Hic igitur vitiose Perpenna pro P. Rupilio scriptum est. IↃCXIX. IↃCXX. IↃCXXI. Cic. Verr.

Ovatione contentus.] Ovatio minoris triumphi genus est, quod concede-

 batur

batur imperatoribus, cum aut bella non rite indicta, nec cum justo hoste Gell. lib. 5. gesta essent, aut cum hostium nomen humile & indignum triumpho, ut servorum piratarumque videretur. Ovans nec curru vectus, nec trabeam, nec togam pictam indutus pedibus, Vrbem exercitu praecunte ingreditur, ut Dionysius lib. v. (qui pedestrem triumphum vocat Ovationem) testatur. itidem Massurius Sabinus apud Gellium prodidit: sequentibus eos non militibus, sed universo senatu. Myrtea coronatos fuisse & usos qui ovantes ingrederentur, ut qui triumphantes veherentur, laurea; Plutarchus, Plinius, Festus, Gellius testantur. Ovationem Plutarchus ab ove, quam immolabant ovantes, Plutarch in Marcello. ut triumphantes in Capitolio taurum, dictam esse contendit.

Aquilius.] M. Aquillium consularem (fuit enim collega Marii v. consulis anno IↃCLII.) ovantem de bello fugitivorum in Sicilia confecto, Capitolium ascendisse Cicero scribit. II. de Oratore. Hic postea legatus a Mithradate rege captus, atque per contumeliam excruciatus est.

ARGVMENTVM CAP. XX.

Gladiatores Spartaco duce, aliquamdiu bellum dubio Marte gerunt cum Romanis, sed tandem a M. Crasso propraetore debellantur.

COMMENTARIVS.

Gladiatores imperaverint.] Gladiatores servi erant, qui in ludo suo a Lanistis pugnandi artem edocebantur, ut cum munus gladiatorium a magistratu ipsi populo ad voluptatem praeberetur, tunc illi a muneratoribus redemti in arena depugnarent, ea quidem necessitate, ut vel adversarium victum conficerent, vel ipsi conficerentur, idque toties donec vel aetate emeriti, vel saepius victores libertate & missione digni haberentur, & rude a praetore donarentur, qua accepta ab omni depugnandi necessitate liberabantur. Caussam tam atrocis & funesti spectaculi populo dati Iulius Capitolinus duplicem refert: unam, quod ita hanc devotionem contra hostes factam putarent, ut civium sanguine litato, specie pugnarum Fortunam satiarent: alteram & veresimiliorem, ut tam cruento spectaculo cives Romanos adsuefacerent, ne in praelio similes casus exhorrescerent.

Effracto Lentuli ludo] Lentulus quidam Barbatus magnam gladiatorum familiam Capuae alebat, qui a quodam Spartaco Thrace persuasi, ut pro sua potius libertate, quam pro spectatorum voluptate dimicarent, effracta custodia, & armis, quae viatoribus obviis eripuerant, instructi, Vesuvium montem occuparunt. Eorum qui ab ergastulo eruperunt, numerum, varii varie recensent. Plutarch. in Crasso ὀγδοήκοντα δυοῖν δέοντας, Appianus ἑβδομήκοντα μονομάχους, In civil. bell. Livius, Eutropius, Orosius LXXIIII. recensent.

A Clodio Glabro.] Claudium Puchrum legatum habet Epitom. 95. κλώδιον στρατηγὸν Plutarch. LXXIIII. gladiatores eo, quo noster Florus refert, strategemate a Clodii obsessione elapsos eosque aliquot ejus cohortes nec opi-

opinantes aggressos loco pepulisse, testatur etiam Frontin. lib. I. cap. V.

Inde alia castra.] P. Varinium Glabrum prætorem Spartacus magno prælio vicit, ejusque equo, ornamentis & lictoribus potitus est. Furium ejus legatum cum duobus millibus profligavit; Cossinium alterum ejus legatum apud Salinas lavantem ex inopinato fere oppressit, ejusque impedimentis & castris potitus, fugientemque exercitum assecutus, occiso Cosconio fudit fugavitque. Hinc jam celebrior factus Spartacus, affluente undique turba exercitum LXX M. collegit.

Thurios.] Thurii urbs Locrorum in sinu Tarentino ad Sibarim fluvium antea etiam Sibaris dicta, ubi Herodotus historiam suam scripsit, & mortuus sepultusque est, Thucyd. l. 5.

Ducum funera.] Crixus Spartaci socius ad Garganum montem a Gellio consule una cum XXX. M. fugitivis oppressus & occisus est. atque manibus ejus parentavit Spartacus, trecentosque ex Gellii & Lentuli coss. exercitu captivos Crixo inferias misit. Appianus bell. civilis lib. primo.

Munerator.] Muneratores & munerarii dicebantur qui ludos gladiatorios populo, emtis a Lanista gladiatoribus suo sumtu exhibebant.

Lentuli exercitum percecidit.] Cum Spartacus per Apenninum in Galliam properaret, Gellius consul præoccupato itinere eum exclusit, Lentulus consul a tergo ejus vestigiis inhærebat: sed ille singulos per occasionem aggressus repulit, quibus trepide fugientibus eorum castris cum omnibus simul impedimentis potitus est.

C. Cassii castra delevit.] C. Cassius Galliæ Cisalpinæ prætor circa Padum cum decem millium exercitu erat, qui Spartaco obviam profectus, ac prælio commisso fugatus, & ægre elapsus est.

Contra mirmillonem.] Mirmillones & Retiarii gladiatores erant, qui inter se in arena committebantur. Retiarii dicti erant, quia reti varie suos adversarios implicabant & capiebant.

ARGVMENTVM CAP. XXI.

Marius ambitione ardens, Sullæ imperium per Sulpicium tribunum plebis abrogat. Sulla armatus Vrbem invadit, Marium & ejus factionem expellit. Sulpicium occidit. Cinna Marium exsulem revocat, uterque crudelissime Senatum lacerat. Sulla ex Asia reversus, omnium crudelitatem cruenta illa proscriptionis tabula superat.

COMMENTARIVS.

Ornamenta seculi sui Marius, & Sulla.] L. Cornelius Sulla natus familia nobili, sed jam majorum ignavia extincta (sextus enim erat a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos duces fuerat) diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatus rationem habere videretur; deinde post præturam

bello illustratus Italico, & ante in Gallia & Numidia legatione sub Mario, qua eminentissimos hostium duces fuderat, ex successu animum sumsit, petensque consulatum, pæne omnium civium suffragiis anno ætatis undequinquagesimo consul creatus, Asiamque & Mithradaticum bellum sortitus est. C. Marius incredibili ardens ejus belli gerendi cupiditate, P. Sulpicium tribunum pl. impulit, ut lege lata Sullæ (qui adhuc in Campania socialis belli reliquias persequebatur) imperium abrogaret, atque in se transferret. Quam legem cum P. Sulpicius Q. Pompejo consule & Sullæ collega adversante ita tulisset, ut filium etiam consulis Sullæ generum occideret: Sulla irritatus Romam exercitum deduxit, & inimicis prælio superatis, Vrbem ingressus, arcem Capitolinam tamquam victor insedit, atque ex Senatusconsulto XII. inimicos suos hostes judicatos Vrbe expulit, inter quos P. Sulpicius legislator, servi indicio extractus e villa, occisus est. Sulla deinceps statum civitatis ex sua sententia ordinavit.

Cic. Pison. *Marium servilis fuga eximit.*] Marius pater fuga elapsus, cum equites Sullani ipsum insequerentur, ut vitæ suæ consuleret, se in Minturnensium paludes demerserat. inde equitum strepitu territus emergens deprehensus, & Minturnas abreptus est. Minturnenses ejus dignitatem reveriti, ipsum dimittunt, & officiis fugientem prosequuntur; ille se in lembum piscatorium conjicit, & inter navigandum amicos aliquot colligens Meningem petit, cum hinc in Africam vela convertisset, naufragus & exsul ab ea provincia, ut hostis populi Romani, a prætore Sextilio (dum tantus imperator in ruinis Carthaginis fortunæ telis oppressus jaceret) prohibitus est. Ibi filium a Numidiæ regis insidiis una cum sociis elapsum recipit, & in Cercinam insulam navigat. Cum ibidem intellexisset Cinnam, qui suarum partium erat, & Cn. Octavium consules novis seditionibus turbare rempublicam, Cinnamque, consulatu ipsi per vim abrogato, ejectum, Italiam petit, & Cinnæ se conjungit, & reditu suo Senatum cunctum pæne delevit.

Plutarchus in Mario. Appian. de bello civil.

Ab ipsorum discordia.] Alteram caussam hujus seditionis invenio, quod cum civitas aliquot Italicis ita data esset, ut non in XXXV. tribus veteres novi cives censerentur, sed in novas alias decem conscriberentur, ne novorum civium multitudo ac potentia, veterum in comitiis auctoritatem labefactaret: Cinna tamen, ut ab Italicis gratiam iniret, eos se omnes in XXXV. tribus distributurum esse professus est. quo nomine ingentem ex tota Italia multitudinem Romam accivit. cùm autem hanc rogationem per vim perferre vellet, a Cn. Octavio collega, qui veterum civium caussam susceperat, per seditionem Vrbe pulsus est, & cum ad solicitandas Italicas civitates circumiret, ex Senatusconsulto magistratu abdicatus est. In ejus locum L. Cornelius Merula flamen dialis factus, qui capta Vrbe a Cinna & Mario, cum se consulatu abdicasset, incisis venis, sponte vitam finivit, nec alius flamen dialis intra annos duos & septuaginta suffectus est, teste Tacito lib. 4.

Antonii consularis in Marii ipsius mensis.] M. Antonius orator consul fuit cum A. Postumio Albino anno IƆCXIII. Censor cum L. Flacco anno IƆCLVI.

hunc

Digitized by Google

hunc Cicero ut eloquentissimum, prudentissimum, sapientissimumque virum ubique commendat, atque is eloquentiæ gloria omnes honores populi suffragiis assecutus est. Cum autem Mariani & Cinnani milites, ut ab iis percussores ad M. Antonium immissi in ejus cubiculum irrumperent, aliquamdiu sua eloquentia ipsorum mucrones in se districtos cohibuit: sed a superveniente Annio caput ejus præcisum est, quod suis manibus inter epulas Marius per summam animi ac verborum insolentiam aliquamdiu tenuit, & deinde in rostris exponi jussit.

Cæsares a Fimbria.] L. & C. Cæsares fratres occisos esse Appianus refert, Atiliumque Serranum Lucii germanum: item C. Numitorium, & M. Bæbium in via obvios esse trucidatos. P. Crassus in fuga filium interemit, ne veniret vivus in potestatem persequentium, quos ne ipse quidem effugere potuit.

Catulus se ignis haustu exemit.] Q. Catulus, qui Cimbrico bello Marii collega fuerat, dum sibi moriendum esse intellexit, ut se a ludibrio inimicorum vindicaret, in cubiculo suo recens calce illito necdum persiccato, prunis ingestis sponte sua suffocatus est. atque ita trium ætatum tres oratores, M. Antonius, Q. Catulus, C. Iulius crudelissime sunt interfecti. Cic. in Brut.

Fatalem —— manum non porrexerat salutanti.] Plutarchus in Mario, ὅσους ἀσπασαμένους μὴ ἀντιπροσαγορεύσειε μηδ' ἀντασπάσαιτο, τοῦτ' αὐτὸ σύμβολον ἦν ἀποσφάττειν ἐν ταῖς ὁδοῖς.

Septima illa Marii purpura dedit.] Marius consul VII. renuntiatus, intra dies quam inierat tredecim, morbo laterali & phrenesi consumtus est, cum ageret annum septuagesimum. Quarto etiam consulatu suo L. Cinna cum bellum contra Sullam ab Asia victorem revertentem pararet, dum milites suos ut in Dalmatiam trajicerent per vim, ut Sullæ venienti occurreret, cogere vult, ob nimiam crudelitatem ab exercitu suo lapidibus Ancone concisus est. Plutarch. ita: Cn. Pompejus qui postea Magnus appellatus est, juvenis in castra Cinnæ venit, a quo cum esset falso crimine notatus, clam fugit: eo nusquam comparente, creditum est eum a Cinna fuisse interemtum. itaque qui vetere Cinnæ odio imbuti erant, cum impetu facto occiderunt.

Ab Asia cum victore exercitu Sulla properaret.] Sulla compositis transmarinis rebus in Italiam cum XXX. milibus armatorum adversus CC. millia & amplius hostium Brundisii appulit, atque hoc in bello insignem animi fortitudinem ostendit, quod dum per triennium Cinnanæ Marianæque partes Italiam obsiderent, ejus uxorem, familiamque vix fuga servatam urbe ejecissent, bona publicassent, atque domum ejus diruissent: tamen sibi frangendum hostem prius, quam inimicos cives ulciscendum existimaret, nec interea se iis bellum illaturum dissimulaverit. Q. Metellus Pius & Cn. Pompejus Strabonis filius cum parte exercitus se ad Sullam contulerunt: missis legatis qui de pace agerent, iisque ab consule C. Norbano violatis, Sulla ad Canusium cum Norbano signa confert: desiderata sunt ex Norbani exercitu VI. M. ipse Capuam fugit.

Com-

Omnes Scipionis copiæ, —— oppressæ.] L. Scipio alter consul, dum spe pacis a Sulla duceretur, interea per Sullanos ejus exercitus sollicitatus, signa ad Sullam deserto consule transtulit. Scipio & filius cum interimi possent, incolumes dimissi sunt. L. Scipio fluctibus Reipublicæ ita expulsus, Massiliæ postea in exsilio vixit, & a Sulla inter proscriptos relatus est.

Tum Marius juvenis.] Marius iste, filiusne Marii VII. consulis, an nepos fuerit, ex auctorum ista tradentium varietate mihi incertum est. Appianus fratris Marii filium XXVII. annos natum, cum consul crearetur, fuisse scribit. sed Vellejus, Plutarchus, Eutropius, & alii C. Marii filium prodiderunt, quo nomine etiam in Capitolinis tabulis vocatur, fortasse per adoptionem. ipse a Sulla non procul a Præneste ad Sacriportum prælio superatus fugit, & fune in mœnia subductus est. Sulla Præneste circumvallavit, atque obsidioni Lucretium Offellam præfecit. Marius cum Prænestini se dedidissent, per cuniculum captabat evadere, septus undique ab exercitu, mortem sibi conscivit, cum Pontio Telesino fugæ comite stricto utrimque gladio concurrens: quem cum occidisset, ipse saucius à servo impetravit, ut se occideret. ejus caput ad Sullam missum pro rostris positum est. atque Sulla hac victoria elatus, Felicem sese deinceps cognominari voluit.

Et Carbo coss.] Cn. Papirius Carbo cum iterum consul cum Cinna IIII. consule esset, ne quem collegam sibi in Cinnæ a militibus suis cæsi locum sufficeret, auspiciis sæpe impeditus fuit, atque ideo solus per totum annum consulatum gessit; proximo deinde anno tertium consul cum C. Mario creatus, a Metello Pio non procul a Faventia superatus, copiis suis spoliatur, ipse in Siciliam fugit, ibi a Pompejo captus, cum muliebriter etiam fleret, interfectus est.

Sanguine senatus sibi parentabat.] Marii consulis jussu L. Damasippus, vel ut scribit Appianus, Brutus, prætor urbanus cum Senatum vocasset, omnem quæ in Vrbe erat nobilitatem trucidavit: inter ceteros P. Antistium Cn. Pompeji socerum, C. Papirium Carbonem consulis fratrem, L. Domitium, & Q. Mucium Scævulam Pontificem maximum, fugientem in ædes Vestæ, in vestibulo occidit. omnium cadavera in Tiberim projecta sunt.

In villa publica interfici jussit.] Villa publica domus amplissima erat in campo Martio, in qua hostium legati, quibus in Vrbe hospitium non concedebatur, recipiebantur, & de publico alebantur. VII. millia peditum Sullæ jussu in ea jugulata esse D. Augustinus scribit. Valer. Max. quattuor legiones in villa publica fuisse trucidatas numerat, Liv. VIII. millia, Plutarch. VI. millia.

de civit. Dei lib. 3 cap. 28. lib. 9. cap. 2.

Novi generis edictum.] Sulla debellatis inimicis, cum Vrbem per suos milites occupasset, proscriptionis calamitosissimæ inventor fuit, qua præmium percussoribus proscriptorum duo talenta constituit; latentiumque indicibus, & pœnam eandem abditos celantibus interminabatur. Senatores primum octoginta, equites CIↃIↃC. proscripsit, & omnium proscriptorum filios honorum jure lege lata privavit, aditumque iis in Senatum obstruxit, ac ut suam

tyran-

tyrannidem maxima potestate confirmaret, se Dictatorem perpetuum dic per L. Flaccum interregem curavit. atque cum per annos tres multa hominum millia morte, multa, atque omni contumeliarum & injuriæ genere acerbissime vexasset, Italiam & totam rempubl. rerum novarum studio perturbasset, demisso a se publico præsidio, palam in foro dixit, se omnium a se gestarum rerum paratum esse rationem reddere. ipse proximo a Dictatura abdicata anno, ex pediculari morbo periit annos natus sexaginta. magnus ejus funeri honos habitus est, atque ipse in campo Martio, frustra repugnante Lepido consule, sepultus est.

ARGVMENTVM CAP. XXII.

Q. Sertorius proscriptus in Hispania ulteriore ingens bellum movit, sed domestica fraude octavo demum anno occisus est.

COMMENTARIVS.

Bellum Sertorianum.] Q. Sertorius desperatis Marianorum rebus in Hispaniam ulteriorem, quam prætor sortitus erat, profectus est. C. Annius a Sulla Dictatore in Hispaniam missus, Sertorium primum Carthaginem novam, inde in Mauritaniam compulit: post cum eo recedente ad Pityusam insulam navali prælio decertavit. Sertorius tempestate ad Gades delatus, voluntatem cepit navigandi ad insulas Fortunatas, quæ in Atlantico Oceano extremæ versus occidentem credebantur: sed bello Mauritanico, quo Cilices piratæ Mauritaniæ regem dare vellent, avocatus est; & inde victor in Lusitaniam reversus, eam ad bellum impulit, atque armavit. & ut multorum animos sibi religione quadam adstringeret, in castris cervum album tamquam Dianæ donum nutriebat, per quem nocte sibi omnia quæ gererentur, in somnis nuntiari simulabat.

Additus Metello.] Sulla Dictator consulem Q. Metellum Pium in Hispaniam contra Sertorium misit, qui vel ætatis vel morum vitio nihil præclari cum Sertorio gessit. L. Domitius ejus legatus ab Herculejo quæstore Sertorii victus occisus est. Itidem Manilius proconsul e Gallia in Hispaniam cum tribus legionibus & mille ac quingentis equitibus transgressus infeliciter cum Herculejo pugnavit, castrisque exsutus in oppidum Ilerdam pæne solus refugit.

Cn. Pompejus.] Cum Q. Metellus impar adversus Sertorium videretur, visum est Senatui, Cn. Pompejo privato adhuc & equestri extra ordinem imperium in Hispaniam dare, qui, Gallis ipsius iter in Hispaniam prohibentibus, iter eorum internecione patefecit. primum impetum Sertorii victoris novis quidem militibus, & multo paucioribus numero ad Lauronem sustinuit. Lauronem Sertorius inspectante Metello accendit.

Ipsi duces —— æquavere clades.] M. Perperna Lepidi partibus, eo in Sardinia mortuo, fractis, magno cum exercitu ad Sertorium venerat: Serto-

Digitized by Google

rius & Perperna conjungunt copias: iste cum Metello congressus fusus fugatusque est, ille Pompejum vicit, & in femore vulneratum profligavit. iterum ad Seguntiam Sertorius Pompejum, Metellus Perpernam fudit. tertio cum se in Metellum Sertorius intulisset, superveniente Pompejo recessit; ac laboriosissimo bello ægre tandem repulsus est Sertorius: ejus quæstor L. Herculejus a Metello cum omni exercitu concisus est.

Oppresso domestica fraude Sertorio.] Perperna Sertorio ex conjuratione domesticas insidias struxit, epulantem & accubantem confodiunt. Perperna exercitum Sertorii occupavit, & prælio cum Pompejo congressus, victus est; dum fuga salutem quærit, ab equitibus suis ad Pompejum ut percussor Sertorii retractus est. atque dum vociferaretur multa se habere, quæ ad Reipublicæ salutem pertinerent, Pompejo indicanda: epistolas enim eorum nobilium habebat, qui Sertorium ad invadendam Italiam invitaverant. Pompejus statim conquisitas omnes epistolas, ac ne lectas quidem aut inspectas comburi jussit: quo facto laudem invenit, & multos a metu, Vrbem a novo motu liberavit: ipsumque Perpernam antequam indicium alicujus rei effutiret, occidi jussit.

Calaguris.] Calaguris Vasconum in citeriore Hispania oppidum tam pertinaciter Pompejo restitit, quod etiam uxores suas, natosque in alimentum verterint, & cadaverum reliquias salierint. hoc bellum etsi cum Romanis imperatoribus gestum est, tamen quia cum Hispanis militibus pugnatum est, externum potius quam civile est habitum. Metellus & Pompejus de Hispania triumpharunt, sed Pompejus hoc triumpho adhuc eques Rom. ante diem quam consulatum iniret, curru Vrbem invectus est pridie Kalend. Ianuar. ↄↄCXXCII. Valer. Max.

ARGVMENTVM CAP. XXIII.

Marcus Lepidus dum Sullæ leges abrogare conatur, novo motu perturbat Rempublicam. ipse profligatus, in Sardinia animi ægritudine perit.

COMMENTARIVS.

M. Lepido, Q. Catulo consulibus.] M. Aimilius Lepidus consul cum Q. Catulo creatus legem de actis Sullæ jam mortui rescindendis promulgavit, ut qui a Sulla proscripti fuerant, & civitatem, & bona sua recuperarent; cui cum Catulus collega, & boni omnes adversarentur, Lepidus a Senatu jurejurando adactus, bellum se patriæ non facturum, in Galliam ulteriorem, quam sortitus erat, profectus est, tamquam exacto consulatu bellum moturus.

Fax illius motus ab ipso Sullæ rogo exarsit.] Primus e patriciis Corneliis Sulla igni voluit cremari: antea enim humari solent. cum autem ipse victor acerbiore odio C. Marii reliquias ad Anienem sitas dissipari jussisset, timens similem forte casum corpori suo posse accidere cremari voluit. Cic. de leg. 2.

Digitized by Google

Exercitum Vrbi admoverat.] Consulatum alterum per vim petiturus Lepidus, cum Etruriam ad arma commovisset, Galliam citeriorem per M. Brutum, ejus, qui Cæsarem interfecit, patrem, obtineret, infesta signa patriæ intulit. Post autem cum Cn. Pompejus de M. Bruto a se Mutinæ occiso Senatum certiorem fecisset, magnam metus partem, qua Roma tenebatur, ademit. hunc vero motum intra unam æstatem oppressum fuisse Eutropius testatur.

Milvium pontem.] Milvius pons supra Tiberim via Flaminia ab Vrbe plus minus duobus millibus passuum distat in occasum æstivum. exstructus est a M. Scauro censore Sullæ tempore, ut Ammianus scribit.

LIBRI QVARTI

CAPVT I.

Catilinæ & sociorum ipsius conjurationem exponit, & Ciceronis consulis in ea opprimenda vigilantiam, dehinc Catilinam a C. Antonio consule cum suo exercitu cæsum esse.

COMMENTARIVS.

Catilinam.] L. Sergius Catilina patricius, qui triennio etiam antea cum Cn. Pisone conjuraverat, cumque priore anno repetundarum interrogatus, hoc anno ambitus insimulatus, repulsam consulatus tulisset, cum P. Lentulo & C. Cethego prætoribus, atque aliis multis de cæde consulum & Senatus, incendiis Vrbis, & opprimenda Republica conjuravit.

Curii.] Q. Curius flagitiis atque facinoribus coopertus, quem censores senatu probri gratia moverant, homo vanæ & futilis linguæ, conjurationis secreta apud Fulviam, cum qua ei vetus stupri consuetudo erat, effutiverat, ea, quæ, & quomodo audiverat, compluribus narravit, ipseque Cicero consul multa pollicendo pellexit, ut Q. Curius consilia conjurationis Catilinariæ ipsi proderet.

Porcii.] M. Porcius Læca a Sallustio nominatur, in cujus domo Catilinæ dies exeundi, tum ceteris manendi conditio, tum descriptio totam per Vrbem cædis atque incendiorum constituta est. ipse lege Lutatia, postquam Catilina cum exercitu cæsus esset, ex indicio L. Vettii equitis Romani postulatus, de vi publica condemnatus est

Sullæ, Cethegi, Autronii.] P. Cornelius Ser. F. Sulla, & P. Autronius Pætus cum consules in annum IↃCXXCIIX. designati essent, de ambitu postulati non inierunt, sed in eorum locum facti sunt L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus, qui eos ambitus damnaverant. ipsi eo dolore animi exasperati cum Cn. Pisone & Catilina conjurant, & Cottam & Torquatum consules in Capitolio Kal. Ian. parant interficere, sed re per indicium cognita, ipso-

ipſorum conſilium diremtum eſt. P. Autronius & Servius hujus Sullæ frater, de vi publica condemnati ſunt. P. Cornelium Sullam Cicero defendit, & Hortenſius.

Varguntejі atque Longini.] L. Varguntejus Senator cum C. Cornelio equite conſtituerant cum armatis hominibus nocte, quæ ſecuta eſt poſtridie Non. Novemb. ſalutatum ire Ciceronem, & eum in ſuo lectulo confodere: ſed Cicero per Fulviam de dolo qui parabatur, certior factus, non admiſit ſalutatores tam pernicioſos. ſunt & iſti poſtea damnati lege Lutatia de vi publica. L. Caſſium Longinum Salluſtius inter conjuratos etiam numerat.

Lentulus quoque.] P. Cornelius Lentulus Sura conſularis, conſul enim fuerat cum Cn. Aufidio Oreſte anno ıↄCLXXXII. & prætor iterum, conjurationis per indicia convictus, in carcerem ex Senatus conſulto, quod ex Catonis ſeveriore ſententia factum eſt, cum Cethego, Statilio, Cæpario, Gabinio conjectus eſt, atque de iis ſupplicium, gula laqueo fracta, in Tulliano ſumtum eſt. P. Lentulus ex libris Sibyllinis dicere ſolitus erat, Romæ tribus Corneliis regnum portendi, Cinnam atque Sullam antea, ſe tertium eſſe, cujus fatum foret Vrbe potiri. Erat autem hic Lentulus M. Antonii poſtea triumviri vitricus. hinc illud odium M. Antonii & Ciceronis enatum eſſe veriſimile eſt, teſte Plutarch. in Antonio.

Conſul, habito ſenatu, in præſentem reum peroravit.] VI. Idus Novemb. Cicero Senatum in Iovis Statoris ædem convocavit: venit eodem Catilina, eique nullus ſenator aſſidere voluit: eaque pars ſubſelliorum, ad quam ille acceſſerat, nuda & inanis relicta eſt. Tum Cicero conſul, ſive præſentiam ejus timens, ſive ira commotus orationem habuit primam in Catilinam, qua eum ex Vrbe egredi juſſit. Catilina nocte intempeſta cum trecentis armatis, lictoribus & faſcibus, imperii inſignibus adhibitis, ex Vrbe in Etruriam Fæſulas, in caſtra Manliana profectus eſt. Poſtridie quam Catilina profugiſſet, Cicero orationem alteram ad populum habuit, qua gratulatur populo & Reipublicæ, quod Catilina ex Vrbe ſit profectus. Senatus Catilinam & Manlium hoſtes judicavit. Tertia deinde exponit, quid in Senatu actum ſit. Quartam in Senatu Non. Decemb. habuit, in qua Cicero de duabus contrariis ſententiis Cæſaris & Catonis ita diſputat, ut non obſcure in ſeveriorem inclinet.

ARGVMENTVM CAP. II.

Cæſar, Pompejus, Craſſus coitione ſibi dominationem confirmabant: Craſſo a Parthis cæſo, Pompeii & Cæſaris neceſſitudine ob Iuliæ mortem abrupta, cum Cæſar priorem, Pompejus parem non ferret, civilibus armis cum totius orbis & Vrbis calamitate ſocer & gener contendunt. Pompejus in Aegyptum fugiens, perfidiſſimi regis inconſtantia interfectus eſt. Cæſar victis inimicis Rempublicam occupat, & invidia affectati regni, optimatium conſpiratione, poſt triennium in Senatu XXIII. vulneribus confectus eſt.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Ipsum illum in exitum suum armavit.] M. Marcellus consul Cæsaris inimicus anno IↃCCII. ad Senatum retulit, ut Cæsari antequam ejus dominatio imperii continuatione confirmaretur, abrogata lege Pompeii & Crassi, successor daretur, ut exercitum dimitteret, & ne ejus absentis in petitione consulatus ratio haberetur. sed Ser. Sulpicio ejus collega & tribunis pl. summa ope contra tendentibus, nemo in Marcelli sententiam pedibus ivit. Sequenti deinde anno cum Cæsar veritus ne C. Marcellus consul (qui Marcelli patruelis erat) efficeret, quod ille non potuisset, L. Paullum ejus collegam talentis mille quingentis sibi devinxit, ut ne quid contra se contenderet, sed C. Curionis trib. pl. obæratissimi operam, antea consiliis suis adversantem, majori mercede redemit, qui cum de demittendo Cæsaris exercitu referretur, ita quidem consensit, si & ceteri quoque ab armis discederent (qua exceptione Pompejum notabat, qui post consulatum secundum in Hispania bellum per legatos gerebat, atque hoc anno etiam proconsul ad Vrbem erat) atque amici Pompeii ne in eam sententiam discessio fieret, obsistebant. Quod vero duobus prioribus annis adversarii Cæsaris obtinere non poterant, hoc L. Lentulo Crure, & C. Marcello coss. anni IↃCCIII. initio perfectum est. Etenim in sententiam Metelli Scipionis, qui eam ex ipsius Pompeii ore promere videbatur, S. C. factum est ut nisi ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret, eum adversus Rempub. facturum videri; intercesserunt M. Antonius, & Q. Cassius tribuni plebis; itaque de imperio Cæsaris & de trib. plebis intercedentibus, acerbissime instigante Pompejo est decretum. Factum etiam Senatusconsultum ante diem VII. Idus Ianuarias, darent operam coss. prætores, tribuni pl. quique consulares essent ad Vrbem, ne quid Respubl. detrimenti caperet. Tribuni pl. statim servili habitu ab Vrbe fugiunt, & Cæsarem, qui Ravennæ suis postulatis responsa exspectabat, conveniunt.

Metellus ob imminutum Cretæ triumphum.] Q. Metellus Celer consulis Afranii collega fuit, Dione teste, & uterque consulatum Pompeii auxilio, cujus legati in Asia fuerant, consecutus est. Q. Metellum Creticum Pompejo inimicum fuisse, quia ornamentum ejus triumphi subduxerat, ereptis per tribun. plebis ejus captivis, supra capite VII. lib. III. exposuimus. eundem hoc anno in Galliam ob motum Helvetiorum, legatum fuisse missum cum L. Flacco, & Lentulo Clodiani F. Cicero in primo ad Atticum scribit.

Cato —— detrectare Pompejum.] Cum Cn. Pompejus acta sua a Senatu confirmari vellet, ut quæ in Asia bello Mithradatico singulis regibus ac gentibus dedisset, rata essent, atque ea in re L. Lucullum, cui successerat, & M. Catonem adversarios haberet, patribus offensus, Cæsarem ac Crassum sibi adjunxit. Cæsarem, qui abjecto ex Lusitania triumpho, ut privati ejus ratio in comitiis consularibus haberi posset, sua opera consulem

Digitized by Google

creat. Crassum aliis promissis implet. Ita inter tres civitatis principes *coitio* facta, eaque jurejurando firmata est, fore ut nemo nemini in republica adversaretur, atque alius alium gratia, auctoritate, atque omni ope in iis quæ petiisset, adiuvaret. eam coitionem Varro historicus uno libro complexus Tricipitinam vocavit. Dio, Appian. Plutarch. Suetonius.

Consulatus absenti, quem X. tribuni —— decreverant, tum negabatur.] Pompejus consul tertium sine collega anno ɪↄcci. postquam defensor esse reipubl. cœperat, contendit, ut decem trib. pleb. ad populum ferrent, ut absentis Cæsaris in petendo secundo consulatu ratio haberetur. quo privilegio cum Pompejus pravitate aliorum, aut æmulatione alienatus, Cæsarem dissimulanter privaret, Senatumque ut contra Cæsarem atrocius consulerent, animasset, & Cæsari nihil pro æquissima responsa darentur: Cæsar populi beneficium, suamque salutem armis sibi asserendam decrevit.

Veniret, et peteret majorum more. ille contra] More majorum præsentes & privati tantum in Vrbe nomen suum professi petebant magistratum: fuisset itaque Cæsari dimittendus exercitus, ipseque inimicorum suorum ludibrio obnoxius, ut privatus, coactus fuisset primi consulatus sui & administrati in Gallia imperii reddere rationem. Cato enim & Marcellus, tum Lentulus frequenter, simulatque Cæsar ad Vrbem privatus rediisset, nomen ejus delaturos jactaverant. Quare Cæsar inimicorum decretis, tum verbis Antonii & Cassii trib. pleb. incitatus, exercitum ad suam dignitatem contra inimicos tuendam hortatus, trajecto Rubicone, qui Galliam ab Italia dividebat, Ariminum, quod extra provinciam ejus erat, proficiscitur, & quinque cohortibus, quas tunc solas habebat, ut apud Orosium testatur Livius, orbem
lib. 6. terrarum adortus est.

Domitius Corfinio.] Corfinium oppidum in Pelignis, L. Domitius Ahenobarbus, cui Gallia, ut Cæsari succederet, Senatusconsulto, & sine populi jussu decreta erat, XXX. cohortibus tenebat. Pompejus Domitium obsessum, ut imparatus contra Cæsaris exercitum, negligere coactus est. Cæsar die septimo oppido, & Domitio, Vibullioque Rufo, & aliquot senatoribus potitus, eos incolumes dimisit, & HS sexagies quod Domitius in publicum depositum advexerat, ut ipsi redderetur voluit, militesque ejus apud se sacramentum dicere cum jussisset, eos cum Curione in Siciliam misit.

Si Pompejum Brundisii opprimere potuisset.] Cum Pompejo de casu Domitii nuntiatum esset, Luceria Canusium proficiscitur, inde Brundisium cum XX. cohortibus VIII. kal. Martii venit, quem Cæsar cum legionibus sex magna celeritate, ut eum in Italia opprimeret, consecutus, operibus & munitionibus expugnare contendit. Pompejus consules cum magna exercitus parte, ne quid in Italia novi molirentur, in Epirum, Dyrrachium præmiserat. quos ipse, obstructo & munito prius Brundisio, ne Cæsar ejus fugam impediret, XVI. kal. Aprilis secutus est. Cæsar postero die oppidum ingressus, & impositis Brundisio custodibus, cum a prosequendo Pompejo navium inopia tardaretur, ad Vrbem revertitur, & Senatum populumque Rom. hoc

novo

Digitized by Google

novo civili bello, & fuga Pompeji consternatum confirmat, seque pacis & otii publici studiosum testatur: sed cum frustra hoc se agere experiretur, in Hispaniam contra legatos Pompeji proficiscitur.

Cæsar ——— consulem se ipse facit.] Imperite Florus Cæsarem primo ejus in Vrbe adventu, se consulem fecisse scribit: cum enim victor ex Hispania reversus Massiliam venisset, se Dictatorem a M. Aimilio Lepido prætore, qui postea triumvir fuit, dictum esse ex lege lata intellexit; quare ad Vrbem profectus, comitia consularia habuit, seque, quia ex legibus ei propter decennium a primo consulatu exactum, consulem fieri liceret, consulem cum P. Servilio creat, & intra undecimum diem sese dictatura abdicavit.

Aerarium quoque sanctum ——— jussit effringi.] Sanctius ærarium intelligit, in quo pecunia Gallici belli belli caussa servabatur, cum exsecrationibus publicis eam motum non iri, nisi Gallicum bellum impenderet. hoc Cæsar, frustra obsistente L. Metello trib. pleb. effregit, pecuniamque abstulit, cavillans populum ea religione solutum, quia nihil esset quod amplius de de Gallis metueretur, quos ipse perdomuisset. Dio, Plutarch. Lucanus universum ab eo ærarium expilatum scribunt. Plinius eum primo introitu in Vrbem XXVI. M. laerum aureorum, & in numerato pondo CCC. M. ex ærario protulisse scribit. illud si lateres aurei librales fuerunt, quinquagies centena & XVIII. M. florenorum, istud quinquagies quater centena millia numeramus. Orosius tamen summam istam lib. VI. multo angustius contrahi. Dio, Plutarchus Appianus, Lucan. lib. 3.

Siciliam.] Siciliam Cato obtinebat, eo Curionem cum tribus legionibus Cæsar mittit; Cato ejus adventu cognito, ex provincia fugit, questus in concione se projectum ac proditum a Cn. Pompejo, qui omnibus rebus imparatissimus, non necessarium bellum suscepisset, & a se reliquisque in Senatu interrogatus, omnia sibi ad bellum apta ac parata confirmasset.

Et Sardiniam, ——— per legatos habet.] Valerium legatum Cæsar cum una legione in Sardiniam misit. Caralitani simulatque de adventu Valerii accepissent, M. Cottam proprætorem ex oppido ejiciunt; ille perterritus quod omnem provinciam consentire intelligeret, ex Sardinia in Africam profugit.

Quid enim una post quinque legiones.] Cæsar septem legiones tribus Pompeji legatis ita adscribit: Afranio tres, Petrejo duas, Marco quidem Varroni ulteriorem Hispaniam cum duabus legionibus cessisse tuendam, quem Cæsar, cum Afranium & Petrejum exercitu exsuisset, bello prosecutus est; cumque una ejus legio ad Cæsarem transisset, ipse ab ulteriore itinere interclusus, se cum legione altera Cæsari dedidit.

Dolabella & Antonius.] P. Dolabella Cæsaris legatus a M. Octavio & L. Scribonio Libone Dalmatia pulsus. C. Antonius se Octavio cum quindecim cohortibus dedidit. Reliquam hujus rei historiam noster a Lucano, poeta lib. 4. mutuatus est.

Pulso fugatoque Varo.] P. Atius Varus, quem Cæsar Auximo profugum, Sulmo-

Digitized by Google

Sulmone captum dimisit incolumem, in Africam fugerat, atque ibi occupato Pompejii exercitu imperatorem agebat. Sed a Curione Cæsaris legato profligatus est. Curionis confidentia usque adeo eo successu confirmata est, ut Iubæ Mauritaniæ regis cum magnis copiis adventum, temere credens mediocres tantum venire cum Saburra regis præfecto, ausus fuerit excipere: quare ipse a rege circumventus & occisus est, exercitusque Cæsaris fugatus. Intercedebant autem Iubæ cum Curione privatæ simultates, quod legem Trib. pl. promulgaverat, qua regnum Iubæ publicaverat. Iuba hostis a Cæsare judicatur, a Pompejo rex & amicus salutatur.

Quamvis hiems media probiberet.] Pridie Nonas Ianuarias a Brundusio Cæsar solvit cum septem legionibus, postridie in Epirum appulit, Oricum maritimam Chaoniæ urbem, ejectis Pompejanis, & Appoloniam Taulantiorum, totamque Epiron recepit. & dum classiarios Pompeji milites undique a littoribus arceret, ad summam eos omnium rerum difficultatem coëgit, usqueadeo ut Bibulus officio maritimo præfectus, frigore & labore confectus, morbo consumeretur. Cæsar interea per internuntios compositionem Pompejo offerre non intermittebat, sed ab illo adulatorum suorum vocibus corrupto, nihil pacati referebatur.

Contractis in unum omnibus undique copiis.] Antonius cum tribus veteranis & una tironum legione, & septingentis equitibus suprá Lissum Dalmatiæ Vrbem, frustra hostium classe insequente appulerat: eo Pompejus ut Antonium ex insidiis imparatum opprimeret, cum exercitu magnis itineribus proficiscebatur. Antonius per Græcos de Pompeji insidiis præmonitus, se uno die castris continet, & Cæsarem venientem excipit. Pompejus, cum se persequente Cæsare Dyrrachium recepisset, Cæsarem prælio ita vicit, ut ille ob rei frumentariæ inopiam, castra inde in Thessaliam transferre coactus fuerit. Qua de caussa Pompejus a suis imperator salutatus *est*. *Victus* Cæsar, Pompejo non instante & urgente recentem victoriam, negavit eum vincere scire. Cæsar. Sueton. Plutarch.

Virtus Scævæ centurionis enituit.] Scævæ centurionis scuto ad Cæsarem relato, intenta sunt in eo foramina (ut Cæsar, nisi mendosus est liber, scribit) ccxxx. & in uno castello sagittarum xxx. circiter millia a Pompejanis conjecta fuisse: quattuorque ex illa una sextæ legionis cohorte (quæ quattuor Pompeji legiones per aliquot horas sustinuerit) centuriones, ipsumque Scævam oculos amisisse. ita Suetonius. Cæsar.

Crastini pilum.] Crastinus evocatus erat in exercitu Cæsaris, qui superiore anno apud eum primum pilum in legione decima duxerat; hic primum lancea in Pompejanos contorta, acies commisit, fortissimeque omnium post Cæsarem se hoc prælio gessisse dicitur, eumque præcipuam ad victoriam ejus dici operam navasse Cæsar credebat. Evocati vocabantur milites, qui semel emeriti, gratia imperatoris sui sponte iterum militabant.

Iussuque Pompeii fusus a cornu erupisset equitatus.] Pompejus suis victoriam sine

Digitized by Google

sine vulnere, & incruentam tali stratagemate promittebat, quod cum multo equitatu valeret, equites Cæsaris dextrum cornu a latere aperto aggressuri essent, & a tergo circumventam aciem perturbatamque propulsuri. Hoc Cæsar metuens, ex tertia acie sua singulas cohortes detraxit, atque ex his quartam aciem III. M. peditum audacissimorum instituit, quam equitatui Pompeji opposuit, monuitque ne ipsius injussu pugnarent: in ipsorum namque virtute ejus diei victoriam constare. Cum itaque Pompejani equites a sinistro cornu erumperent, quartæ aciei Cæsar signum dedit, qui tanta celeritate & impetu se in Pompeji equites contulerunt, dumque facies ipsorum infestis hastis petunt (quod ex Cæsaris jussu ideo faciebant, ut formosos juvenes deformitatis periculo averterent) ut nemo eorum consisteret, omnesque conversi & fuga incitati altissimos montes peterent.

Sub oculis uxoris suæ liberorumque moreretur.] Pompejus maxima clade victus, cum duobus Lentulis consularibus, Sextoque filio, & Cornelia uxore in naves e Mitylena recepta, Aegyptum petebat, memor beneficiorum quæ in patrem ejus Ptolemæi, qui tum puer tredecim annorum regnabat, Alexandriæ contulerat. Pompejus in Aegyptum delatus, jussu regis Ptolemæi, auctoritate Theodoti præceptoris, & Photini, percussoribus Achilla præfecto regio, & L. Septimio milite quondam suo, a quibus navicula exceptus, antequam in terram exscenderet, occisus est pridie kalend. Octobris, quo die ante annos XIII. de Mithradate & Tigrane triumphaverat. interfectus est annum agens duodesexagesimum pridie natalis sui, teste Paterculo. Cornelia uxor, & Sex. Pompejus in Cyprum refugerunt. Cæsar post diem tertium insecutus, cum ei Theodotus caput Pompeji, & annulum ejus obtulisset (in quo leo gladium gestans sculptus erat) doluit, & illacrumavit. Appianus, Dio, Plutarch. Paterculus, & alii.

Incendio, infestorum hostium tela submovit.] Cum classis Cæsaris ab hostibus diriperetur, facibus (quibus insignis illa etiam Ptolemæi Philadelphi bibliotheca deflagravit) eos submovere coactus est. Post commissa ad Pharum peninsulam pugna, cum quandam naviculam, ut suis opitularetur, conscendisset, ab hostibus oppressus, se e navicula conjecit, ac per ducentos passus natans, elata læva, ne libelli quos tenebat, madefierent, paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis, vix ad suos evasit incolumis. ita Suetonius, Hirtius, Dio, Plutar. &c.

Theodotus magister.] Theodotus Chius præceptor regis, inopia meliorum etiam in consilium vocatus cum de Pompejo excipiendo ageretur, ostendit non admittendum Pompejum, ne Cæsarem victorem irritarent, aut ne sibi Pompejum ut dominum imponerent, sed occidendum: eo enim officio Cæsaris gratiam posse demereri, aut suorum tranquillitati consuli, quia mortui non morderent. atque ita ex vilissimi mancipii sententia de Magni Pompeji capite decretum est. At Theodotus tum quidem occasione temporum supplicium evasit, sed M. Bruti jussu post quadriennium omni cruciatus genere enecatus est. Photinus, cum eadem in Cæsarem moliri quæ antea

Digitized by Google

tea in Pompejum crederetur, Cæsaris jussu interemtus est. Ganymedis Arsinoës reginæ præfecti insidiis Achillas est enecatus. at Ganymedes in eodem, quo & rex ipse Ptolemæus prælio cæsus est. Virilia portenta Eunuchos vocat, qui virilitatem sola facie aut vestitu mentiebantur, virilibus exsectis.

Rex Pharnaces.] Pompejus bello Mithradatico Pharnacem (quia patrem Mithradatem in gratiam Romanorum ad mortem coegisse credebatur) Bospori Cimmerii regem constituerat: is observata occasione, qua Romani inter se civilibus armis digladiabantur, patrii recuperandi regni cupidus, Colchida & Armeniam, Cappadociæ & Ponti partem in potestatem redegit, Domitium Calvinum a Cæsare ad ejus conatus reprimendos missum profligavit, atque hac victoria ferocior factus, reliquas Ponti partes expugnata Amiso occupavit. hinc cum in Bosporum ad sedandos tumultus domesticos rediret, accepto Cæsaris ex Aegypto venientis in se impetu, sibi subsistendum ratus, cum eo ad Zelam Ponti urbem congressus, uno prælio fugatus, cum in Bosporum profugeret, ab Asandro Bosporani tumultus auctore necatus est. Cæsar Mithradatem Pergamenum, cujus opera in Aegypto fidelissima usus erat, regem Ponti constituit, quo factum est, ut merito Cæsar gloriatus sit, se ita cum Pharnace pugnasse, ut eadem hora venerit, viderit, vicerit.

At in Africa.] Cæsar Romam ex Oriente reversus, haud multo post VI. kal. Ianuarii contra Scipionem & Iubam Mauritaniæ regem, in Africam navigavit: ibi enim illi post pugnam Pharsalicam partes Pompejanas denuo confirmaverant, Scipionique imperium detulerant. Scipio præliis aliquot & velitationibus secundis contra Cæsarem factus ferocior, collatis ad Thapsum cum Cæsare signis, funditur, profligatur, ejusdemque castra, itidem Afranii, & Iubæ regis eodem impetu a Cæsare capiuntur.

Sua sponte signa cecinerunt.] Cæsar cum suos, ne cum impetu & ferocia se hostium telis objicerent, coerceret, ipsique milites ardore pugnæ accenderentur, quidam tubicen injussu Cæsaris, a militibus coactus canere cœpit; quo facto ab universis cohortibus signa in hostem inferebantur. ita Oppius.

Bene se habet imperator.] Q. Metellus Scipio Pompeii socer erat, ad quem ut proconsularem (erat enim a genero Pompejo, qui solus consul erat, in quinque reliquos menses subrogatus anno ƆƆCCI) M. Cato qui prætorius tantum fuerat, omne imperium detulerat, non semel ejus vel pervicaciam vel arrogantiam culpatus, quod Cæsarem prælio potius aggrediendum, & re in dubio Marte periclitandam, quam impetum Cæsaris mora & fame frangendum, ut Cato suadebat, putaret. Victus autem cum in navem se conjecisset, in Hispaniam ad Cn. Pompejum fugam cogitabat: sed tempestate ad Hipponem Regium delatus, a P. Sittii classe circumventus, honestæ morti vocem quoque adjecit, quærentibus enim hostibus Imperatorem, dixit, Imperator bene se habet, atque se percussum in fluctus intulit. De hujus Scipionis prænomine ambiguum esset quid sequereris, quia Appianus vocat Lucium, & Dio L. Asiatici filium, nisi Ciceronis auctoritatem habeas potiorem,

Digitized by Google

rem, qui ad Atticum satis testatur, hunc P. Cornelii Scipionis Nasicæ Serapionis filium fuisse, qui anno IↃCXLI. consul fuerat, ex quo genitus hic Scipio, in familiam Metellorum adoptatus, Q. Cæcilius Metellus Scipio appellatus est. lib. VI. ep. 1.

Quasi non esset usquam dimicatum, sic arma rursus & partes.] Cn. Pompejus a militibus Cæsaris, qui ne pœnas ob seditionem darent, metu a Cæsare defecerant, arcessitus in Hispaniam ulteriorem venerat (cui & Sextus ejus frater, Labienus, & Varus post cladem Africanam se conjunxerant) magnum reparaverat exercitum, usqueadeo ut Q. Pedius, aut Q. Fabius Maximus, quos legatos antea Cæsar exercitui præfecerat, jam Pompeii impetum sustinere non possent. quare Cæsar magnis itineribus cum exercitu spatio XXVII. dierum in Hispaniam venit, obsidente Ullam Cn. Pompejo. Cæsar adducto ad Cordubam, quæ a Sexto Pompejo tenebatur, exercitu, Cn. ab Vlla, quam prope ceperat, avocavit. ipse Atteguam circumvallatam obsedit: eo Pompejus accurrens, equitatum Cæsaris circumventum prope concidit. Attegua post a Cæsare capta est ante diem XI. Kal. Martias: ipse Imperator appellatus est. deinde Corduba, post Hispalis, postremo Munda pridie Idus Aprilis in potestatem Cæsaris pervenerunt. Is ultimo prælio ad Mundam desperatis rebus etiam de nece cogitasse dicitur: Labienus & Varus in hoc prælio ceciderunt. quod Liberalibus factum scribit Plutarch. hoc est, ante diem XVI. kal. Aprilis, quo die ante quadriennium Pompejus primum belli civilis caussa ab Vrbe profectus fuerat.

Postrema certaminum Munda.] Munda, apud quam ultimum prælium a Cæsare gestum est, teste Lucano, distabat a Corduba passuum millia quinque, quantum ex Strabone & Hirtio colligitur. iste enim Cordubam a Carteia distare CLXX. millia passuum refert: ille Mundam a Carteja millia & quadringenta stadia, quæ colligunt millia passuum CLXXV. differentia itaque inter utrumque numerum scilicet quinque millia passuum, spatium quo Munda & Corduba distabant, referet. lib. 3.

Vel eadem timens.] Cæsarisne ad ætatem, qui fere nunc Pompejo morienti æqualis, referendum hoc erit, an ad fortunam Cæsaris, qui jam totius Orientis & Africæ victor erat? postquam enim Pompejus de oriente triumphaverat, ut nunc Cæsar, nihil unquam tanta deinceps gloria & imperatoria laude dignum gesserat, quasi jam consenescentis fortunæ favore destitutus.

Quartus.] Quinctum hunc triumphum Cæsaris numerant tabulæ Capitolinæ & Paterculus, quo devictis Pompeii liberis ex Hispania mense Octobri reversus, triumphavit, anno IↃCCIIX. Anno superiori quattuor duxerat triumphos, Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, Africanum, in quo etiam Iuba regis filius, is qui historiam scripsit, ductus est.

Et bis subactam ostendebat Hispaniam.] Bis a Cæsare Hispaniam ante hanc de Pompeii liberis victoriam esse subactam observavi, semel cum Lusitaniam post præturam urbanam vicit, coactus triumphum dimittere, ut præsens consulatum peteret anno IↃCXCIII. Iterum cum Afranium & Petrejum legatos Pompeii, itidem Varronem exercitibus exuisset anno IↃCCIV.

Digitized by Google

Filiamque Pompeii cum patruelibus ex Sulla.] In Floro nostro aut verbum; Conservavit, in contextu prætermissum est, aut diversus abit ab Hirtio, qui Cæsarem Pompejæ Fausti Sullæ conjugi, ejus liberis, reliquisque rebus omnia incolumia concessisse scribit. Faustum Pompeii generum, Afraniumque, dum post cladem Africanam per Mauritaniam in Hispaniam contendunt, cum CIↃIↃ. quos ex fuga collegerant, a P. Sittio insidiis exceptos captosque, & ab exercitu ejus in dissensione quadam occisos, testatur Hirtius, ita ut ab hac invidia Cæsarem liberet, ejusdemque sententiæ aliquot etiam scriptores fuisse Suetonius in Cæsare testatur. L. tamen Cæsarem cognatum suum, ut semper sibi infestum, jussit occidi, ut Dio scribit.
lib. 43. Afranium autem in Hispania initio civilis belli incolumem demiserat: nunc ille iterum arma cum contra Cæsarem sumsisset, merito cæsus videbatur. Faustum Sullam ut Pompeii generum, & hinc ut novas partes contra se confirmaturum, occidendum putavit. Orosius autem eadem cum Floro refert de Pompejæ & ejus liberorum cæde.

Fastigium in domo.] Fastigium quoddam ex Livio refert Plutarch. (quod
Philipp. 1. ipse ἀκρωτήριον vocat) ædibus Cæsaris, quasi honoris caussa & majestatis, ex senatus auctoritate impositum fuisse, quod Calpurnia uxor ejus per somnium ea nocte, quæ cædem ejus præcedebat, collabi, maritumque in gremio suo confodi deflebat, teste Suetonio, & Plutarcho in Cæsare.

Mensis in cælo.] Lege Antonia Iulius mensis, qui antea Quinctilis erat, dictus est: quia Iulius IIII. Idus Quinctileis natus erat C. Mario, L. Valerio Flacco coss. anno IↃCLIII. Cæsar etiam annum correxit, & ad Solis anfractus ex trecentis sexaginta quinque diebus & quadrante dimensus est, eumque Sosigenis, & Mathematicorum, quos in Aegypto consulucrat, traditione ita ordinavit. unde annus iste quo etiam nunc utimur, Iulianus dictus est. Annotavit etiam in Fastis orientium & occidentium siderum dies,
Plutarch. in Ciceron. in quos Cicero acerbe jocatus est; cum quidam postridie Liram oriri dixisset, nimirum, inquit, ex edicto, tamquam eam quoque parendi necessitatem hominibus Cæsar imposuisset. Plin. Plutarch. alii.

Oblata —— regni insignia.] Lupercalibus, hoc est, XVI. kal. Mart. cum Cæsar pro Rostris in aurea sella sedens, amictus toga purpurea, spectaret Lupercos, Antonius consul unus e Lupercis ad sellam accessit, & capiti ejus diadema lauro circumposita imposuit, quod Cæsar cum plausu populi rejecit. Lupercalibus multi nobiles adolescentes, & magistratum etiam gerentes, nudi per Vrbem discurrebant, & obvios quosque per risum jocumque hirsutis scuticis feriebant: multæ etiam matronæ nobiles de industria ipsis occurrebant, manusque verberibus tamquam in ludo litterario præbebant, ad facilem partum gravidis, & ad fœcunditatem sterilibus id con cere persuasæ. Plutarchus in Antonio, Cic. in Philipp. secunda.

Brutus & Cassius aliique patricii consenserunt in cædem Principis.] M. Brutus & C. Cassius conjurationis istius in Cæsaris perniciem principes, clade Phar-

Digitized by Google

Pharsalica ab eo conservati erant, & nunc honoribus ornati, tamen cum plusquam sexaginta senatoribus conspiraverant in ejus viri necem, pro cujus salute paulo ante & ipsi & Senatus se, suosque devoverat, ejusque vitam se protecturos juraverat. Atque cum Cæsar Idibus Martiis, quas ejus cædi destinaverant, Senatum per Antonium consulem dimittere, nec prodire decrevisset, vel uxoris suæ insomniis perterritus, vel valetudine imbecilliore tardatus, vel aruspicum obnuntiationibus perculsus, tandem a Decimo Bruto, quo familiarissime utebatur, persuasus, ne scilicet Senatus dignitatem aliqua superbia offenderet, quincta fere diei hora progressus est. Cumque ipsi libellus index conjurationis esset oblatus, & adjectum quoque, ut eum mox legeret, pertinere enim ad ejus salutem: tamen a Decimo Bruto ita & a conjurationis consciis studio est distentus, quod ne legere quidem eum potuerit. Cæsar vero cum in Senatum veniens consedisset, Cimber Tullius velut pro fratre exsule deprecaturus, propius accessit, ejusque togam utraque manu apprehensam a collo detraxit, quod signum conjuratis erat ipsum invadendi, Casca eum primus, ut convenerat, circa cervicem, ut Plutarch. & alii, circa iugulum pugione percutit; Cæsar Cascæ brachium graphio trajecit, conatusque prosilire, altero vulnere tardatus est: cumque animadverteret se undique strictis pugionibus invadi, toga caput involvit, & ad Pompeii statuam prolapsus, XXIII. vulneribus confossus est. periit anno ætatis suæ sexto & quinquagesimo. Curiam in qua occisus, obstrui placuit. Idus Martias Patricidium nominari, & ne unquam eo die Senatus haberetur. Percussorum nemo ultra triennium vixit, violenterque omnes perierunt; pars naufragio, pars prælio, nonnulli semet eodem pugione (quod de Cassio scribit in Cæsare Plutarchus) quo Cæsarem violaverant, interemerunt.

ARGVMENTVM CAP. III.

Antonii cupiditas, & regnandi libido, Sexti Pompeii hereditatis paternæ repetitio, Octavii in Cæsarum familiam adoptio, iterum Rempublicam civilibus armis di[l]aniat, nec per XII. *annos tranquillitas data est, donec Respublica sub unius Octavii potestatem, qui Augustus dictus est, concesserit.*

COMMENTARIVS.

In statum pristinæ libertatis.] Cum Cæsaris percussores in Capitolium se a perpetrato facinore recepissent, Cicero ante diem XVI. kal. Aprilis (Ciceronem Plutarch. hujus conjurationis non fuisse conscium testatur) quantum in ipso fuit jecit fundamenta pacis, Atheniensium renovavit vetus exemplum, Græcum etiam verbum ἀμνηστίας usurpavit, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censuit. Habuit & Antonius orationem de concordia, ejusque parvus filius in Capitolium missus, pacis obses fuit: itaque percussores e Capitolio descenderunt. Brutus apud Lepidum, Crassus apud Antonium, ceteri apud

Digitized by Google

alios cenarunt. Atque omnia hæc Antonius callide simulabat, quousque se suaque præsidiis contra omnem metum munivisset. postero enim die cum Cæsar funere elatus, & M. Antonius oratione funebri ad lamentationem & commiserationem composita, per quam gestibus, & cruentata Cæsaris toga, & imagine fœdata sanguine, populum contra oblivionis decretum, & ad percussorum ultionem accendebat. Plebs cum facibus e rogo raptis ad domum Bruti Cassiique & aliorum contendebat, atque ægre vi manibus & precibus vicinorum repulsa ab incendio fuit. Erat inter conjuratos deliberatum, an Antonius, quem ut propugnatorem regni Cæsariani oderant, etiam interimendus esset cum Cæsare: sed cum judicio Bruti Antonius satis honesta caussa occidi non posset, tunc quidem dimissus est.

Dum Sextus paterna repetit.] Antonius ut artibus suis Senatum magis deciperet, etsi populum seditiose in percussores Cæsaris irritaverat, ad Senatum tamen retulit de Sexto Pompejo, Magni omnibus desiderati filio, qui tum a Cæsarianis in Bætica oppugnabatur, ut pro paternis bonis in ærarium relatis darentur ei de publico sestertium bis millies; ad hæc decerneretur ei sicut prius patri, maris imperium, classisque daretur ad usus necessarios. Patres mirabundi probaverunt omnia, atque ita Sextus ex Hispania in Siciliam S. C. evocatus est, ex qua postea Cæsari Augusto difficillimum bellum movit. Appian. Dio, alii.

Ad Octavium —— summa rerum rediit.] Monarchiam Augusti intelligit, sive merum unius Principis adsolutum imperium: nec enim respublica tot civilibus bellis labefactata, civibus ob privata odia bellantibus attrita, & partium studio semper alente discordiam tentata, aliter conquiescere & respirare potuit, quam si ad unius optimi principis jus, potestatem, atque imperium, quod magistratuum, Senatus ac populi fuerat, transferretur.

M. Antonio, P. Dolabella coss. —— multiplex civitatis motus fuit.] P. Cornelius Dolabella consul designatus erat, ut Cæsari ad Parthicum bellum profecto succederet: eo occiso, ipse natus annos XXV. consulatum invasit, & in Suriam contendit, quam cum legionibus a Cæsare in Parthicum bellum præmissis, populi suffragiis, & Antonii auxilio obtinuit, & a Pergamo & Smyrna per C. Trebonium, unum e Cæsaris percussoribus exclusus, noctu reversus, ex insperato Smyrnam invadit, & urbem ex insidiis occupat. Trebonius in cubili suo deprehensus, & omni cruciatu corporis primum vexatus, trucidatus est. ejus caput per vias lapide stratas, milites sibi invicem pro pila mittentes, per ludibrium & iram ita contriverant, ut nulla appareret facies. itaque Trebonius luit primas parricidii in Cæsarem pœnas. quo facto Dolabella hostis a Senatu judicatus est, qui cum Cassium navali prælio aliquoties vicisset, ad ultimum ipse victus Laodiceam fugit, ibique obsessus, urbe capta satelliti suo cervicem feriendam præbuit. Appianus, Dio, alii.

AR-

Digitized by Google

ARGVMENTVM CAP. IV.

Octavius a Senatu contra Antonium Reipublicæ hostem Imperator declaratus, exercitum Antonii ad Mutinam profligat, Decimum Mutinæ obsessum liberat. unde & hoc bellum Mutinense a Mutina dictum fuit.

COMMENTARIVS.

Prima civilium motuum caussa.] C. Octavius, qui deinceps imperium Romanum sub nomine Augusti tenuit, cum Cæsar ejus avunculus magnus (nupserat enim Iulia Cæsaris soror in domum Atii Balbi, ex quo Atia nata, uxor Octavii, qui pater Augusti fuit) Romæ interficeretur: Appolloniæ litteris & militaribus disciplinis operam dabat: erat enim eo in expeditionem Parthicam a Cæsare præmissus. Factus autem certior de Cæsaris cæde, in Italiam transiit, & Neapolim venit XIIII. kal. Maii. fuit etiam ruri cum Cicerone perhonorifice & amice. Romam cum pervenisset, ab Antonio consule superbe exceptus est. Adiit tamen invidiosam Cæsaris hereditatem, quamvis id neque Atiæ matri, neque L. Philippo vitrico ejus placeret. Adita hereditate Cæsaris, nomen quoque ejus tulit, cumque prius C. Octavius nominaretur, deinceps C. Iulius Cæsar Octavianus de more dictus est. quamquam lex Curiata de adoptione ejus anno demum sequente in ipsius consulatu perlata fuerit, teste Dione, quod ideo necessarium esse sibi putavit, quia ea lege adoptivi jus habebant, ac naturales filii, ut & propinquos, & libertos adoptantium assequerentur. Epist. 10. lib 14. ad Attic. Velleius. Sueton. Dio. Lib. 46.

Testamentum Cæsaris fuit.] Testamentum Cæsaris L. Pisone ejus socero postulante, invito Senatu, ad populum recitatum fuit, antequam Cæsaris cadaver in foro cremaretur: quod ideo percussoribus maximam invidiam movebat, quia populo viritim trecenos sestertios Cæsar legaverat, & hortos circa Tiberim publicaverat; atque nihil adeo exacerbavit omnium indignationem, quam quod Decimum Brutum proditorem suum in secundis heredibus primum scripserat. Secundi heredes ideo post primos adscribebant, ut si quid illis primis humanitus accidisset, tunc secundi succederent. Appianus.

Cujus secundus heres Antonius prælatum sibi Octavium furens.] Cicero Philippica secunda, cum Antonii scelera percunctationibus exagitat, hoc quoque ei obiicit, quod Cæsaris ex testamento, ut ipse dicebat, filius esset. Appianus etiam, cum Octavius ita cum Antonio expostulat, idem subindicare videtur: *Et te filium adoptivum scripsisset, si scivisset æquo animo ex Heraclidarum gente transiturum ad Aeneadas:* id enim fecit ambigere Cæsarem, dum de successore cogitat. Lib. 3. de civil. bell.

Lacerare fortis hereditatem.] Calpurnia Cæsaris uxor vel mariti cæde perturbata, vel Antonii consulis perculsa minis, pecuniam & acta Cæsaris in ejus domum transferri permiserat: at quia acta Cæsaris & consilia nondum publicata, tamen Antonii calliditate Senatusconsulto confirmata erant; ea

Anto-

Antonius in multorum gratiam vel domesticis nundinationibus corrumpebat, vel adulterabat, usus in ea fraude Taberii opera, qui Cæsari a manibus fuerat. Sestertium quoque septies millies depositum a Cæsare ad Opis ædem occupatum erat ab Antonio. Octavium pecuniam eam reposcentem, & ut sibi adversus avunculi sui percussores adesset, petentem superbe & contumeliose repellebat. quare ut Octavius legatum populo Romano Cæsaris nomine repræsentaret, suum patrimonium, & quidquid ipsi testamento a Cæsare obvenerat, venale proscripsit, legatumque populo persolvit; qua beneficentia plebem ita sibi devinxit, ut Antonium invidiosissimum omnibus redderet. Octavius sibi & Reipubl. contra eum vires paraturus, deductos a patre in colonias veteranos excitavit. Legiones Martia & Quarta signa ad Octavium transtulerunt, deinde & complures sævitia M. Antonii, qua passim in castris suis trucidari jusserat, quia ei suspecti erant, ad eundem desciverunt. quo nuntio allato, Antonius mente ita concidit, ut paludatus in Galliam citeriorem, quam a populo obtinuerat, ante diem quartum kal. Decemb. properaret. Decimus Brutus, qui provinciam Galliam primum a Cæsare datam, post interfecto Cæsare, a Senatu confirmatam proc. obtinebat, ut irrumpenti in eam Antonio obsisteret, *Mutinæ* cum exercitu substitit, seque ab Antonio ibi circumvallatum obsideri *permisit*. Dio, Appian. Plutarch. Cicer.

Brutum obsidebat.] Kalend. Ianuarii Hirtio & Pansa coss. anno IↃCCX. dum M. Antonius Brutum Mutinæ obsidebat, S. C. factum est, ut Cæsar Octavianus, qui privato consilio pro Republica arma contra Antonium sumserat, pro prætore bellum gereret, senator esset, & sententiam loco prætorio diceret. quantamque pecuniam militibus earum legionum, quæ Antonium reliquissent, parta victoria pollicitus esset, tanta *publice daretur*, & ut Cæsar una cum Hirtio & Pansa coss. cum exercitu *illo quem haberet*, bellum administraret. Antonio hoste a Senatu judicato, Hirtius ad bellum profectus, eumque paucis post diebus Pansa consecutus est. Cæsar atque Hirtius Bononia in potestatem redacta, propius admotis castris Brutum de suo adventu, atque auxilio certiorem faciunt. Præliis aliquot secundis ferocior factus Antonius, relictis qui Cæsaris & Hirtii castra oppugnarent, clam in Pansam advenientem Bononiam versus XVII. kal. Maii contendit, ac tum prospere eo vulnerato pugnavit. audita re, Hirtius redeunti ut victori securius & dissolutius in castra sua Antonio se obtulit, ac fusis ejus copiis Pansæ cladem correxit. Ex ea re consules & Cæsar Imperatores a senatu & militibus appellati sunt, quamvis Pansa male, Cæsar omnino ne pugnasset quidem. Dio, Appian. Cicer. Sueton. alii.

Octavius Cæsar —— consulem aggreditur.] Paucis diebus postquam Pansam Antonius, Hirtius Antonium vicisset, ad Mutinam summo prælio pugnatum est in quo fugatus, & castris atque exercitu exsutus Antonius ad M. Lepidum proconsulem in ulteriorem Galliam cum paucis profugit. Hirtius post victoriam in inimicorum castris saucius obiit: Pansa Bononiæ itidem

ex

Digitized by Google

ex vulnere mortuus est. Bruto & Mutina obsidione liberatis, solus Cæsar incolumis gloriosissima victoria potitus est: atque cum de Decimo Bruto ut patris percussore pœnas sumere potuisset, ipsum incolumem dimisit. Senatus autem omnia in contumeliam Cæsaris, & ut eum quoque deprimerent, Bruto veluti victori contra Antonium, quæ Cæsari tribuenda essent, decrevit. Quare Cæsar tot injuriis irritatus, cum sentiret quoque metu moto, favere Senatum Pompejanis partibus, seque tali ipsorum voluntate conterendum, nisi obsisteret; adhæc Ciceronem censuisse, quod ipse Cæsar ornandus & tollendus esset, cum aliud diceret, aliud intelligeret, nonnulli se puerum contumeliose vocassent, caussam optimatium sine cunctatione deseruit. Tum inter eum & Antonium per commercia epistolarum conditionum facta mentio, cumque effecisset, ut milites inter se jurejurando sancirent, cum nullo exercitu qui C. Cæsaris fuisset, bellum se gesturos, quadringentos milites Romam ad Senatum misit, qui consulatum sibi nomine exercitus deposcerent: cum quidem cunctante Senatu, Cornelius Centurio princeps legationis rejecto sagulo ostendens gladii capulum, dubitasset in curia dicere: *Hic faciet, si non feceritis vos.* Cicero subjecit, *Si ita petieritis consulatum, eum accipiet.* Militibus re infecta ad Octavianum reversis, Antonium & Lepidum in Italiam accersivit, atque ipse legiones hostiliter ad Urbem admovit. . Cautem Cæsar Octavianus consul statim factus est pridie Natalis sui x. kal. Octobris, cum postridie viginti annos impleret, cum Q. Pedio collega. Consul legem tulit de quæstione in eos habenda, quorum opera pater occisus esset; perrogavit autem Q. Pedius collega: unde lex Pedia nominatur: eaque omnibus, qui Iulium Cæsarem interfecerant, aqua & igni interdixit; postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus, & alii.

Suetonius, Patercul. Brutus Epist. 10. lib. 11.

Suetonius.

Dio lib. 6.

Sueton. Dio, Appian. Plutarch. Paterc. Livius.

Obsidio Mutinæ liberat Brutum.] Decimus Brutus cum quattuor veteranis legionibus, & sex tironum, quos contra Antonium ex S. C. ducebat, fame & inopia coactus, statuit ad Brutum & Cassium in Macedoniam fugere: legiones tædio & difficultate itineris ejus quod proposuerat, deterritæ, sex tironum ad Cæsarem, quattuor veteranæ ad Antonium deficiunt: ipse cum peteret Aquilejam captus, & a Capeno Sequano, qui illi Galliæ parti præerat, jussu Antonii trucidatus est, caputque Antonio missum. ita Decimus Brutus patricidii etiam pœnas Cæsari dedit, sesquianno post Cæsarem peremtum. & paulo post Minucius Basillus etiam percussorum unus, a suis servis quos per iram castraverat, trucidatus est.

Paterc. Suetonius.

ARGUMENTUM CAP. V.

L. Antonius triumviri Antonii frater cum Fulvia ejus uxore bellum Cæsari concitant. L. Antonius Perusiæ (unde hoc bellum Perusinum dictum est) se mœnibus includit, & a Cæsare ad deditionem fame compulsus, incolumis dimittitur.

Digitized by Google

COMMENTARIVS.

Alterum bellum concitavit.] L. Antonius consul Fulviæ consilio usus, modo apud veteranos Cæsarem criminatus, modo eos qui agros amiserant (quos veteranis in castris Philippicis Cæsar & Antonius promissos dederant) ad arma conciens magnum conflaverat exercitum. ex altera parte Fulvia Antonii triumviri uxor, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultuque miscebat, eaque Præneste belli sedem delegerat. Cum vero legatis de pace ultro citroque missis, nihil proficeretur, Cæsar in Nursinos & Sentinates exercitum duxit. L. Antonius in urbem hostiliter invasit, M. Lepido, qui custodiæ urbis cum exercitu præerat, profligato. Cæsar Sentinatibus obsidendis Q. Salvidieno permissis, Romam accurrens, Antonium ejecit, & in Galliam contendentem in itinere intercepit, atque Perusiæ se includentem diu obsedit; tandem aliquoties erumpere conantem, sed repulsum, fame ad deditionem coegit: sed veniam petendi dedit, & bellum sine prælio confectum est, Calvino & Pollione coss. ɪↄccxɪɪɪ. Dio, Appian. Sueton. alii.

Fulvia —— uxor agitabat.] Cum Fulvia intelligeret Antonium Cleopatræ amoribus irretitum captumque, usa Manii consilio, sperabat eum motu Italico in Italiam a Cleopatra avelli & revocari posse. Cum ipsa devicto L. Antonio in Asiam cum prolibus & Iulia Antonii matre ad Antonium navigaret, Antonius fraude intellecta, eam morbo se Sicyone ex zelotypia affligtantem & contabescentem neglexit. ipse cum ducentis navibus contra Cæsarem in Italiam navigat, Sipuntum occupat, Brundisium invadit, & Cæsarem bello lacessit: sed arma mox utrimque posita sunt, & ex militum intercessione pax composita, atque Octavia Cæsaris soror Antonio collocata

ɪↄccxɪɪɪ. est. ambo, quod alter alteri reconciliatus esset, cum triumphali veste in Vrbem invecti sunt. Suetonius, Dio, Plutarchus, Fasti Capitolini.

ARGVMENTVM CAP. VI.

Cum Antonius, Lepidus, Cæsar, se Reipublicæ constituendæ caussa triumviros in quinquennium renuntiassent, proscriptione ac cæde inimicorum civium Respublica convulsa est laceratàque. Ciceronis caput jussu Antonii præcisum inter duas manus pro rostris positum est.

COMMENTARIVS.

Diversa omnium vota.] Cum Cæsar consulatum per vim occupasset, omnique studio moliretur, ut patris percussores ulcisceretur, & ipsius opes, quam ut solus hoc posset, essent infirmiores: M. Antonium & Lepidum validissimis copiis instructos sibi fœdere conjunxit. Congressus horum trium occultus in triduum fuit in agro, ut Dio, Bononiensi, ut Appianus, Mutinensi, & flumine circumfuso, ibique populi Romani imperium quasi posse-

Digitized by Google

fessionem aliquam inter se partiti sunt: ut Cæsar utramque Libyam, cum Sicilia, & Sardinia: Lepidus Hispanias, & Galliam Narbonensem: Antonius reliquas haberet Gallias: ut ipsi triumviri essent Reipublicæ constituendæ cum summo imperio in quinquennium: magistratus nec Senatu, nec populo consulto, quibus ipsi vellent, mandarent: Lepidum in D. Bruti occisi locum in insequentem annum consulem creant, eumque Romam ac reliquam Italiam tueri jubent: Antonius & Cæsar bello Cassium & Brutum prosequerentur: proscriptionem ac cædem civium inimicorum ederent, quod illi Urbem paulo post ingressi, exsecuti sunt. Præmium autem percussoribus proscriptorum ingenuis, quique caput proscripti ad triumviros referrent, constituerunt centena millia HS. Servius dimidium ejus, & jus civitatis; & totidem indicibus eorum, qui proscriptos celassent, aut protexissent. Appian. de bell. civil. l. 4.

Proscriptio.] Maximam contentionem Ciceronis proscriptio præbuit. cum Antonius nullam conditionem acciperet, nisi prius ille interficeretur, Lepidus Antonio assentiretur, & Cæsar utrique repugnaret; tandem tamen tertio die Cæsar consensit, fuitque permutatio ita facta, Ciceronem Cæsar, L. Paullum fratrem Lepidus, L. Cæsarem avunculum suum Antonius proscribi permitteret.

Antonius Lucium Cæsarem.] Lucium Cæsarem Antonii avunculum proscriptum ejus soror Iulia, Antonii mater non dissimulanter apud se habuit, & centurionibus hanc diu reveritis ut matrem imperatoris, tandemque irrumpentibus ad ejus cædem, mater Antonii ad forum properans, ad ejus pedes accidit, vitamque ejus deprecata est; Antoniusque plebiscito, per Plancium consulem rogato, ut pœnæ eximeretur, effecit. hoc odium Antonius avunculo suo reposuit, quia hostis ab ipso in Senatu judicatus erat.

Lepidus L. Paullum fratrem proscripserit.] L. Paullus Lepidi frater proscriptus, centurionibns eum reverenter ut Imperatoris sui fratrem elabi conniventibus, securus ad Brutum navigavit, post cujus obitum se Miletum contulit, unde ne pace quidem facta, quamvis revocatus, redire voluit. ita Appianus. etsi Dio hunc Paullum Aimilium postea censorem fuisse anno IↃCCXXXI. Lib. LIV. cum L. Munatio Planco scribat, tamen in eo deceptus videtur, quia Lepidus censor, L. filius, Marci nepos in Capitolinis tabulis: at Lepidus triumvir, Marci filius, Quincti nepos in iisdem scribitur; quod facile prodit, istos fratres non fuisse.

Quum recisum Ciceronis caput in illis suis Rostris videretur.] Cicero sub adventum triumvirorum Urbe cesserat, fugeratque in Tusculanum suum: cognita vero proscriptione, inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Cajeta navim conscensurus proficiscitur: unde aliquoties in altum provectus, cum modo venti adversi retulissent, modo ipse jactationem navis pati non posset, tædium tandem eum & fugæ, & vitæ cepit, regressusque ad superiorem villam, quæ paulo plus mille passibus abest a mari, *Moriar*, inquit, *in patria sæpe servata.* Cum servi ejus etiam prodigiis terrerentur, &

Digitized by Google

Percussorum venientium rumore, eum partim vi, partim precibus lecticæ exceptum ad mare deferebant: sed Cicero cum percussores ad suam cædem accurrere sentiret, lecticam deponere, & quod sors iniqua cogeret, quietos pati jussit, prominenti ex lectica, præbentique immotam cervicem, caput a Popillio Lænate (quem ipse parricidii a manifesta morte patrocinio suo eripuerat) præcisum est. nec satis stolidæ crudelitati militum fuit, manus quoque scripsisse aliquid in Antonium exprobrantes præciderunt. Caput & manus Ciceronis ipse Lænas Antonio comitia in foro habenti eminus ostendit, quo ille maxime lætatus, tribunum militum coronavit, & HS decies ei pro maximo præmio dedit. Fulvia uxor Antonii, caput antequam auferretur, in manus sumsit, atque atrocibus verbis illudens & conspuens, genibus suis imposuit, & linguam ex ore extractam, acubus quibus ad capitis ornamentum utebatur, compunxit, additis multis iisque exsecrandis opprobriis. Iussu autem Antonii pro rostris loco præ aliis conspicuo caput ejus positum est, ut unde in ipsum verba faciens auditus fuerat, ibi caput ejus inter duas manus conspiceretur. Sed vix attollentes lacrumis oculos homines intueri trucidata ejus membra poterant: ceterorum enim cædes privatos luctus moverant, illa una communem. Cicero occisus est VII. Idus Decembris IↃCCX. vixit annos LXIII. menses XI. dies quinque. Cetera apud Fabricium Marcoduranum fidelissimum Ciceronis vitæ scriptorem leges, & in Sebastiani Corradi Quæstura.

ARGVMENTVM CAP. VII.

Republica utcumque per triumviros ordinata, M. Antonius & Cæsar Octavianus in Græciam contra Brutum & Cassium proficiscuntur. prælium in campis Philippicis, ibi Cassius sibi errore, dum suos fugere qui vicerant, opinatur, caput præsecari jubet. Brutus etiam post paucos dies altero prælio victus, exorato Stratone ut se gladio confoderet, vitam finivit.

COMMENTARIVS.

Brutus & Cassius.] Brutus & Cassius, Asia & Græcia in potestatem suam redactis, in Macedoniam ut ibi bellum gererent, trajecerunt, nec ita multo post imperator Cæsar, & M. Antonius cum ingenti exercitu advenerunt, atque ad Vrbem Philippos (unde hoc bellum Philippense dicitur) castra e regione hostium posuerunt. ibi pugnatum est acerrimo prælio, sed vario eventu & dubio Marte, ita ut Brutus Cæsarem, Antonius Cassium (uterque eorum dextrum cornu regebat) pepulerint, & castra utrimque ab iis qui vicerunt, expugnata sint. Cassius cum Brutum, quem in acie cecidisse metuebat, cum equitatu redeuntem longe prospexisset, irrumpentes hostes esse suspicatus, sibi Pindari liberti sui manu caput præsecari jussit. Post paucos dies M. Brutus altero prælio victus, rebusque desperatis vitam & ipse cum ageret XXXVII. annum, finivit, atque ipsius latus gladio hausit Strato, Bruto exorante, ut hoc sibi

estre-

Digitized by Google

extremum officium præstaret. Eodem tempore manus sibi intulerunt principum Romanorum circiter XL. Catonis filius in prælio cecidit. Q. Hortensius jussu Antonii triumviri ad fratris sui C. Antonii sepulchrum (quem Brutus opera Hortensii in ultionem Ciceronis interfici jusserat) jugulatus est: quia Antonius cædem fratris sui potius in Hortensii culpam, quam in Bruti mandata referebat.

Sic Cæsarem, quasi Tarquinium regem, depulisse regno videbantur.] L. Iunius Brutus Tarquinium Superbum regno ut tyrannum expulit, atque cum M. Brutus genus paternum ad eundem referret (multi tamen Cæsaris ex Serviliæ Catonis sororis adulterio filium potius esse opinabantur) variis convitiis & dicteriis, ut qui Cæsarem dominantem degenerans a majoribus suis pateretur, irritatus, imperium sumsit occidendi Cæsaris, ut libertatem reipublicæ assereret, conspirantibus Cassio & Decimo Bruto. Cæde perpetrata, cum ipsi quoque ut tyrannicidæ, laudis & gloriæ præmia peterent, cum Cæsaris interemti contumelia, Antonius consul intercessit, metuens, si Cæsar ut tyrannus damnaretur, quod cadaver ejus in Tiberim proiiceretur, acta ejus cum magno Antonii discrimine rescinderentur, & bona publicarentur. Prolato igitur Cæsaris cadavere, & populo, qui ob legatum Cæsaris inescabatur, ad commiserationem commoto, Antonius omnia pacis consilia, & istam percussorum spem perturbavit, uti latius a nobis capite tertio præcedenti expositum est.

Sed libertatem, —— illo ipso parricidio perdidere.] Patricidii vocabulo, auxesi invidiosa, pro homicidio utitur, eo sensu, ut quem ex S. C. Patrem patriæ superiori anno cognominaverant, eundem in Senatu occiderint. Percussores itaque Cæsaris ex vocabuli notatione Patricidæ sunt, & cædes ejus patricidium proprie diceretur. Testatur etiam Suetonius placuisse populo, ut Idus Martiæ Patricidium dicerentur: nimirum quia ij patrem patriæ eo die in Senatu occidissent, quos ipse hostes paullo ante servaverat.

Abolitione decreta.] Diximus jam capite tertio ἀμνηστίας Atheniensium exemplo, & consensu etiam Antonii fuisse decretam, sed ab eodem mox abolitam, simulatque amoto metu, securus ad ingenium redire poterat.

Ne tamen publici doloris oculos ferrent.] Cum irritata plebs ad percussorum domos facibus contendisset, M. Brutus & Cassius Vrbem reliquerunt, & Antium atque Lanuvium profecti, diu ibi otiosi fuerunt; quia ambitiosum putabant, cum nondum prætura urbana defuncti essent, in provincias (Cassio Suria, Bruto Macedonia a Cæsare decreta erat) navigare. Sextili tamen mense Brutum Italia cessisse, ex Cicerone manifestum est. Philipp. 1. Epist. 7. lib. 16. ad Attic.

Eandem illam —— arenam insederant.] Philippos urbem Macedoniæ intelligit, ubi hoc prælium commissum est: unde & hoc bellum, ut diximus, Philippense vocatur. cum antea eadem urbs Dathos diceretur. Arenam translatitie vocat campos Philippicos, in quibus depugnatum est: quia locus ubi gladiatores committebantur, arena ideo inspergebatur, ut ne ipsi sanguinis sui dum digladiantur, lubricitate lapsarent. Assuetas cadaverum pabulo volucres ambagibus verborum pro vulturibus dixit, quia vultures præsagio quodam natu-

Digitized by Google

naturali, biduo aut triduo convolare eo solent, ubi cadavera sunt latura, ut Plinius, & Aelianus testantur. Quod ad magnitudinem copiarum attinet, Appianus utrimque undeviginti legiones conficit; adhaec Antonii & Cæsaris equitatum XIII M. Bruti & Cassii XX M.

Tuus, inquit, malus genius.] Scribit Plutarchus Brutum minimi somni fuisse, & animo plane ob ingens quod moliebatur bellum, impedito, noctes egisse magna ex parte insomnes. Cum esset postridie copias ex Asia in Europam transportaturus, concubia jam nocte omnibus altissimo silentio sopitis, atque ipso tenui admodum lumine utente, cogitanti, & curis anxio spectrum quoddam intrare videbatur terribile, & monstrosa imagine, auso percunctari, quisnam hominum aut deorum esset, aut quid sibi vellet; respondit imago: Tuus o Brute malus sum genius, apud Philippos iterum me videbis. tum ille imperterritus, videbo, inquit. Cum Brutus ista Cassio, qui Epicureus erat, de spectro referret, dicebat ille ludibrium esse ex vi imaginatrice conceptum ab eo, cujus sensus curarum æstu fatigati, ita mentem exagitarent, ut tales imaginationes conciperet. Verum idem spectrum, sed mutum, se Bruto in Philippis obtulit, pridie quam ultimo prælio Brutus superaretur.

Cæsaris medicus.] Medicum hunc Artorium vocant Plutarchus & Paterculus. Cæsar ex valetudine imbecilliore in castris suis decumbebat, sed ea medici denuntiatione admonitus, in aciem se recepit, quæ res ipsi saluti fuit: nam hostes lecticam ejus vacuam pilis jaculisque confoderunt, asseverantes Bruto, cui gladios cruentatos ostendebant, ipsum quoque Cæsarem a se confectum esse. Antonius fertur primo congressu subtraxisse, & ad paludes recessisse: sed cum cornu suorum vicisset, iterum in prælium irruisse, ita ut victoriæ laus penes Antonium fuerit.

Plutarch. in Bruto.

Non in re, sed in verbo tantum esse virtutem:] Dio recitasse Brutum Herculis quoddam dictum refert, tali sensu verborum: *O infelix virtus, itane, cum nihil quam nomen esses, ego te tamquam rem aliquam exercui, cum tu fortunæ servieris?* hoc & Alciatus in Emblematis ita expressit:

lib. 47.

Jamjam stricturus moribunda in pectora ferrum
Audaci hos Brutus protulit ore sonos:
Infelix virtus, & solis provida verbis,
Fortunam in rebus cur sequeris dominam?

Certe etiam vix reperias, quos aut fortuna pronior obsecuta fuerit, aut veluti fatigata maturius iterum deseruerit, quam Cassium & Brutum.

Quum speculator —— tardius renunciaret.] Titinnium misit speculatum Cassius, atque cum eum Bruti equites, ut victores, mutuis amplexibus exciperent, iisque officiis ejus reditum remorarentur, Cassius & ipsum ab hostibus interceptum suspicatus, equitesque Bruti, qui gratulabundi cum Titinnio ad se contenderent, esse hostes qui irruerent, opinatus, lacerna caput circumdedit, extentamque cervicem interritus Pindaro (quem ad hujusmodi necessitatem jam a Crassiana clade secum ducebat) præbuit. Deciderat Cassii caput, cum Titinnius advenit nuntians Brutum esse victorem, qui cum imperatorem pro-

Digitized by Google

prostratum esse videret, *sequar*, inquit, *eum*, *quem mea occidit tarditas*, strictoque gladio se confodit. ita Patercul. Plutarch. alii.

Ne quid ex constituti fide resignaret.] Brutus & Cassius eo animo in hostem se ituros mutua fide ante prælium receperant, ut aut vincerent, aut a victore sibi deinceps non metuerent: intelligebant enim quod mortem sibi, nisi Deus ipsorum res secundaret, consciscerent.

ARGVMENTVM CAP. VIII.

Sex. Pompejus cum Siciliam & Sardiniam classibus teneret, latrociniis commercia impediebat, ita ut Romæ fame laboraretur. Cæsar insana tempestate & aliquot naufragiis vexatus, tandem Pompejum profligat, qui cum Asiam ad rebellandum sollicitaret, a Titio Antonii legato Mileti interfectus est.

COMMENTARIVS.

Siciliam Sardiniamque habebat.] Sex. Pompejus ex S.C. ab Hispania in Italiam revocatus est, ipsique ex ærario patrimonium restitutum, & classis commissa erat. Sed triumviris crudeliter dominantibus, cum undique proscriptos & quoscumque fugitivos reciperet, sine ulla ullius loci possessione in mari prædabatur. Messanam quoque Siciliæ, & deinde totam insulam occupat. A. Pompejum Bithynicum prætorem occidit, Q. Salvidienum Cæsaris legatum navali prælio superat, interea dum bellum a Cæsare & Antonio in Cassium & Brutum paratur. Quibus devictis, cum Pompejus maritimas annonæ ꟾↃccxi.
subvectiones classe infesta arceret, Romanusque per aliquot annos opprimeret, cum eo postulatam a populo R. pacem Cæsar & Antonius circa Misenum fecerunt, ita ut ille Siciliam, Sardiniam, & Achaiam per quinquennium haberet, maria a piratis liberaret, commeatum in Vrbem mitteret. ꟾↃccxiv.
Cum vero Sextus iterum latrociniis commercia impediret, nec ceu ex conditione præstaret, Cæsar necessarium contra eum suscepit bellum, duobusque præliis ancipiti admodum Marte cum eo pugnavit, graviterque Cæsarem ꟾↃccxv.
eo tempore fortuna concussit, quippe majorem partem classis circa Veliam Palinurique promontorium adorta vis Africi laceravit. Proximus inde annus ꟾↃccxvi.
in comparanda classe consumptus est. Anno demum sequenti vario eventu ꟾↃccxvii.
navalibus præliis pugnatum est, ita ut duarum classium Cæsaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret, altera quam Cæsar ducebat, deleretur, expositique in terra milites fere a Pompejo oppressi sint. Victus deinde Pompejus Messanam profugit, inde Corcyram, & cum in Cephalleniam nullo prosequente appulisset, ad Antonium respicere cœpit.

Sub percussore moriturus.] Cum Sex. Pompejus ex fuga in Samum insulam delatus esset, & de Antonii clade a Parthis accepta intelligeret, ratus se Antonii imperium ad se facile translaturum, ad auxilia & societatem varios reges & populos sollicitare cœpit: sed cum inter ducem, & supplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, a Titio Antonii legato ꟾↃccxviii.
victus,

victus, & Mileti jugulatus est, cum ageret annum quadragesimum. Cæsar etiam post Pompeji fugam, Lepidum triumvirum, quem ex Africa in auxilium evocaverat, superbientem viginti legionum fiducia, summasque sibi partes terrore ac minus vindicantem spoliavit exercitu, supplicemque, concessa vita, & abrogato triumviratus honore, Circejis in perpetuum relegavit. Suetonius, Dio, Paterculus, Appianus, alii.

ARGVMENTVM CAP. IX.

Ventidius Bassus Antonii legatus Labienum Parthorum imperatorem, Pacorumque regis Orodis filium occidit, & Suriam recipit: atque ea victoria Crassi & Saxæ cladem a Parthis acceptam iisdem reponit.

COMMENTARIVS.

Invitante Labieno.] T. Labienus Titi filius a Bruto & Cassio missus erat ad Orodem Parthorum regem, ut eum in societatem armorum sollicitaret: sed cum illos ab Antonio & Cæsare devictos intelligeret, ipse regem impulit, quod in Asiam cum exercitu mitteretur, usurus & opportunitate temporis, & victoriæ occasione interea dum Antonius Cleopatræ amoribus dementatus,
iↄccxiii. socordia contabesceret, Cæsar L. Antonii, & Fulviæ bello & domestico &
laborioso distineretur. Irrupit itaque ipse in Suriam cum Pacoro Orodis filio,
victoque Decidio Saxa Antonii legato, universam eam provinciam & Phœniciam, Ciliciam, & Palæstinam occupat, & Imperator Parthorum salutatur. M. Antonius tot cladibus ab amore & ebrietate expergefactus, Ventidium Bassum contra Parthos mittit, qui eos nimia victoriæ fiducia ferocientes, altero etiam prælio victos, Suria, & Tauro monte, Labieno, & Phranapate
iↄccxiiii. præcipuis Parthorum ducibus occisis, expulit, & Palæstinam recepit. Sequenti
deinde anno ingentem Parthorum stragem dedit in agro Cyrestico, Pacoro re-
iↄccxv. gis filio occiso, cujus caput, ut manibus Crassi parentaret, & Suriam in eum
propensissimam ejus clade ad deditionem compelleret, oppidatim circumferri jussit.

Nisi Ventidius.] Ventidius Bassus bello sociali a Pompejo Strabone, expugnato Asculo captus erat, & in triumphum ductus. qui obscuro etiam loco natus, victum sordide quærebat comparandis mulis & vehiculis, quibus magistratus qui provincias sortiti forent, proficiscerentur. Hic cum Cæsari in Gallia ob diligentiam & industriam probatus esset, ab eodem in amicorum numero receptus, ad tribunatum plebis, præturam, & consulatum promotus est, primusque de Parthis triumphum duxit anno iↄccxv.

Toto inter Orontem & Euphratem sinu late cecidisset.] Orontes Suriæ fluvius ex Antilibano defluens, juxta Seleuciam in Suriacum mare defluit. Euphrates fluvius in Armenia majore ortus, vario alvei flexu inter Mesopotamiam & Suriam delabitur: hinc ab ortu in septentrionem sinuoso alveo sese insinuans, Babyloniam claudit, mox juxta Apamiam cum Tygri confusus, tandem in sinum

finum Perficum duobus oftiis excurrit. Appian. & Dio in Cyrrheftica Suriæ hoc prælio Pacorum a Ventidio superatum fcribunt, dum Parthorum audaciam fimulato etiam metu ufqueadeo accendit, ut caftris ejus prærupto in loco pofitis fuccederent, quos cum fubita eruptione invafiffet, eos deturbat, profligat, occidit. Cyrrheftica a Ptolemæo inter flexum Singæ fluvii & Euphratis difcribitur.

Nec fine confilio ducis.] Frontinus hoc ftratagema lib. 2. ita recitat: *Ventidius adverfus Parthos non ante milites deduxit, quam illi quingentis non amplius paffibus abeffent, atque ita procurfione fubita adeo fuos admovit, ut fagittas quibus ex longinquo ufus eft, comminus congreffus eluderet. quo confilio, quia quandam fiduciæ etiam fpeciem oftentaverat, celeriter barbaros debellavit.*

ARGVMENTVM CAP. X.

M. Antonius nulla jufta de cauffa in Parthos movet: mens ejus amoribus Cleopatræ adhuc implicita, omnia boni imperatoris confilia corrumpit quippe tempeftivius ad eam reditum accelerans. Quare exercitu ejus, dum fe turpiter recipere coactus eft, varia clade ad tertiam ufque partem attrito, Parthorumque infultu lacerato, tandem fœda fuga per Armeniam in Suriam revertitur, & fe Cleopatræ amplexibus recreat.

COMMENTARIVS.

Sed immenfa vanitas hominis.] Phraates Parthorum rex patrem fuum Orodem, aqua intercute laborantem, ex aconito, quod ad perniciem ei mifcuerat, cafu in falutem converfum, cum vis morbi per alvum dejiceretur, ufus fceleris compendio, præfocavit, & regnum patricidio occupatum crudeliffime vexavit. ob quam tyrannidem primates Parthorum, & Monæfes primæ nobilitatis transfugerunt, qui ab Antonio magnifice & liberaliter exceptus erat, revocatumque a rege fuo volentem benigne demiferat, ut Phraaten fpe pacis deceptum imparatiorem invaderet. Accendebat & Antonii confilia Artuafdes Armeniæ rex, qui belli focietatem, ut regem Medorum hoftem fuum ulcifceretur, offerebat: quo fœdere deceptus Antonius, cum infidiatore verfutiffimo confilia fua communicabat, ejusque calliditate in calamitatem trahebatur. Armenius enim ipfius exercitum a Zeugmate in Mediam per montanos flexus, & viarum perplexitatem ad quingenta paffuum millia, ut æftatem eundo extraheret, circumduxerat, magnaque fraude fe prima Antonianorum calamitate, domum abrupta neceffitudine cum fuo exercitu XVI M. equitem contulit. quam injuriam Antonius temporum neceffitati fubferviens, ad tertiam ufque æftatem diffimulavit. tum Artuafden arte captum, catenis, ne quid honori regio deeffet, aureis vinctum Alexandriæ in triumphum duxit, regnoque exfuit, ejus caput, perditis ad Actium rebus, Cleopatra dono regi Medorum mifit, ut eum in novam belli focietatem contra Cæfarem victorem pertraheret. Appianus, Dio, Suetonius, Paterculus, Strabo, alii.

Digitized by Google

Araxem & Euphratem.] Araxes Armeniæ majoris fluvius in monte Abo cum Euphrate oritur, quorum fontes sex mill. passuum distant. Euphrates ab occasu, Araxis ab ortu sunt, qui placido cursu variisque flexibus defluens, donec inter anfractus cautium impetum collegerit, tum præcipiti pernicitate rapidus, altero alveo cum Cyro confusus, altero in Caspium mare defluit. Pomp. Mela. Ptolemæus, Strabo libro duodecimo.

Sagittis duas legiones operuerunt.] Antonius in Mediam properans, Oppium Statianum cum duabus legionibus & impedimentis subsequi jubet, ipse Praaspa (Mediæ regiam) validissimam urbem & præsidio firmatam frustra oppugnat. Artuasdes Medus, qui cum Parthis auxilio suis accurrerat, ab Antonio in Statianum se convertit, quem cum decem millibus militum opprimit & occidit, capto Polemone Ponti rege, qui suam vitam redimere coactus est. Artuasdes Armenus paulo post, ut desertor, se cum suis in regnum recepit. Antonius magna cum ignominia, Phraatorum obsidionem solvere coactus, spe pacis sed fallacis deceptus est.

Quæ in posterum diem imminebat.] Antonius post confectam cum Partho pactionem, copias suas per eam, qua venerat, viam, hoc est, per campos apertos, & ariditate squalentes reducturus erat, ita ut eas Parthorum equitatui objicere videretur. Itaque Mardus, qui Parthorum mores longa consuetudine callebat, Antonium admonet, fictam esse illam Phraatis & infidam pacem, ut militem patentibus in campis pellectum, undique equitatu circumfusum opprimeret, iter se aliud per loca culta, & commeatibus abundantia compendiosius ostensurum, & ut fidem faceret, se vinciendum, donec promissa præstitisset, obtulit. Progressus itaque eo duce per triduum erat Antonii exercitus, cum admonet Mardus ut contra subitam vim hostium (quam mox futuram, vestigiis aliquot se deprehendere indicat) suos expeditos in aciem collocaret: parebat admonitioni Antonius, cum subito emicans Parthus, parata vi Antonianorum profligatus est. Atque sæpius equitatus Parthicus pari clade inter proficiscendum repressus, fatigabatur, quousque quincta die Flavius Gallus impetu temerario in hostem multo cum discrimine irrupit, atque dum carptim laboranti subsidia mittuntur, ea quoque ut imbecilliora, ab hoste cæsa sunt, donec Antonius tota vi cum exercitu procurrens, ceteros manifesto periculo eriperet. cæsa sunt tria millia Romanorum, quinque millia sauciata. Antonius misere se afflictans, saucios circumcursando consolabatur, & vicissim pietas & benevolentia militum Antonii animum confirmabat.

Procubuissent in genua milites.] Parthi ex præcedentis diei victoria ferociores, collecto XL. millium equitatu, contemtius insultabant Romanis ut victis, & ad prædæ paratæ direptionem venientes, sed fortiter ab Antonianis submoti sunt, quousque iterum ut per declivitatem quandam tardius degredientes sagittis configerent, undique circumfunderentur, tum gravis armaturæ milites, receptis in medium velitibus in sinistro genu subsederunt, elatisque super capita clipeis, se suosque ab hostium sagittis, in clypeorum convexitatem lubricitate delabentibus, protexerunt.

Elatis

Digitized by Google

Elatis super capita scutis cæsorum speciem præbuissent.] Testudinem intelligit; quæ ita fit: Impedimentis & levis armaturæ militibus, equitibusque in medium receptis, gravis armaturæ pedites, qui oblongis & in morem tubi convexis utuntur clypeis, undique extrema claudunt, clipeosque hostibus objiciunt. Ceteri qui lata gestant scuta in medio conserti, ea supra se & reliquos extollunt, ut densitate ordinum a telis desuper labentibus protegerentur. hinc testudini nomen factum, a testæ, qua testudo animal se protegit, similitudine. hujus usus est & in Vrbium oppugnatione, & quando a sagittariis circumfusus est, ut hoc loco, exercitus.

Tum Parthus arcus inhibuit.] Romani ita testudine protecti subsidentes, opinionem hosti præbuerant veluti confecti vulneribus concidissent, qui positis arcubus, contos sumserunt, atque accurrerunt: Romani magno multoque armorum fragore se mutuo cohortati, prosiluerunt, atque primos pilis exceptos confodiunt, & universos in fugam conjiciunt.

Ite & bene valete Romani.] Hoc accidit in trajiciendo quodam fluvio, quem limitem prosequendi Romanos Parthi constituerant, sextoque die antequam ad Araxem fluvium perveniretur: tunc enim laudata Romanorum virtute Parthi, octies & decies victi, laxatis arcubus abierunt.

Salinacidis fluvius infestior.] Cum Antoniani a frumentatione Parthorum perpetua insultatione arcerentur, tanta fame in castris laboratum est, quod duæ libræ panis triticei ducentis sestertiis venirent, hordeaceus panis pari argenti pondere venderetur. Conversi itaque ad herbas & radices edendas, inciderunt in quandam herbam, quæ manducata insaniam & mortem adferebat: nam qui eam edissent, saxa moliebantur, lapidesque movebant (tamquam magnopere seriam rem agerent) tandem bilem evomentes (quia vino carebant, quod unicum huic malo remedium erat) moriebantur. Fluvium illum aquam frigidam & pellucidam, sed salsam & venenosam habuisse, nam bibentibus statim tormina ventris ciebat, & sitim exasperabat, scribunt Plutarch. & Appian.

Quum argentum ejus passim dolabris concideretur.] Hoc accidit tumultu militari, trepidatione nocturna per totum exercitum, quod hostes irrupisse putarent, coorto: argentum enim aurumque habentes occiderunt, spoliaveruntque, denique Antonii etiam impedimenta aggressi, pocula & mensas pretiosas disciderunt, & inter se distribuerunt. Antonius in tanta consternatione quendam stipatorum, nomine Rhamnum, juramento sibi adstrinxit, ut jussus statim ipsum confoderet, & caput amputaret, ne vivus in hostium potestatem veniret, & ne mortui truncus a reliquorum cadaveribus secerni posset.

Digitized by Google

ARGUMENTUM CAP. XI.

Antonius Cleopatræ amoribus dementatus, ad vilissimi mancipii obsequia se dimittit, & in regem barbarum degnerat. Amoris impotentia & opum licentia victus, Cleopatræ Romanum imperium promittit. Ea contumelia irritatus populus Romanus bellum Cleopatræ per Fecialem indicit. Antonius cum Cleopatra totum Orientem contra Cæsarem, Cæsar Occidentem contra Antonium armat. Pugnatur prælio navali ad Actium: fugiens Cleopatra, secum in fugam Antonium rapit. Cæsar victor post annum in Aegyptum profectus, Antonium aliquot præliis debellat: ille sibi manus infert, & Cleopatra sibi necem aspidis irritata morsu consciscit.

COMMENTARIUS.

Furor Antonii —— luxu & libidine extinctus est.] Inimicitiæ inter Antonium & Cæsarem cœperant Autronio & Volcatio Coss. anno IↃCCXX. eruperunt Domitio & Sosio, coss. IↃCCXXI. Antonius Cæsarem criminabatur, quod Lepidum triumviratu exsuisset, quod militem ejus & Sex. Pompeji, quem communem esse oportebat, solus occupasset, atque militis etiam illius, quem in Italia utrisque communi conscripserat, partem repetebat. Cæsar autem Antonio crimini dabat, quod Aegyptum sine sorte obtinebat, & Sex. Pompejum cui ipse sponte ignovisset, interemerat, & Artuasden Armeniæ regem fraude circumventum, in vincula cum magna populi Romani infamia conjecisset, partemque spoliorum reposcebat. Vitio etiam vertebat Cleopatram pro uxore habitam in sororis suæ contumeliam, & liberos ex ea susceptos esse reges salutatos, in primis quod Cæsarionem Cleopatræ filium, ex C. Cæsare nominasset. atque ad genus Cæsaris traduxisset. Atque cum neque in Vrbem venire vellet, neque finito triumviratus tempore imperium deponere, bellumque moliretur, quod Vrbi Italiæque inferret, ingentibus copiis tam navalibus quam terrestribus ob hoc contractis, remissoque Octaviæ sorori Cæsaris repudio, omnium odia in se accendit. Cæsar in Epirum cum exercitu trajecit, se tertium, & M. Messalla coss. anno IↃCCXXII. Bellum hoc Actiacum dicitur, quia [illegible]ium Epiri promontorium juxta Ambracium sinum gestum sit. de quo Horatius eleganter Ode 37. primi

Leucadem insulam, montemque Leucatem.] Leucas insula est, & in ea civitas cognomine Neritum, ultra Actium in ortum sita, & Cephalleniæ insulæ opposita. quæ cum olim cervici trium stadiorum continenti adhæreret, a Corinthiis, quorum colonia fuerat, perfosso Isthmo, insula facta est. sic Thucyd. Strabo, Plinius. Istam insulam (ut Paterculus scribit) in ore & oculis Antonianæ classis M. Agrippa expugnavit, itidem Patras, in quibus Antonius hiemaverat, & mox Corinthum. Leucate petra est excelsa, e Leucade in mare & Cephalleniam prominens.

Et

Et Ambracii sinus cornua.] Ambracia urbs est Epiri, quæ sinui maximo, cui propinqua est, nomen dedit. hujus fauces, quæ quattuor stadia patent (Florus cornua vocat) ab Oriente habent Actium oppidum, & nobile Apollinis Actii templum; ab Occasu Nicopolin Augusti monumentum, quod ob victoriam condidit. qua eo loci contra Antonium & Aleopatram potitus est.

A senis in novenos remorum ordinibus.] Vt huic loco lucem adferamus aliquam, ea quæ nos cum Baysio ex Plinio lib. 32 observavimus de remigum ordinibus, sic habent: Quinqueremis Caji (de qua Plinius) remigum quadringentorum remis impellebatur. Vtrumque ergo latus navis ducentos remiges habebat, quos si per quinque destribuemus (unde nomen est quinqueremi) quadraginta remiges, singula sedilia occupabunt, & ea sedilia ordines remigum aut remorum dicuntur. Navibus itaque nomen non erat a remorum, quibus impellebantur, multitudine, sed ab ordinum numero, qui in alterutro latere sedilibus suis distinguebatur. sic novenis remorum ordinibus dicebantur instructæ naves, quarum tabulati latera in novem sedilia distributa erant, & singulis ordinibus remigum numerus ex imperatoris jussu imponebatur, vel pro arte gubernatorum, vel scientia remigum, vel mole navium. Turribus etiam a prora & puppi fuisse Antonii naves instructas, ut in mari velut e muris pugnarent, ex Virgilio lib. 8. & Dione lib. 50. constat.

Prima dux fugæ regina.] Antonius aliquot præliis navalibus a Cæsare victus, equitatu ejus a Statilio Tauro fuso fugatoque, adhæc fidissimi cujusque amici ad Cæsarem ob odium Clopatræ defectione, Cleopatra autem aliquot prodigiis consternata, commeatuque ob Cæsaris classem & exercitum intercluso, prælio rem committendam eo consilio censuerunt, ut inter plæliandum fuga Antonius, & ipsa elaberentur: & hinc velut in rebus deploratis Antonium jusisse, ut vela in naves suas deportarentur, tamquam ad fugam, non ad pugnam se præpararet, Plutarch. scribit. Et hic iterum Antonii consilia Cleopatræ auctoritate sunt corrupta, qui cum fidissimum militem haberet, maluerit navali pugna, in qua Cæsaris copiæ ob bellum cum Sex. Pompejo gestum exercitatissimæ erant, quam terrestri, in quo firmissimus erat, decernere. Antonii milites ab imperatore suo deserti diu fideliter & constanter pugnarunt, & desperata victoria, in mortem dimicabant. Cæsar verbis eos mulcebat, clamitans & ostendens Antonium fugisse, quærebat pro quo, & cum quo, pugnarent; qui ægre tandem cessere victoriam, & vitam veniamque Cæsar citius promisit, quam illis ut precarentur, persuasum est. Canidius qui terrestribus Antonii copiis præerat, nocte fuga elapsus, cum suos deseruisset, ipsi se Cæsaris clementiæ permiserunt. Victus est Antonius ad Actium a Cæsare ante diem IIII. Nonas Septemb. anno IↃCCXXII. a quo die Cæsaris Octaviani imperium incipit.

Sed instare vestigiis Cæsar.] Cæsar Antonium & Cleopatram victos in Aegyptum fugientes aliis persequendos dedit, ipse in Vrbem ad res urbanas, ne quis

 motus

Digitized by Google

motus gravior nasceretur, ordinandas revertitur, ac post XXX. dies cum in Græciam ab bellum trajecisset, postero anno ambos Alexandriæ obsedit. Antonius in ultima rerum desperatione, ubi pacisci cum Cæsare non potuit (petebat enim ut sibi privato Athenis vivere liceret, Cleopatræ filiis regnum Aegypti daretur) falso rumore occisæ Cleopatræ perculsus, se interemit anno ætatis tertio, vel ut alii, sexto & quinquagesimo. Plutarchus, Dio, Suetonius, alii.

Præparata in Oceanum fuga.] Cleopatra obstupenda molitione fugam in Oceanum instituebat: namque classem ex Aegyptiaco mari in sinum Arabicum per Isthmum illum, quo Asiæ Aegyptus per XXXVII. M. passuum adhæret, transferre moliebatur, atque ita effugere bellum & servitutem: sed cum Arabes aliquot naves incendissent, & Antonius nondum desperaret, ab incepto destitit.

Paratonium.] Cornelius Gallus Cæsaris legatus Paratonium, est is portus ad VIII M. passuum patens, & oppidum ejusdem nominis in Cyreniaca, oppugnaverat, ejecto Antonii præsidio. Antonius eo properat, confisus se aut militem corrupturum, aut vi potiturum Parætonio: sed id frustra fuit; namque cum Antonius ad murum accederet, ut milites alloquio ad se pelliceret, tum Cornelius Gallus classicum canere jussit, ut sensum aurium obtunderet, & subita vi erumpens, Antonium profligavit, classemque ejus afflixit. Dio lib. 51.

Atque Pelusium.] Pelusium urbs est Aegypti, Arabiæ Petrejæ proxima, & ad extremum Nili ab ortu ostium sita, quod ab urbe vicina Pelusiacum dicitur. Illud præsidio firmatum Cleopatra per proditionem Cæsari tradidisse creditur, ut jam tum ejus animum hoc officio sibi demereretur.

Si morte quasi somno soluta est.] Quo genere mortis Cleopatra sit exstincta, admodum est incertum: nullum enim veneni manefesti vestigium in corpore apparuit, duas tantum cicatrices esse repertas, exiles & obscuras, quales aspidis lacessitæ morsu relinqui dicuntur; quibus adductum Cæsarem expressam fictamque ejus imaginem in triumphum deportasse, cui aspis affixa adhæreret, scribit Plutarchus. & quod aspidis veneno afflicti, somno in mortem solvuntur. Periit autem Cleopatra anno ætatis suæ tricesimo nono.

ARGVMENTVM CAP. XII.

Cæsar Octavianus gentem, quæ cis, intra, ultra Alpes in septemtrionem & ortum, itidem eam, quæ Danubii fontes, & utramque ejus ripam usque ad ostia ejus incolit, edomat. Germania jugum impositum, Quinctilii Vari & trium legionum cæde excussit. In meridie. Libyam, Marmaricam, & Garamantes subegit: in occasu Hispaniæ citerioris populos, Astures, & Cantabros per quinquennium magnis cum laboribus imperata facere coegit. Sensum deinde totus orbis felicitatem & amplitudinem Augusti, bellis civilibus post vicesimum annum finitis, pacatisque gentibus omnibus, ipse Ianum Geminum post Numam regum tertium clausit.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

Adversus exteras gentes.] Ut Augustum totius orbis victorem demonstraret, per partes colligit, Geographicam distributionem secutus, & quattuor terræ tractus victoria ejus edomitos recenset. qua enim ab Italia orbis in septemtrionem & ortum vergit, Salassos, Iapudes, Noricos, Pannonios, Mysios, Dacos, Thraces, Sarmatas Europæos devicit: qua in occasum æstivum & septemtrionem, Germanos, atque in occasum ipsum, Astures & Cantabros Hispaniæ populos: qua in meridiem, Africam, Gætuliam, Marmaricam; atque in ortum, Armeniam, Parthiam, Indiam sponte ejus imperio cessisse colligit. sed rerum gestarum seriem, etiam temporis ratione neglecta confundit.

Brennos —— per —— Drusum perpacavit.] De Rætis & Vindelicis Florum loqui satis constat, qui per Teberium & Drusum fratres, Cæsaris privignos, una æstate M. Druso, & L. Pisone coss. edomiti sunt. Rætia a Vindelicia ab ortu Lyco amne, Vindelicia a Norico Aeno flumine terminatur. Rætia ab occasu fontibus Danubii & Rheni clauditur, ut Vindelicia Lyco: sed utraque Danubio a septemtrione: a meridie Alpibus Græcis, Pœnis, Ocra. in Vindelicis Brenni, in Rætis Suanitæ a Ptol. censentur, Sennones a Strabone inter Suevos. Istarum gentium usque adeo immania fuisse in Romanos odia Strabo testatur, ut si quo illorum oppido aut vico potita esset non solum cædibus grassaretur in impuberes, sed etiam cum vates suos consuluisset de sexu gravidæ, si masculum utero geri respondissent, ipsam quoque prægnantem conficeret. Ut eam crudelitatem Augustus ulcisceretur, Drusum contra eos misit, qui prælio apud Tridentinas Alpes fusos ab Italia submovit, atque cum in vicinam Galliam incurrissent, Tiberium quoque Drusi fratrem contra eos misit, qui multis urbium & castellorum expugnationibus, variis quoque præliis dissipatos aggressi, plurimo eorum cum sanguine perdomuerunt. Ne autem gens populosissima (Noricos etiam eodem tempore debellatos Strabo testatur) bellum denuo moveret, bellicosissimam & robustissimam inde deduxerunt, relicta invalidissima, ut agrum coleret. Feritatem quam mulieribus istarum gentium Florus adscribit in parvulos filios, eam Orosius tribuit furori Cheruscorum, Suevorum, Sicambrorum, lib. 6.

IↃCXXXIIX. lib. 4.

Illyrii.] Illurii, hoc est, Dalmatæ, Liburni, Iapudes, cum finitimos aliquandiu latrociniis infestarent, nec vectigalia persolverent, & Cæsare bello, quod contra Sex. Pompejum gerebat, impedito, arma sumserunt. Cæsar ut militem suum laboribus confirmaret, in Iapudes movit (Iapudes Illuriis adscribunt Ptol. & Strab. nunc Stiriam vocant) atque eos qui citra montes haud procul a mari habitabant, haud difficulter ad deditionem compulit; qui vero ultra montes, difficillime. Etenim cum Metulum oppidum suum præsidio trium millium communissent, multos sæpe Romanorum impetus retuderunt, multas machinas incenderunt, & Cæsar a lignea quadam turri

turri in murum per pontem conscendere conatus, ponte ob multitudinem prægravato collabente, dextro crure, & utroque brachio afflictus est: tamen ille suos confirmavit, & exercitum advocavit nihil oppugnationem remittens. Barbari de pace se agere velle simulantes, præsidium in arce acceptum nocte trucidarunt, & ædibus incensis, alii se, alii uxores etiam & liberos occiderunt, ut nihil prædæ inde ad Cæsarem pervenerit, cum etiam captivi haud ita multo post sibi manus intulissent, Sex. Pompejo, & L. Cornificio coss. anno IↃCCXVIII.

Pannonii.] Pannonicum bellum cœpisse anno IↃCCXXXVI. M. Vinucio, & M. Agrippa IIII. coss. ex kal. Iulii suffectis, Paterculus scribit; quod lib. 49. magnum atroxque, & quam vicinum Italiæ imminebat: sed si Dionem sequemur, annis XIIII. prius cœptum est, cum Cæsar domitis Iapudibus in eos quoque arma sed nondum hostilia convertisset: verum cum ab iis quando ad Vrbem Sisciam accessisset, afflictus esset, populari eorum agros jussit, & Sisciam a terra fluviisque Colope & Savo obsedit: sed eorum pertinacia fracta est, cum intellexissent de suorum clade (qui cæsi a Cæsare erant) & se ejus clementiæ permiserunt, reliquaque Pannonia pacem accepit. ipse Cæsar relicto Fusio Gemino, cum parte exercitus Romam rediit. Pannoniis iterum rebellantibus, Fusius a Siscia exturbatus est: sed ille præliis aliquot feliciter gestis, iterum eosdem imperata facere coegit. Atque IↃCCXLIII. cum Pannonii frequentius rebellassent, a M. Agrippa repressi, & tandem a Tiberio perdomiti sunt, Q. Aelio Tuberone, & F. Maximo coss. Pannonia duplex est, superior modo Austria, inferior modo Hungaria dicitur.

In hos domandos Vibium misit.] Quisnam iste fuerit Vibius, propter Annales Romanorum hic vel incuria majorum, vel injuria temporum labefactos, lib. 49. ambigi potest, & sunt qui Fusium Geminum ex auctoritate Dionis scribendum putent.

Dalmatæ.] Gabinium per Dalmatiam ad Iulium Cæsarem quindecim cohortes & mille equites in Macedoniam ducentem, Dalmatæ silvis & insidiis impeditum oppresserunt. Eam cladem Cæsar Iulius Pompeji Magni bello impeditus, ulcisci non potuit: sed victori Cæsari, ut ultionis occasionem præverterent, Romam reverso pacis conditiones obtulerunt, & vectigales facti sunt. Cæsare in Senatu occiso, iterum per decennium pro libertate arma sumunt, & Atinium a Cæsare præfectum expellunt. Ad eos edomandos in Dalmatiam profectus Octavianus, iisdem insidiis ex silvarum & viarum perplexitate ab iis tentatus est, sed infelici successu: ipse enim eos velut indagine captos oppressit, & profligavit, fugaque in Setoviam urbem delatos obsidione clausit; ibi cum Dalmatarum exercitus in urbem irrumpere conatur, profligatus est. In eo prælio Cæsar in genu ex lapidis jactu saucius, aliquot diebus decubuit: tandem Dalmatas imperata facere coegit datis obsidibus, atque tributum hactenus a Iulii Cæsaris tempore debitum persolvere, anno IↃCCXX.

Marcius ——— quasi detruncaverat.] L. Marcius Censorinus de Macedonia triumpha-

Digitized by Google

vit, ut est in Capitolinis, anno IↃCCXIV. quo anno etiam consul fuit cum Calvisio Sabino: nec quidquam præterea de rebus ab eodem gestis invenire potui. Observo autem ab Appiano in Illyrico scriptum esse, Marcium Figulum consulem (fuit is cum L. Cæsare consul anno IↃCXXCIX.) Delminium Dalmatarum urbem incendio delevisse. Forsan Florus noster eo respexit, ut scriptum ejus est tumultuarium, *detruncaverat* enim, pro *exciderat*, ad tempus præteritum respiciens dixit. estque in eo verbo egregia translatio: ut enim homine capite truncato, sensuum omnium & motuum præsidium avulsum est, ita & Dalmatarum populo, exciso Delminio regia urbe, vis omnis ablata. Equidem in Strabone observo, Dalminium urbem, unde genti nomen est, amplissimam a Nasica, nescio quo, in angustias fuisse redactam. lib. 7.

Asinius Pollio gregibus —— multaverat.] C. Asinius Pollio consul cum Cn. Domitio fuit anno IↃCCXIII. & de Parthinis triumphasse legitur anno IↃCCXIV. Parthini sunt Illurii populi supra Apolloniam & Dyrrachium in Epiro. Asinium de Dalmatis triumphasse Horatius testatur, cum ita cecinit, Strabo lib. 7. lib. 2. Oda 9.

Et consulenti Pollio Curiæ,
Cui laurus æternos honores,
Dalmatico peperit triumpho.

Porphyrion ibidem eum Salona Dalmatiæ urbe maritima capta triumphasse, & Servius in expositione Pollionis Vergiliani scribit, Asinium Pollionem ductorem Germanici exercitus, cum post captas Salonas Dalmatiæ urbem primo meruisset lauream, postea consulatum adeptus esset, eodem anno suscepisse filium, quem a capta civitate Saloninum vocavit.

Accepit omen M. Crassus.] M. Licinius Crassus consul fuit cum Cæsare III. anno IↃCCXXIX. ipsum de Træcis & Getis triumphasse Capitolini triumphi testantur, qui in Macedoniam missus Mysios bis devicit. itidem Bastarnas Scythas, qui Mysiam invaserant, ac regem eorum Deldonem interfecit. cetera Dio. Mysii superiores cis & ultra Danubium habitabant: inferiores Macedoniæ a meridie, Danubio a Septemtrione & Dacis finitimi erant.

Thracum maxime pop. desciverat.] Bulogæses Thrax Bessorum rex (habitant autem illi ad Aemum Thraciæ montem) sociis quibusdam aliis per cæremonias & superstitionem callidam sibi adjunctis, defectione facta, Rhascyporum Cotys filium victum interfecit, & patruum ejus Rhymetalcen exercitu exsutum in Thraciæ Cherronesum compulit. Eo motu, & quod Sialetæ Macedoniam populationibus infestarent, excitus L. Piso exercitum duxit in Bessos, cum quibus male pugnavit: sed altero prælio eam cladem magna victoria correxit, eosque partim expugnationibus, partim acie imperata intra triennium facere coegit. L. Piso consul fuit cum M. Druso Libone anno IↃCCXXXVIII. Idem Tiberio principe præfecturam Vrbis, compotatione tridui a Tiberio sibi demeruit, ut Plin. auctor est. Patercul.

Daci.] Dacia a septemtrione Sarmatia Europæa includitur, meridiem Danubius prætendit, ortum Tyras fluvius, occasum Iazyges Metanastæ claudunt: ea regio partim Transsylvania, Walachia, & Moldavia nunc dicitur,

Digitized by Google

lib. 7. Dacos Getis esse a Ponto in occasum proximos ad Istrum Strabo scribit, esseque populum montanum. Contra quos Cor. Lentulus ab Augusto missus, tres eorum duces cum magnis copiis delevit: citeriorem ripam præsidiis munivit, satis victoriarum putans, posse illos prohibere. Dacos, scribit Dio, ad Cæsarem legatos ante bellum Actiacum misisse, & cum nihil eorum quæ peterent, impetrassent, ad Antonium inclinasse societatem, obque intestina bella ipsi Antonio nihil usui fuisse. Sed in eos, cum Sitam regem gentis
ɪɔccxxɪv. Dentheletarum in Thracia, oculis captum bello peterent, M. Crassum movisse, repulsos insecutum, & Segestriam expugnasse invenio. Nec hactenus hujus rei gestæ historia plenior, nec quis fuerit ille ex Lentulorum familia (multi enim hoc tempore Lentuli consulares fuerunt) de quo Florus narrat, mihi satis constare potuit: eadem oblivione apud reliquos qui extant scriptores, bellum a Lentulo cum Sarmatis gestum, video sepultum esse. C.
ɪɔccɪɪxʟ. Lucium cum Rhymetalci regi, populi Romani socio auxilium ferret, contra Sarmatas bellum gessisse, victosque ultra Istrum submovisse Dio scribit lib. 54. Sarmatæ modo sunt Moscovitæ, Lituani, Russi. Sarmatas tamen a Tiberio domitos scribit Euseb.

Germaniam quoque.] Sicambri, Usipetes, & Tenchteri Germaniæ gentes, cum quosdam Romanos in suo territorio deprehensos in crucem egissent, Rhenoque transmisso Galliam popularentur, equitatum Romanum contra se missum per insidias circumvenerunt, & cum fugientibus instarent, usque
Dio 54. ad Lollium Galliæ proconsulem delati, eum quoque profligarunt, amissa
Patercul. quintæ legionis aquila. quæ clades ipsum quoque Cæsarem ab Urbe in Gal-
ɪɔccxxxvɪɪɪ. liam extraxit. Cura deinde atque onus belli Germanici delegata est Druso Neroni, qui Cæsaris privignus, Tiberii frater erat.

Bis trajecto ponte Rheno.] Julius Cæsar bis facto super Rhenum ponte, in Germaniam trajecit. semel, ut ipse scribit lib. 4. haud longe a Colonia: iterum in Trevirorum finibus, quod libro sexto scribit.

Defuncto sibi fortissimo iuveni, —— senatus cognomen ex provincia dedit.] Drusum consulem cum Quinctilio Crispino anno ɪɔccxʟɪv. annum agentem tricesimum, ex fractura, equo super crus ejus collapso, tricesimo die quam
lib. 7. id acciderat, inter Salam & Rhenum fluvios mortuum esse, ex Epitoma Livii,
cxlii. Paterculo, & Strabone colligo, & hucusque ab Urbe condita Livii historiam fuisse productam, cujus vel incuria hominum, vel injuria temporum vix quar-
lib. 55. ta pars, eaque mutila & mendis fœdata superest. Dio scribit morbo consumptum, ostentoque cum populando ad Albim usque pervenisset, quem trajicere moliebatur, consternatum. Corpus ejus a Tiberio Nerone fratre, qui nuntio valetudinis ejus evocatus raptim accurrerat, Romam pervectum est, & in Augusti tumulo conditum. Drusum consulem cum filiis Germanicum a Senatu appellatum, ibidem Dio scribit, quod cognomen ei primo Senatus a provincia imposuerit.

lib. 17. *Vari Quinctilii libidinem.*] P. Quinctilius Varus consul cum Tiberio Ne-
Antiq. rone fuit anno ɪɔccxʟ. hunc Suriæ fuisse præfectum Josephus testatur. ad-

jicit

Digitized by Google

jicit Paterculus eum fuisse pecuniæ usque adeo studiosum, ut Syriam ipse rapinis ditatus pauperem reliquerit, quam ipse pauper divitem ingressus erat. De hujus morte Virgilium, ut eam impotentius ferentem, Horatius Ode XXIIII. libri primi consolatur. Augustus usqueadeo ea clade consternatus fuit, ut Suetonius recenset, quod per continuos aliquot menses, barba capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quinctili Vare redde legiones*. Verum conventus agere, est in loco designato ad certam diem provincialibus jus dicere, quod forum agere, & forum peragere Cicero dicit. *Ausus*, inquit, &c. quare ausum dicit conventum agere; quia nullo exemplo hoc Varus fecit. imperium enim tantum, hoc est, belli gerendi potestatem, nullam jurisdictionem habebat. Germania enim in provinciæ formam redacta erat: verum ante provinciam ordinatam jurisdictio non mandabatur.

Duce Arminio arma corripiunt.] Arminius (quem Hermannum nonnulli scribendum contendunt) Cheruscorum Princeps erat, filius Segemeri, qui militarat cum Romanis, & equestri ordine & jure civitatis erat donatus; segnitia & socordia Vari usus est in consilii sui de Germania liberanda occasionem. Ipsum tunc annum egisse vicesimumsextum ex Tacito colligitur, qui cum septem & triginta annos vitæ, duodecimum imperii sui explevisse scribit; cum dolo propinquorum occideretur Norbano & Flacco coss. anno DCCLXXII. lib. 2.

Prodita per Segestem —— conjuratione.] Segestis Cheruscorum regis filiam, nomine Thuneldam, alii desponsatam Arminius rapuerat; hinc gener invisus erat. quare Segestes conjurationis conscius, extremo convivio, post quod insidiis Romanos sunt adorti, Varo rebellionem & insidias ab Arminio parari indicat; suasitque Varo, ut se & Arminium & ceteros proceres in vinculis haberet: nihil ausurum plebem sine ducibus; interim ipsi tempus fore quo de criminationibus suis, & de innoxiis, cognosceret. sed fatum, quod hominum consilia, cum cladem aliquam struit, corrumpit, & mentem & animum Cæsi socordia & segnitia perstrinxerat. Tacit. lib 1. Patercul.

Vndique invadunt.] Video Florum nostrum alios annales secutum, quam Paterculum huic sæculo æqualem, aut Tacitum, aut Dionem. qui ut rem in pauca conferam, fere ita tradunt: pertractos esse ex insidiis Romanos in Teutoburgensem saltum inter Luppiam & Rhenum, ibique paludibus & silvis impeditos, undique insultantibus Germanis oppressos esse, Varum ab hostibus vulneratum & desperatis rebus mortem sibi conscivisse.

Eodem, quo Cannensem diem Paullus.] Clades Cannensis, qua Annibal ad Cannas Paullum Aimilium magna cum calamitate Populi R. ex Varronis consulis temeritate fere obtrivit, incidit in diem quartum Nonas Quinctileis. Paulli Aimilii casus & Vari satis inique comparantur. Paullus enim Varronis stoliditatem sequi coactus cum fortiter pugnasset, ex funda graviter ictus mori maluit; quam ut cladi suorum, aut temeritatis Varronianæ accusator superesset; Varus & culpam suæ infelicitatis ex securitate & socordia, quæ frequentissima adcalamitatem sunt initia, sustinet. Gell. Macrob.

Digitized by Google

Musulanios.] Musulanios, vocat Ptolemæus μυσουλάμιοι, Numidisque magis meridionales collocat versus Africæ solitudines, & sub Audo monte ad Ampsagam flumen, Mauritaniæ Cæsariensis terminum. Tacitus testatur de ea gente ter triumphalia insignia esse acquisita a tribus Romanorum ducibus; & a P. Dolabella, cæso Tacfarinate hostium duce, eam gentem fuisse devictam.
lib 4.

Atque Gætulos.] Gætulia supra Africam minorem in meridiem extenditur, regio tota montosa, ab Atlantico Oceano in Orientem procurrit, & in Septentrionem nonnihil se versus Syrteis inflectit.

Cosso duce compescuit.] Cn. Cornelium Lentulum Cossum, cum L. Calpurnio consulem fuisse anno ıↃCCLII. in Annalibus consulum scribitur, & postea Gætulicum esse appellatum, nimirum a devictis Gætulis. Tacitus etiam eundem Triumphalia de Gætulis insignia accepisse testatur, de hujus belli caussa & re gesta altum apud alios silentium est. ut etiam bellorum in Africa tempore Augusti gestorum, quæ tamen post M. Lepidum a Cæsare exercitu & potestate exsutum, cujus provincia in triumviratu fuerat, nunquam quievisse videtur. Statilius enim Taurus a Cæsare in Africam missus, de ea triumphavit anno ıↃCCXIX. Iterum L. Autronius proconsul anno ıↃCCXIV. tertium triumphum duxit ex Africa L. Sempronius Atratinus anno ıↃCCXXX. Quartus, L. Cornelius Balbus, de Garamantibus Africæ populis triumphavit annno ıↃCCXXXIV. de quibus Plinius lib. v. Solinus & Strabo scribunt, quod ad Garamantas, (habitabant autem ultra Gætulos meridiem versus a fontibus Bagradæ fluminis usque ad Nubam paludem,) iter inexplicabile antehac fuisset, latronibus gentis ejus puteos, qui non alte fodiendi sunt, si locorum notitia adsit, arenis operientibus. Balbus hic Gadibus oriundus, cum patruo L. Cor. Balbo jure Quiritium donatus, & primus peregrinorum fuit, qui accessit ad Gloriam triumphalem.

Marmaridas atque Garamantas.] Marmarica ab occasu Cyrenaica terminatur, ab ortu Aegyptiaco mari meridie Libya deserta & Aethiopia; de rebus in ea gestis & ducibus Romanorum nihil apud alios reperi. Lego apud
lib. 54. Dionem, Aethiopes qui supra Aegyptum sunt, duce Candace regina usque ad Elephantinem populationibus grassatos, sed a C. Petronio repulsos, & Tanaben regiam tum alias urbes ipsorum occupasse & diruisse. Cum Petronius propter arenam & æstum cum suis pedem referret, præsidium quoddam ipsius iterum ab Aethiopibus expugnatum, ipsoque reverso liberatum, & Candacem reginam ad pacis conditiones coactam.

Massilia —— Lucius morbo solvitur: in Syria Cajus ex vulnere.] C. & L. Cæsares erant Augusti nepotes, nati ex M. Agrippa & Iulia ejus filia. Cajus quidem M. Apulejo & P. Silio coss. anno ıↃCCXXIII. Lucius vero C. Furnio & C. Silano coss. anno ıↃCCXXVI. Vtrumque Augustus hoc eodem anno adoptavit, teste Dione, tenerosque adhuc ad reipublicæ curam admovit, & consules designatos circum provincias & exercitus dimisit. C. Cæsarem consulem a populo creatum, annos XIIII. natum veteres tituli testantur: sed nec tum iniisse magistratum puto, neque cum consul iterum esset

esset designatus cum L. Paullo post quinquennium. Lucium Hispaniam petentem Massiliæ ex morbo periisse annum ferme ante Caji fratris sui mortem, ut Paterculus scribit: sed ut Sueton. numerat, intra octodecim menses: verum cum triennio post ipsorum obitum Tiberius ab Augusto, Sex Aelio Cato, C. Sentio Saturnino coss. adoptatus sit, manifeste colligitur Cajum anno V.C. IↃCCLIIII. Lucium IↃCCLII. periisse. IↃCCLVI.

Cantabri & Astures.] Augustum contra Astures Cantabros (qui hodie Biscaini sunt) quique nomen Oceano Cantabrico dederunt, profectus est, teste Dione, cum novum consulatum ipse cum M. Iunio Silano cepisset anno IↃCCXXVIII. at Suetonius auctor est, Augustum octavum iniisse consulatum Tarracone, collega T. Statilio Tauro, & ibidem quoque hunc nonum cepisse cum M. Silano. Oportuit itaque Augustum in Hispaniam, quam Dio scribit, tempestivius profectum fuisse, & rem deinceps per legatos ejus gestam esse, cum Orosius hoc bellum per quinquennium extendat. lib. 53.

Vaccæosque et Curgonios.] Vaccæi mediterranei sunt Hispaniæ Tarraconensis populi cis Durium flumen, ubi nunc urbes Palentia, Vallis Oletana, inter quas olim Segisama, ut Ptolemæus, aut Segesama, ut ex Polybio Strabo recitat, numeratur, modo Tordesillas dicta. Autrigones populi supra Cantabros versus Pyrenæum habitabant, montosa admodum & prærupta regione circa Iberi fontes, ubi nunc Birviesca, ceteræque urbes. Sub iis in meridiem & occasum Murbogi habitabant (ubi nunc Burgos oppidum situm est) inter Vacceos & Cantabros. Sintne itaque Murbogi reponendi pro Curgoniis (quorum nomen obscurum est) eruditi lectoris judicio permittimus. Nec minus aliena vox est, quæ mox sequitur, *Belgica*: mihi si conjecturare in tanto Annalium silentio liceat, *Vellica* scribendum putarem, eam namque in Cantabris Ptol. recenset Viadio monte vicinam, quam modo Victoriam vocant. De Aracillo non habeo nunc quidem quod adferam. Astures fuisse eos, nunc in Legionis regno ab Astorga urbe utrimque in septemtrionem usque ad littora Oceani Cantabrici habitabant, loca ex Ptolemæo conferenti satis apertum est. Edulius mons erit, qui vulgo Roncevallis dicitur.

Venenoque —— præcepere mortem.] Cantabros ex more toxicum, quod ex herba apio simillima componunt, semper, ne quid inviti patiantur, in promptu habere Strabo quoque testatur. Eosdem morti se etiam pro iis in lib. 3. quos sunt propensi, devovere, & immolandos præbere scribit, quo more etiam pro Augusti salute Sextum Pacuvium se devovisse Dio scribit. Itidem bello Cantabrico a matribus filios, ne in hostium potestatem vivi venirent, interemtos Srabo tradit. Quendam etiam puerulum parentes & fratres suos, cum vinculis essent adstricti, jussu patris universos gladio confecisse: itidem mulierem quandam captivos necessitudine sibi junctos trucidasse; aliquot etiam cum captivi ipsi in crucem agerentur, lætitiæ carmina cecinisse, quæ ideo hic referenda putabam, ut intelligatur cum quam efferata gente Augusto bellum fuerit. lib. 53.

Antistium.] Augustus ex morbo Tarracone decumbens, C. Antistium Veterem-

terem, contra Astures cum exercitu misit, quos ipse locorum difficultate impeditus debellare non potuit. Astures considebant se praeruptis saxis & praepeditis viis satis munitos, qua socordia decepti C. Antistium contemtius excipiunt, & male pugnarunt: ipsos profligatos prosequitur Antistius, multa eorum oppida expugnat, gentemque variis cladibus fractam imperata facere cogit, in
lib. 53. Dio.

Furnium.] Cum Astures propter Carisii ferociam & superbiam anno ІↃCCXXXII. rebellassent, Cantabros etiam in societatem defectionis traxerunt: C. Furnium Caesaris legatum ut hominem bellicum ipsis gerendi ignarum contemnunt, quod ipsis calamitatis initium fuit: nam Furnius conjunctis cum Carisio copiis, acie congredi ausos fundit, fugatque. Cantabrorum pars ferocissima, ne, rebus ita perditis, vivae in hostium potestatem venirent, veneno, igne, ferro semetipsam & suos confecit. Astures ab oppugnatione oppidi cujusdam profligati, praelio etiam victi, armis positis perdomiti sunt.

Agrippam.] M. Vipsanius Agrippa Augusti gener erat, qui contra Cantabros hac de caussa rebelles exercitum duxit. Cantabri qui superioribus bellis capti & sub corona venditi erant, dominos suos singuli interfecerant, demum fuga delapsi, multos ad defectionis societatem pertrahunt: castellis aliquot occupatis & munitis, praesidia Romanorum oppugnant. Contra eos profectus Agrippa militem suum habuit contumaciorem, vel quia ut emeritus juste missionem flagitabat, vel quia Cantabrorum ferocia, quam expertus esset, torpescebat, quem cum ad obedientiam permovisset, cum hoste ex desperatione, & militari etiam scientia acerrime pugnante, parum feliciter congressus est. tandem cum suos ignominia notatos acuisset, Cantabros fere omnes qui militari aetate essent, concidit, reliquos exarmavit, & ex montibus in plana deduxit, anno ІↃCCXXXIV. Triumphum ipsi hujus victoriae caussa Senatu ex Augusti voluntate decretum, magna cum animi moderatione neglexit.

Hos sub corona jure belli venum dedit.] Corona pro signo captivis venalibus imponebatur, quos jure belli milites cepissent, & idcirco dicebantur sub co-
lib. 7. cap. 4. ronis venire. ita Caelius apud Gellium. hinc Livius frequenter: *Oppidum captum, cives sub corona venirent.* & Caesar: *Omni senatu necato, reliquos sub corona vendidit.*

Carisius.] T. Carisium, Lanciam, quae maxima Asturiae urbs erat, desertam, post Antistii victoriam occupasse Dio scribit; multaque alia armis expugnasse. Lanciam quoque inter Asturiae urbes Ptolemaeus recenset. Orosius eandem historiam prosequitur lib. 6. Brigaecinorum hoc in tractu meminit quoque Ptolemaeus.

Castra sua ——— incolere jussit.] Augustus hoc bello confecto, emeritos missione donavit, & iis condere urbem in Lusitania jussit, de suo nomine Augustam, ab ipsorum missione Emeritam cognominatam. Ita etiam in Hispania multae passim urbes conditae sunt ab Augusto nominatae, ut eas de monti-
bus

Digitized by Google

deducti Astures & Cantabri incolerent, in Asturibus Augusta Asturica, nunc Astorga, in Pelendonibus Augustobriga, quasi dicas Augusti oppidum (ut enim Germanis Burgum, ita prisca Hipanorum lingua Briga oppidum vocatur.) Sic in Sedetanis Cæsar augusta (nunc Saragosla) condita est. vide Plin. Ptolem. Strab. Melam, alios.

Ab alio venire coelo.] Cur ab alio sole? an quia Indi ab ipso solis ortu & extremo oriente venerant in occasum extremum? Augustum namque Tarracone in Hispania, quæ ultima terrarum versus occasum veteribus credebatur, legatio Indica & Scythica cum suæ gentis muneribus adoravit, teste Orosio.

Ianum Geminum cludere.] Iani Gemini templum ab Augusto tertium fuisse clausum anno IↃCCIIXXX. postquam primum a Numa, iterum post bellum Punicum primum anno IↃXVIII. pace toto imperio parta, clausum fuisset, constanter omnes testantur Annales. Desunt itaque hic in Flori recensione anni octo & viginti. Dio scribit ab Augusto bis Iani templum fuisse clausum, semel post Actiacam victoriam anno IↃCCXXVIII. iterum postquam ob bellum Cantabricum & Germanicum fuisset reseratum, gentibus iis devictis clausum esse anno IↃCCXXX.

Dictator perpetuus.] Augustum dictatoris nomen nunquam tulisse in Annalibus veterum testatissimum est, vel ut invidiam nominis devitaret, vel quia Dictatoria potestas Antonia lege abrogata erat. Dictaturam namque, quam pertinaciter ei populus Romanus anno IↃCCXXXI. offerebat, tam constanter repulit, ut cum populus eam magna vi etiam offerret, ipse genu nixus dejecta ab humero toga, nudo pectore deprecatus sit. Patercul. Sueton. Dio, Fasti Capitolini, alii. nam ipse longe majorem auctoritatem exercebat sub Imperatoris prænomine, & Tribuniciæ potestatis titulo, quem, Dictatura perpetua abdicata, ex A. D. V. Kalend. Iul. accepit, sapienterque invidiam nominis exosi, & tyranici declinavit.

Reverentius visum est nomen Augusti.] Iulius Cæsar Divi filius, ante diem XVI. kalend. Febr. Augustus sententia Munatii Planci a Senatu ceterisque civibus dictus est, se septimum & M. Vipsanio Agrippa coss. anno IↃCCXXI. ut Censorinus testatur. Ovidius tamen primo Fastorum hoc Idibus Ianuarii factum scribit. Augustus appellatus est, non quod propriam aliquam eo nomine potestatem augeret, sed quod dignitatis splendorem illustraret: Augusta enim religiosa loca, & in quibus augurato aliquid consecratur, dicuntur, vel ab augendo, vel ab avium gestu, Suetonius, Eutropius, Dio, alii.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

TITI LIVII
PATAVINI
DECADVM
XIV.
EPITOME.

Cum Scholiis


CAROLI SIGONII

MARTINI DELRII

& Aliorum.

Digitized by Google

Digitized by Google



TITI LIVII
PATAVINI
HISTORIARVM
AB VRBE CONDITA
LIBRI PRIMI
EPITOME.

Adventus Æneæ in Italiam, & res ab eo gestæ, Ascanii regnum Albæ, & Sylvii Æneæ, ac deinceps Sylviorum regum primo libro continentur. Numitoris filia a Marte compressa. nati Romulus, & Remus. Amulius obtruncatus. Vrbs a Romulo condita. Senatus lectus. Cum Sabinis bellatum. Opima spolia Iovi Feretrio lata. In centurias populus divisus. Fidenates, & Vejentes victi. Romulus consecratus. Numa Pompilius ritus sacrorum tradidit: Iano templum constituit: ejusque portam, pacatis omnibus circa populis, primus clausit: cum dea Ægeria sibi congressus nocturnos esse simulans, feroces populi animos ad religionem perpulit. Tullus Hostilius Albanos bello petiit. Post hæc trigeminorum pugna. Horatius absolutus. Metii Suffetii supplicium. Alba diruta. Albani in civitatem recepti. Sabinis bellum indictum. Ad postremum fulmine absumtus est. Ancus Martius cærimonias a Numa institutas renovavit: Latinis victis, & ad civitatem ascitis montem Aventinum assignavit: Politorium urbem Latinorum bello repetitam, quam prisci Latini occupaverant, diruit: pontem sublicium in Tyberim fecit: Ianiculum collem urbi addidit: fines imperii protulit: Ostiam condidit. Tarquinius Priscus in Anci amicitiam receptus. Centum additis patrum numerum auxit: Latinos subegit: circum designavit: ludos edidit:

Sabinorum bello potitus, equitum centurias ampliavit. Tentandæ scientiæ causa Accii Navii auguris, consuluisse fertur, an id, de quo cogitaret, effici posset: quod cum illi fieri posse respondisset: jussisse eum novacula cotem præcidere: idque protinus factum. Sabinos præterea acie vicit: urbem muro circumdedit, cloacas fecit. Servius Tullius natus ex captiva Corniculana, cui puero in cunis posito caput arsisse traditum est: Vejentes atque Hetruscos prælio fudit, censum primus omnium egit: lustrum condidit: classes, centuriasque descripsit: Pomœrium protulit: colles urbi, Quirinalem, Viminalem, Esquilinumque adjecit: templum Dianæ cum Latinis in Aventino fecit. Lucius Tarquinius Superbus, occiso Servio ejus socero, invasit regnum, quo die scelerata Tullia per patris jacentis corpus carpentum egit. Armatos circa se ad custodiam corporis sui habuit: Turnum Herdonium fraude interemit: bellum cum Volscis gessit: & ex eorum præda templum Iovi in Capitolio fecit. Terminus, & Iuventas non addixere: quorum aræ moveri non potuerunt. Filius Sextus Tarquinius dolo Gabios in potestatem suam redegit. Hujus filiis Delphos profectis, & consulentibus, quis eorum regnaturus esset Romæ: dictum est, eum regnaturum, qui primus matrem osculatus esset. quod responsum cum ipsi aliter interpretarentur: Iunius Brutus, qui cum iis profectus erat prolapsum se simulavit: & terram osculatus est. Idque factum ejus eventus rei comprobavit. nam cum impotenter se gerendo Tarquinius Superbus omnes in odium suum adduxisset: ad ultimum propter expugnatam nocturna vi a Sex. filio ejus Lucretiæ pudicitiam, quæ vocato patre ad se Tricipitino, & viro Collatino obtestata ne inulta mors ejus esset, cultro se interemit. Bruti opera maxime expulsus est: cum regnasset annos viginti quinque. Tunc consules primum creati sunt L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus.

LIBRI II.

Brutus jurejurando populum astrinxit: neminem regnare Romæ passurum: Tarquinium Collatinum collegam suum propter affinitatem Tarquiniorum suspectum, coegit consulatu se abdicare, & civitate cedere: bona regum diripi jussit: agrum Marti consecravit: qui Campus Martius nominatus est. adolescentes nobiles, in quibus suos quoque, & fratris filios, quia conjuraverant de recipiendis regibus, securi percussit: servo judici, cui Vindicius nomen fuit, libertatem dedit: ex cujus nomine vindicta est appellata. Cum adver-

sus

Digitized by Google

ſus reges, qui contractis Vejentium, & Tarquiniorum copiis bellum intulerant, exercitum duxiſſet: in acie cum Arunte filio Superbi commortuus eſt: eumque matronæ annum luxerunt. L. Valerius conſul legem de provocatione ad populum tulit. Capitolium dedicatum eſt. Porſena rex Cluſinorum, bello pro Tarquiniis ſuſcepto, cum ad Ianiculum veniſſet: ne Tyberim tranſiret, virtute Coclitis Horatii prohibitus eſt. qui, dum alii pontem ſublicium reſcindunt: ſolus Hetruſcos ſuſtinuit: & ponte rupto armatus ſe in flumen miſit: & ad ſuos tranavit. Alterum acceſſit virtutis exemplum a Mutio, qui, cum ad feriendum Porſenam caſtra hoſtium intraſſet, occiſo ſcriba, quem regem eſſe putabat, comprehenſus, impoſitam altaribus manum, in quibus ſacrificatum erat, exuri paſſus eſt: dixitque tales trecentos eſſe conjuratos in mortem ipſius regis. quorum admiratione coactus Porſena pacis conditiones ferre, bellum omiſit, acceptis obſidibus. ex quibus virgo una Clœlia deceptis cuſtodibus per Tyberim ad ſuos tranavit: & cum reddita eſſet, a Porſena honorifice remiſſa, equeſtrique ſtatua donata eſt. Ap. Claudius ex Sabinis Romam transfugit: ob hoc Claudia tribus adjecta eſt. Numerus tribuum ampliatus eſt: ut eſſent triginta una. Adverſus Tarquinium Superbum cum Latinorum exercitu bellum inferentem A. Poſthumius dictator proſpere pugnavit apud lacum Regillum. Plebs, cum propter nexos ob æs alienum Sacrum in montem ſeceſſiſſet: conſilio Menenii Agrippæ a ſeditione revocata eſt. Idem Agrippa cum deceſſiſſet, propter paupertatem publico impendio elatus. Tribuni plebis quinque creati ſunt. Oppidum Volſcorum Corioli captum eſt virtute & opera Cn. Martii: qui ob hoc Coriolanus vocatus eſt. T. Latinus vir de plebe, cum in viſu admonitus eſſet, ut de quibusdam religionibus ad ſenatum perferret: & neglexiſſet: amiſſo filio, debilis factus, poſteaquam delatus ad ſenatum lectica, eadem illa indicaverat, uſu pedum recepto, domum reverſus eſt. Cum Cn. Martius Coriolanus, qui in exilium pulſus, dux Volſcorum factus exercitum hoſtium urbi primo admoviſſet: & miſſi ad eum primum legati, poſtea ſacerdotes fruſtra deprecati eſſent, ne bellum patriæ inferret: Veturia mater, & Volumnia uxor impetraverunt ab eo, ut recederet. Lex agraria primum lata eſt. Sp. Caſſius conſularis regni crimine damnatus eſt necatuſque. Oppia virgo veſtalis ob inceſtum viva defoſſa eſt. Cum vicini hoſtes Vejentes incommodi magis, quam graves eſſent: familia Fabiorum id bellum gerendum depopoſcit: miſitque in id trecentos ſex armatos: qui ad Cremeram ad unum ab hoſti-

Digitized by Google

bus cæsi sunt, uno impubere domi relicto. Res præterea adversum Volscos, & Aequos, & Vejentes, & seditiones inter patres, plebemque continet. Appius Claudius consul, cum adversus Volscos contumacia exercitus male pugnatum esset, decimum quemque militum fuste percussit.

LIBRI III.

Seditiones de agrariis legibus factæ. Capitolium ab exulibus, & servis occupatum, cæsis iis receptum est. Census bis actus est. priore lustro censa sunt civium capita centum, quatuor & viginti millia, CCXIV. præter orbos, orbasque: sequenti, XXXXII. millia, CCCCXIX. Cum adversus Aequos res male gesta esset: L. Quinctius Cincinnatus dictator factus, cum rure intentus rustico operi esset: ad bellum gerendum arcessitus est. Is victos hostes sub jugum misit. Tribunorum plebis numerus ampliatus est, ut essent decem, XXXVI. anno a primis tribunis plebis. Petitis per legatos, & allatis Atticis legibus, ad constituendas eas, proponendasque decemviri pro consulibus sine ullis aliis magistratibus creati, altero & trecentesimo anno, quam Roma condita erat: & uta regibus ad consules ita a consulibus ad decemviros translatum imperium: Ii decem tabulis legum positis, cum modeste se in honore gessissent: & ob id in alterum quoque annum eundem esse magistratum placuisset: cum complura impotenter fecissent: magistratum noluerunt deponere: & in tertium annum detinuerunt: donec invito eorum imperio finem attulit libido Ap. Claudii. qui cum in amorem virginis incidisset: summisso, qui eam in servitutem peteret: necessitatem patri ejus Virginio imposuit, rapto ex taberna proxima cultro, ut filiam interimeret: cum aliter eam tueri non posset, ne in potestatem stuprum illaturi veniret. hoc tam magnæ luxuriæ exemplo plebs incitata montem Aventinum occupavit: coegitque decemviros abdicare se magistratu, ex quibus Appius, & unus collegarum, qui præcipue pœnam meruerant, in carcerem conjecti: cæteri in exilium acti. Res præterea contra Sabinos, & Volscos, & Aequos prospere gestas continet: & parum honestum populi Romani judicium: qui judex inter Ardeates & Aricinos sumptus, agrum de quo ambigebatur sibi adjudicavit.

LIBRI IV.

Lex de connubio patrum & plebis contentione magna, patribus repugnantibus, perlata est a trib. pl. Aliquot annis res populi Rom. domi militiæque per hoc genus magistratus administratæ sunt. Item censo-

res

Digitized by Google

res tunc primum creati sunt. Ager Ardeatinus Romani populi judicio ablatus, missis in eum colonis, restitutus est. Cum fame populus Ro. laboraret, Sp. Melius eques Romanus frumentum populo sua impensa largitus est: & ob id factum conciliata sibi plebe, regnum affectans, a C. Servilio Hala magistro equitum jussu Quintii Cincinnati dictatoris occisus est. L. Minutius index bove aurata donatus est. Legatis Romanis a Fidenatibus occisis, quoniam ob Remp. occubuerant, statuæ in rostris positæ sunt. Cornelius Cossus tribunus militum, occiso Tolumnio rege Vejentium, opima spolia secunda retulit. Mamercus Aemilius dictator censuræ honore, qui antea per quinquennium gerebatur: anni & sex mensium spatio finito, ob eam rem a censoribus notatus est. Fidenæ in potestatem redactæ: eoque coloni missi sunt, quibus occisis Fidenates cum defecissent a populo Ro. a Mamerco Aemylio dictatore victi sunt: & Fidenæ captæ. Conjuratio servorum oppressa est. Posthumius tribunus militum propter crudelitatem ab exercitu occisus est. Stipendium ex ærario tum primum militibus datum est. Res præterea gestas adversum Volscos, & Vejentes continet.

LIBRI V.

In obsidione Vejorum hybernacula militibus facta sunt. ea res cum esset nova, indignationem tribunorum plebis movit, querentium non dari plebi nec per hyemem militiæ requiem. Equites tum primum equis suis merere cœperunt. Cum inundatio in lacu Albano facta esset, vates, qui eam rem interpretaretur, ab hostibus captus est. Furius Camillus dictator decem annos obsessos Vejos cepit: simulachrum Romam transtulit: decimam partem prædæ Delphos Apollini misit. Idem tribunus militum, cum Faliscos obsideret, proditos hostium filios parentibus remisit: statimque deditione facta, Faliscorum victoriam justitia consecutus est. Cum alter ex censoribus, Iulius decessisset: in locum ejus M. Cornelius suffectus est. nec id postea factum est: quoniam eo lustro a Gallis Roma capta est. Furius Camillus, cum dies a L. Apulejo trib. pleb. dicta esset, in exilium abiit. Cum Senones Galli Clusium obsiderent, & legati a senatu missi ad componendum inter eos & Clusinos pacem, pugnantes contra Gallos in acie Clusinorum stetissent: hoc facto eorum concitati Senones urbem infesto exercitu petierunt: fusisque ad Alliam flumen Romanis, cepere urbem, præter Capitolium: in quod se juvenes contulerant. majores natu cum insignibus honorum, quos quisque gesserat, in vestibulis ædium sedentes occiderunt, & cum per aversam

Digitized by Google

sam partem Capitolii jam in summum evasissent: proditi clangore anserum, M. Manlii præcipue opera dejecti sunt. coactis deinde propter famem Romanis despondere, ut mille pondo auri darent: & hoc pretio finem obsidionis emerent: Furius Camillus dictator absens creatus inter pendendum aurum cum exercitu venit: & Gallos post sextum mensem urbe expulit: ceciditque. Aedes Loquutio facta: quo loco ante urbem captam vox audita erat, adventare Gallos. Dictum est ad Vejos migrandum esse, propter incensam, & dirutam urbem. quod consilium Camillo autore discussum est. Movit populum vocis quoque omen ex centurione auditæ. qui, cum in forum venisset, manipulariis suis dixerat: sta miles: hic optime manebimus.

LIBRI VI.

Res adversus Aequos, & Volscos, & Hetruscos prospere gestas continet. Quatuor tribus additæ sunt: Stellatina, Sabbatina, Promentina, Arniensis. M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat: cum obstrictos ære alieno liberaret: nexos exolveret: crimine affectati regni damnatus, de saxo Tarpejo dejectus est. in cujus notam S. C. factum est: ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset. C. Licinius, & L. Sestius tribb. pleb. legem promulgarunt: ut consules etiam ex plebe fierent: qui ex patribus creabantur. eam legem cum magna contentione repugnantibus patribus, cum iidem plebis per quinquennium soli magistratus fuissent, pertulerunt. & primus omnium ex plebe consul L. Sextius creatus est. Lata est altera lex: ne cuiquam plus quingentis jugeribus agri liceret possidere.

LIBRI VII.

Duo novi magistratus adjecti sunt: prætura, & ædilitas curulis. Pestilentia civitas laboravit: eamque insignem fecit mors Furii Camilli. cujus remedium, & finis cum per novas religiones quæreretur, ludi scenici tunc primum facti sunt. Cum dies L. Manlio dicta esset a M. Pompejo trib. pl. propter delectum acerbe factum, & ob T. Manlium filium relegatum sine ullo crimine adolescens ipse, cujus relegatio patri objiciebatur: venit in cubiculum tribuni: strictoque gladio coegit eum in verba sua jurare: non perseveraturum se in accusatione. tunc omnia perniciosa omissa sunt. In patentem voraginem urbis Romæ Curtius armatus equo se præcipitavit: eaque expleta est. Manlius adolescens qui patrem a tribunitia vexatione liberaverat: contra Gallum provocantem aliquem ex militibus Romanis, in singulare certamen descendit: eique occiso

Digitized by Google

torquem aureum detraxit: quem ipse postea tulit, & ex eo Torquatus est nuncupatus. Duæ tribus additæ: Pontina, & Publicia. Licinius Stolo lege ab ipso lata damnatus est: quod plus quingentorum jugerum agri possideret. M. Valerius trib. militum Gallum, a quo provocatus erat, insidente galea corvo, & unguibus rostroque infestante hostem interemit: & ex eo Corvini nomen accepit: consulque proximo anno creatus est ob virtutem: cum XXIII. ageret annum. Amicitia cum Carthaginensibus juncta. Campani, cum urgerentur a Samnitibus bello, auxilio adversus eos a senatu petito, cum id non impetrarent, urbem, atque agros populo Romano dediderunt. ob quam causam ea, quæ populi Romani facta essent, defendi bello adversus Samnites placuit. Cum ab A. Cornelio consule exercitus in iniquum locum deductus in magno discrimine esset, P. Decii tribuni militum opera servatus est. qui occupato colle super id jugum, in quo Samnites sederant, occasionem consuli in æquiorem locum evadendi dedit: ipse ab hostibus circumsessus erupit. Milites Romani, qui Capuæ in præsidio erant relicti, cum de ea occupanda urbe conspirassent: & detecto consilio, metu supplicii a populo Romano defecissent: per M. Valerium Corvinum dictatorem, qui consilio suo eos a furore revocaverat, patriæ restituti sunt.

LIBRI VIII.

Latini cum Campanis defecerunt: & missis legatis ad senatum conditionem tulerunt: ut, si pacem habere vellent, alterum ex Latinis consulem facerent. Qua legatione perlata, prætor eorum Annius de Capitolio ita prolapsus est, ut exanimaretur. T. Manlius consul filium suum, quod contra edictum pugnaverat adversum Latinos, quamvis prospere pugnasset, securi percussit. Laborantibus Romanis, P. Decius tunc cum Manlio devovit se pro exercitu: & concitato equo cum in medios hostes se intulisset, interfectus morte sua Romanis victoriam restituit. Latini in deditionem venerunt. T. Manlio in urbem reverso nemo ex iuventute obviam processit. Minucia virgo Vestalis incesti damnata est. Ausonibus victis, in oppidum Cales colonia deducta est. Item Fregellæ colonia deductæ sunt. Veneficium complurium matronarum deprehensum: quarum plurimæ statim epotis medicaminibus perierunt. Lex de veneficio tunc primum constituta est. Privernatibus, cum rebellassent, victis civitas data est. Palæpolitani victi bello & obsidione in deditionem venerunt. Q. Publio, qui eos obsederat, primum imperium prolatum: & per consules ei decretus triumphus. Plebs nexu liberata est

 prop-

Digitized by Google

propter Lucii Papirii creditoris libidinem, qui C. Publio debitori suo stuprum inferre voluerat. Cum L. Papyrius dictator reversus in urbem ab exercitu esset propter auspicia repetenda, Q. Fabius magister equitum occasione rei bene gerendæ invitatus, contra edictum ejus præliatus est: qui prospere adversus Samnites pugnavit: ob eam causam cum dictator de magistro equitum supplicium sumpturus videretur, Fabius Romam profugit: & cum causa parum proficeret, populi precibus donatus est. Res præterea contra Samnites prospere gestas continet.

LIBRI IX.

Titus Veturius, & Sp. Posthumius apud Caudinas furcas, deducto in locum iniquum exercitu, cum nulla spes evadendi esset, fœdere cum Samnitibus facto, & sexcentis equitibus Romanis obsidibus datis, ita exercitum abduxerunt, ut omnes sub jugum mitterentur, idemque auctore SP. Posthumio cos. qui in senatu suaserat, ut eorum deditione, quorum culpa tam deforme fœdus ictum erat, publica fides liberaretur; cum duobus trib. plebis, & omnibus, qui per fœdus spoponderant, dediti Samnitibus non sunt recepti. nec ita multo post fusis a Papyrio Cursore Samnitibus, & sub jugum missis, receptisque sexcentis equitibus Romanis, qui obsides dati erant: pudor prioris flagitii abolitus. Tribus duæ adjectæ sunt: Vsantina, & Falerina. Suessa, & Pontiæ coloniæ deductæ sunt. Ap. Claudius censor aquam Claudiam perduxit; viam stravit, quæ Appia vocata est: libertinorum filios in senatu legit. ideoque, quoniam is ordo videbatur inquinatus indignis, sequentis anni consules in senatu legendo observaverunt: quemadmodum ante per proximos censores observatum fuerat. Res præterea contra Apulos, Hetruscos, Marsos, Vmbros, Pelignos, Æquos, & Samnites, quibus fœdus erat restitutum, prospere gestas continet. Flavius Scriba libertino patre natus ædilis curulis fuit, per forensem factionem creatus, quæ, cum comitia & campum turbaret, & in iis propter nimias vires dominaretur, a Q. Fabio censore in quatuor tribus redacta est: eaque res Fabio Maximo nomen dedit.

LIBRI X.

Coloniæ deductæ sunt Sora, & Alba. Carseoli in deditionem accepti sunt. Collegium augurum ampliatum est, ut essent novem, cum antea quaterni fuissent. Lex de provocatione ad populum a Valerio consule tunc primum lata est. Duæ tribus adjectæ sunt, Aniensis & Terentiana. Samnitibus bellum indictum, & adversus eos prospere pugnatum est.

Cum

Cum adversus Hetruscos, Vmbros, Samnites, Gallos P. Decio, & Q. Fabio ducibus pugnaretur, Romanusque exercitus in maximo esset discrimine, P. Decius secutus exemplum patris devovit se pro exercitu & morte sua victoriam ejus pugnæ populo Romano dedit. Papyrius Cursor Samnitium exercitum, qui jurejurando astrictus suo, quo majore constantia virtutis in aciem descenderet, fudit. Census actus est, lustrum conditum, censa sunt civium capita ducenta sexaginta duo millia, & trecenta viginti duo.

LIBRI XI.

Cum Fabius Gurges consul male adversum Samnites pugnasset, & senatus de removendo eo ab exercitu ageret, Fabius Maximus pater deprecatus hanc sibi ignominiam, eo maxime Senatum movit, quod iturum se filio legatum pollicitus est, idque præstitit, atque ejus consiliis, & opera filius consul adjutus, cæsis Samnitibus triumphavit, C. Pontium imperatorem Samnitium ductum in triumpho securi percussit. Cum civitas pestilentia laboraret, missis legatis, ut Æsculapii signum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui se in navem eorum contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportavere: eoque in insulam Tyberis egresso, eodem loco sedes Æsculapii constituta est. L. Posthumius consularis, quoniam, cum exercitui præesset, opera militum in agro suo usus esset, damnatus est. Cum Samnitibus pacem petentibus fœdus quarto renovatum est. Curius Dentatus consul Samnitibus cæsis, & Sabinis, qui rebellaverant, victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphavit. Coloniæ deductæ sunt Castrum, Sena, Adria. Triumviri capitales tunc primum creati sunt. Census actus est, lustrum conditum, censa sunt civium capita CCLXXIII. millia. Plebs propter æs alienum, & graves, & longas seditiones ad ultimum secessit in Ianiculum: unde a Q. Hortensio dictatore deducta est: isque in ipso magistratu decessit. Res præterea contra Volsinienses gestas continet: item adversus Lucanos: contra quos auxilium Tyrrhenis ferre placuerat.

LIBRI XII.

Cum legati Romanorum a Gallis Senonibus interfecti essent: bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius prætor cum legionibus ab iis cæsus est. Cum a Tarentinis classis Romana direpta esset, duce, qui præerat classi, occiso: legati ad eos a senatu, ut de iis injuriis quererentur, missi, pulsati sunt. ob id bellum iis indictum est. Samnites defecerunt. Adver-

sus eos, & Lucanos, & Brutios, & Hetruscos aliquot præliis a compluribus ducibus bene pugnatum est. Pyrrhus Epirotarum rex, ut auxilium ferret Tarentinis in Italiam venit. Cum in præsidium Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Iubellio missa esset: occisis Rheginis Rhegium occupavit.

LIBRI XIII.

Valerius Levinus consul parum prospere adversus Pyrrhum pugnavit: elephantorum maxime inusitata facie territis militibus. Post id prælium cum corpora Romanorum, qui in acie ceciderant, Pyrrhus inspiceret, omnia versa in hostem invenit, populabundusque ad urbem Romam processit. C. Fabricius missus ad eum, ut de redimendis captivis ageret: frustra, ut patriam desereret, a rege tentatus est. captivi sine pretio remissi sunt. Cyneas legatus a Pyrrho ad senatum missus petiit, ut componendæ pacis causa rex in urbem reciperetur. de qua re cum ad frequentiorem senatum referri placuisset, Ap. Claudius, qui propter invalitudinem oculorum jam diu a consiliis publicis abstinuerat, venit in *curiam*, & sententia sua tenuit, ut id Pyrrho negaretur. P. Domitius censor primus ex plebe lustrum condidit. censa sunt civium capita CCLXXVIII. millia, CCXXII. Iterum adversus Pyrrhum dubio eventu pugnatum est. Cum Carthaginiensibus quarto fœdus revocatum est. Cum C. Fabricio consuli is, qui ad eum a Pyrrho transfugerat, polliceretur se regi venenum daturum, cum indicio ad regem remissus est. Res præterea contra Hetruscos, Lucanos, & Brutios, & Samnites prospere gestas continet.

LIBRI XIV.

Pyrrhus in Siciliam trajecit. Cum inter alia prodigia fulmine dejectum esset in Capitolio Iovis signum, caput ejus per aruspices inventum est. Curius Dentatus, cum delectum haberet, ejus, qui citatus non responderat, bona vendidit. Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reversum vicit: & Italia expulit. Fabricius censor P. Cornelium Rufinum consularem senatu movit, quod decem argenti pondo facti haberet. Lustro a *censoribus* condito censa sunt capita civium CCLXXVI. millia, CCXXIIII. Cum Ptolemæo Ægypti rege societas juncta est. Sextilia virgo Vestalis damnata incesti viva defossa est. Coloniæ deductæ sunt Posidonia, & Consa. Carthaginiensium classis auxilio Mamertinis venit, quo facto ab iis fœdus violatum est. Res præterea contra Lucanos, Samnites, & Brutios feliciter gestas & Pyrrhi mortem continet.

L I-

LIBRI XV.

Victis Tarentinis pax & libertas data est. Legio Campana, quæ Rhegium occupaverat, obsessa, deditione facta, securi percussa est. Cum legatos Apolloniatium ad senatum missos quidam invenes pulsassent, dediti sunt Apolloniatibus. Picentibus victis pax data. Coloniæ deductæ: Ariminum in Piceno: Beneventum in Samnio. Tunc primum populus Romanus argento uti cœpit. Vmbri, & Salentini victi in deditionem accepti sunt. Quæstorum numerus ampliatus est.

LIBRI XVI.

Origo Carthaginiensium, & primordia Vrbis referuntur: contra quos, & Hieronem regem Syracusanorum auxilium Mamertinis ferendum censuit senatus. Cum de ea re inter suadentes, ut id fieret, dissuadentesque contentio fuisset: transgressis tum primum mare equitibus Romanis adversus Hieronem sæpius bene pugnatum. Petenti pax data est. Lustrum a censoribus conditum, censa sunt civium capita CCCLXXII. millia, CCXVIIII. D. Iunius Brutus munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit primus. Colonia Esernia deducta est. Res præterea contra Pœnos, & Volscos prospere gestas continet.

LIBRI XVII.

Cn. Cornelius cos. a classe Punica circumventus, & per fraudem veluti in colloquium evocatus est. Cn. Duilius cos. adversus classem Pœnorum prospere pugnavit: primusque omnium Romanorum ducum navalis victoriæ duxit triumphum, ob quam causam ei perpetuus honos habitus est, ut revertenti a cœna tibicines canerent: & funale præferretur. L. Cornelius cos. in Sardinia contra Sardos & Corsos, & Hannonem Pœnorum ducem feliciter pugnavit. Attilius Calatinus cos. cum in locum iniquum a Pœnis circumsessum temere duxisset exercitum, M. Calpurnii tribuni militum virtute, & opera evasit: qui cum trecentis militibus eruptione facta hostes in se convertit. Annibal dux Pœnorum victa classe, cui præfuerat, a militibus suis in crucem sublatus est. Attilius Regulus cos. victis navali prælio Pœnis, in Africam trajecit.

LIBRI XVIII.

Attilius Regulus in Africa serpentem portentosæ magnitudinis cum maxima militum clade occidit. & cum aliquot præliis adversum Carthaginienses pugnasset: successorque a senatu prospere bellum gerenti non mitteretur: idipsum per literas ad senatum missas conquestus est. in quibus inter causas petendi successoris erat, quod agellus

Digitized by Google

ejus a mercenariis devastaretur. Quærente deinde fortuna ut magnum utriusque casus exemplum in Regulo proderetur: arcessito a Carthaginensibus Xanthippo Lacedæmoniorum duce, victus in prælio, & captus est. Res deinde a ducibus Romanis omnibus terra marique prospere gestas deformavere naufragia classium. T. Coruncanus primus ex plebe pontifex maximus creatus est. M. Sempronius Sophus, Valerius Maximus censores, cum senatum legerent, XIII. senatu moverunt. lustrum condiderunt, quo censa sunt civium capita CCCXVII. millia, CCXVII. Regulus missus a Carthaginiensibus ad senatum, ut de pace & si eam minime impetraret, de captivis commutandis ageret: jurejurando astrictus est rediturum se Carthaginem, si commutari captivos non placuisset. utrumque negandi autor senatui fuit: & cum fide custodita reversus esset, supplicio a Carthaginiensibus de eo sumpto, periit.

LIBRI XIX.

Cæcilius Metellus, rebus adversus Pœnos prospere gestis, *speciosissimum* egit triumphum: XIII. ducibus hostium, & centum viginti elephantis in eo ductis. Claudius Pulcher cos. qui contra auspicia profectus jussit immergi pullos, qui cibari nolebant, infeliciter adversus Carthaginienses classe pugnavit, & revocatus a senatu, jussusque dictatorem dicere. C. Glauciam dixit, sortis ultimæ hominem: qui coactus abdicare se magistratu, postea ludos prætextatus spectavit. Attilius Calatinus primus dictator extra Italiam exercitum duxit. Cum Pœnis captivorum commutatio facta est. Coloniæ deductæ sunt, *Fregellæ*, in agro Salentino Brundisium. Lustrum a censoribus conditum est. censa sunt civium capita CCLI. millia, CCXXII. Claudia soror P. Claudii, qui contemtis auspiciis male pugnaverat, a ludis divertens, cum turba premeretur, dixit: utinam frater meus viveret, iterumque classem duceret. ob eam causam mulctata est. Duo prætores tum primum creati sunt. Cæcilius Metellus Pontifex maximus A. Posthumium consulem, quoniam idem & flamen Martialis erat, cum ille *ad bellum* gerendum proficisci vellet, in urbe tenuit: nec passus est a sacris recedere. Rebus adversus Pœnos pluribus ducibus gestis, summam victoriæ C. Luctatius consul victa ad Aegates insulas classe Pœnorum, finem bello imposuit. Petentibus Carthaginiensibus pax data est. Cum templum Vestæ arderet, Cæcilius Metellus pontifex maximus ex incendio sacra rapuit. Duæ tribus adjectæ sunt, Velina, & Esqui-

Digitized by Google

Esquilina. Falisci, cum rebellassent, sexto die domiti in deditionem venerunt.

LIBRI XX.

Spoletium colonia deducta est. Adversus Ligures tunc primum exercitus promotus est. Sardi & Corsi, cum rebellassent, subacti sunt. Tutia virgo Vestalis incesti damnata est. Bellum Illyriis propter unum ex legatis, qui ad eos missi erant, occisum indictum est: subactique in deditionem venerunt. Prætorum numerus ampliatus est, ut essent quatuor. Galli transalpini, qui in Italiam eruperant, cæsi sunt. Eo bello populus Romanus sociorum, Latinique nominis trecenta millia armatorum habuisse dicitur. Exercitibus Romanis tum primum trans Padum ductis, Galli Insubres aliquot præliis in deditionem venerunt. M. Claudius Marcellus consul, occiso Insubrium Gallorum duce Viridomaro, opima spolia retulit. Istri subacti sunt. Item Illyrii, cum rebellassent, domiti in deditionem venerunt. Lustrum a censoribus conditum est: ex quo censa sunt civium capita CCLXX. millia. Libertini in quatuor tribus redacti sunt, cum antea dispersi fuissent, Esquilinam Palatinam, Suburranam, Collinam * munivit: & circum Flaminium extruxit. Coloniæ deductæ sunt in agro de Gallis capto, Placentia, & Cremona.

LIBRI XXI.

In Italia belli Punici secundi acta narrantur: & Annibalis Pœnorum ducis contra fœdus per Iberum amnem transitus: a quo Saguntus sociorum populi Romani civitas octavo mense capta est. de quibus injuriis missi legati ad Carthaginienses, qui quererentur. & cum satisfacere nollent, bellum iis indictum est. Annibal superato Pyreneo saltu, per Gallias fusis, qui obsistere ei conati erant, ad Alpes venit: & laborioso per eas transitu, cum montanos quoque Gallos obvios aliquot præliis repulisset: descendit in Italiam: & ad Ticinum amnem Romanos equestri prælio fudit: in quo vulneratum P. Cornelium Scipionem protexit filius: qui Africani postea nomen accepit. iterumque exercitu Romano ad flumen Trebiam fuso Annibal Apenninum per maximam militum vexationem propter vim tempestatum transiit. Cn. Cornelius Scipio in Hispania contra Pœnos prospere pugnavit, duce hostium Magone capto.

Digitized by Google

LIBRI XXII.

Annibal per continuas vigilias in paludibus oculo amisso venit in Hetruriam: per quas paludes quatriduo, & tribus noctibus sine ulla requie iter fecit. C. Flaminius consul homo temerarius contra auspicia profectus, signis militaribus effossis quæ tolli non poterant: & ab equo, quem conscenderat, per caput devolutus, insidiis ab Annibale circumventus ad Trasimenum lacum cum exercitu cæsus est. Sex millia, quæ eruperant, fide ab Maharbale data, perfidia Annibalis vincta sunt. Cũ ad nuntium cladis Romæ luctus esset, duæ matres insperato receptis filiis, gaudio mortuæ sunt. Ob hanc cladem ex Sibyllinis libris ver sacrum votum. Dum deinde Q. Fabius Maximus dictator adversus Annibalem missus nollet acie cum eo confligere: ne contra ferocem tot victoriis hostem territum adversis præliis militem pugnæ committeret: & opponendo se tantummodo conatus Annibalis impediret: M. Minucius magister equitum ferox & temerarius, criminando dictatorem, tanquam timidum & segnem, effecit, ut populi jussu ei imperium cum dictatore æquaretur. divisoque *exercitu*, cum in iniquum locum conflixisset, & in maximo discrimine legiones ejus essent, superveniente cum exercitu Fabio Maximo ex descrimine liberatus est. quo beneficio victus castra cum eo junxit: & patrem eum salutavit: idemque milites facere commilitonibus jussit. Annibal vastata Campania inter Casilinum oppidum, & Calliculam montem a Fabio clausus, sarmentis ad cornua boum alligatis, & incensis, præsidium Romanorum, quod Calliculam insidebat, fugavit: & sic transgressus est saltum. idemque Fabii Maximi dictatoris, cum circumposita ureret, agro pepercit: ut illum tanquam proditorem suspectum faceret. Aemylio deinde Paulo, & Terentio Varrone consulibus, & ducibus cum maxima clade adversus Annibalem ad Cannas pugnatum est, cæsaque eo prælio Romanorum quadraginta quinque millia cum Paulo consule, & senatoribus LXXX. consularibus atque prætoriis aut ædilitiis triginta. Post quam cladem cum a nobilibus adolescentibus propter desperationem consilium de relinquenda Italia iniretur, P. Cornelius Scipio tribunus militum, qui postea Africanus nuncupatus est, stricto super capita deliberantium ferro, juravit pro hoste habiturum eum, qui in verba sua non jurasset, effecitque, ut omnes minime relictum iri a se Italiam *jurejurando* astringerentur. Præterea trepidationem urbis, & luctum, & res in Hispania meliore eventu gestas continet. Opimia, & Floronia Vestales virgines incesti damnatæ sunt. Propter paucitatem vero militum *servorum*

vorum octo millia armata sunt. captivi, cum potestas esset redimendi, redemti non sunt. Varroni obviam itum est: & gratiæ actæ, quod de republica non desperasset.

LIBRI XXIII.

Campani ad Annibalem defecere. Nuntius Cannensis victoriæ Mago Carthaginem missus annulos aureos a digitis occisorum Romanorum detractos in vestibulo curiæ fudit: quos excessisse modii mensuram traditur. post quem quidem nuntium Hanno ex Pœnis vir nobilissimus suadebat senatui Carthaginiensium, ut pacem a populo Romano peterent: nec tenuit, obstrepente Barchina factione. Cl. Marcellus prætor ad Nolam eruptione adversus Annibalem ex oppido facta prospere pugnavit. Exercitus Annibalis per hyberna Capuæ ita luxuriatus est: ut corporum viribus, atque animorum enervaretur. Casilinum a Pœnis obsessum ita fame vexatum est, ut lora, & pelles scutis detractas, item mures essent: & nucibus per Vulturnum amnem a Romanis missis vixerint. Senatus ex equestri ordine hominibus centum nonaginta septem suppletus est. L. Posthumius prætor a Gallis cum exercitu cæsus est. Cn. & P. Scipiones in Hispania Asdrubalem vicerunt, & Hispaniam suam fecerunt. Reliquiæ Cannensis exercitus in Siciliam relegatæ sunt, ne recederent inde, nisi finito bello. Inter Philippum Macedonum regem, & Annibalem societas juncta est. Sempronius Gracchus cos. Campanos cecidit. Præterea in Sardinia feliciter a T. Manlio prætore adversus Pœnos, Sardosque res gestas continet: a quo Asdrubal dux, & Mago, & Hanno capti. Claudius Marcellus prætor Annibalis exercitum ad Nolam prælio fudit, & vicit: primusque omnium tot cladibus fessis Romanis meliorem spem belli dedit.

LIBRI XXIV.

Hieronymus Syracusanorum rex, cujus avus Hiero amicus populo Ro. fuerat, ad Carthaginienses defecit: & propter crudelitatem, superbiamque a suis interfectus est. T. Sempronius proconsul prospere adversus Pœnos, & Hannonem ducem ad Beneventum pugnavit, servorum maxime opera, quos liberos esse jussit. Cl. Marcellus cos. in Sicilia, quæ prope tota ad Pœnos defecerat, Syracusas obsedit. Philippo Macedonum regi bellum indictum est, qui ad Apolloniam nocturno prælio oppressus, fugatusque, in Macedoniam cum prope inermi exercitu profugit. ad id bellum gerendum Valerius prætor missus est. Res præterea in Hispania a P. & Cn. Scipionibus adversus

Digitized by Google

Carthaginienses gestas continet. Syphax rex Numidarum in amicitiam ascitus contra Masinissam regem Massylorum pro Carthaginiensibus pugnans, victus in Hispaniam ad Scipionem cum maxima manu transiit contra Gades: ubi angusto freto Africa, & Hispania dirimuntur. Celtiberi quoque in amicitiam recepti sunt: quorum auxiliis accitis, tunc primum mercenarium militem Romana castra habuerunt.

LIBRI XXV.

P. Cornelius Scipio postea Africanus, ante legitimos annos ædilis factus est. Annibal urbem Tarentum præter arcem per Tarentinos juvenes, qui se nocte venatum ire simulaverant, cepit. Ludi Apollinares ex Martii carminibus, quibus Cannensis clades prædicta fuerat, instituti sunt. A Q. Fulvio, & Ap. Claudio coss. adversus Hannonem Pœnorum ducem prospere pugnatum est. T. Sempronius Gracchus proconsul ab hospite suo Lucano in insidias ductus a Magone interemtus est. Centenius Penula, qui centurio militaverat, cum petisset a senatu, ut sibi exercitus daretur: pollicitusque esset, si hoc impetrasset, de Annibale victoriam: octo millibus acceptis militum dux factus conflixit acie cum Annibale: qui cum exercitu eum cecidit. Cn. Fulvius prætor male adversus Annibalem pugnavit: in quo prælio hominum sexdecim millia ceciderunt: ipse cum equitibus ducentis effugit. Capua obsessa est a Q. Fulvio, & Ap. Claudio coss. Cl. Marcellus Syracusas expugnavit anno tertio: & ingentem se virum gessit. in eo tumultu urbis captæ Archimedes intentus formis, quas in pulvere descripserat, interfectus est. P. & Cn. Scipiones in Hispania tot tantarumque rerum feliciter gestarum tristem exitum tulerunt, prope cum totis exercitibus cæsi anno octavo, quam in Hispaniam iverant. amissaque ejus provinciæ possessio foret, nisi L. Martii equitis Romani virtute & industria contractis exercituum reliquiis, ejusdem hortatu bina castra hostium expugnata essent. ad triginta septem millia cæsa: ex mille octingentis, præda ingens capta. dux Martius appellatus est.

LIBRI XXVI.

Annibal ad tertium ab urbe Roma lapidem super Anienem castra posuit. ipse vero cum duobus millibus equitum usque ad portam Capenam, ut urbis situm exploraret, obequitavit. & cum per triduum in aciem utrinque exercitus omnis descendisset: certamen tempestas diremit. nam cum in castra rediissent, statim serenitas erat. Capua

pua

Digitized by Google

pta capta est a Q. Fulvio, & Ap. Claudio coss. Principes Campani veneno sibi consciverunt mortem. Cum senatus Campanorum deligatus esset ad palos, ut securi feriretur, literas a senatu missas Q. Fulvio cos. quibus jubebatur parcere, antequam legeret, in sinu posuit, & lege agi jussit, & supplicium peregit. Cum in comitiis apud populum quæreretur, cui mandaretur Hispaniarum imperium: nullo id volente suscipere, P. Scipio P. filius, qui in Hispania ceciderat, professus est se iterum, & suffragio populi, consensuque omnium missus, Novam Carthaginem uno die expugnavit, cum ageret vicesimum quartum annum: videreturque divina stirpe creatus, quoniam & ipse posteaquam togam acceperat, quotidie in Capitolio erat: & in cubiculo matris ejus anguis sæpenumero visus est. Res præterea in Sicilia gestas continet, & amicitiam cum Ætolis junctam, bellumque gestum adversus Acarnanas, & Philippum Macedonum regem.

LIBRI XXVII.

Cn. Fulvius prætor cum exercitu ab Annibale cæsus est. Meliore eventu a Claudio Marcello cos. adversus eundem ad Numistronem pugnatum est. inde Annibal noctu recessit. Marcellus insecutus est; & subinde cedentem pressit, donec effugeret. priore pugna Annibal superior fuit: Marcellus insequenti. Fabius Maximus pater consulis Tarentinos per deditionem accepit. In Hispania ad Betulam Scipio cum Asdrubale Amilcaris conflixit, & vicit. inter alia captum puerum regalem eximiæ formæ ad avunculum Masanissam cum donis misit. Cl. Marcellus, T. Quintius Crispinus cos. speculandi causa egressi e castris insidiis ab Annibale circumventi sunt. Marcellus occisus fuit: Crispinus fugit. Res præterea a P. Sulpitio prætore adversus Philippum, & Achæos gestas continet. Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt civium capita centum triginta septem millia, centum & octo. ex quo numero apparuit quantum hominum tot præliorum adversa fortuna populo Romano abstulisset. Asdrubal, qui cum exercitu novo transcenderat Alpes, ut se Annibali conjungeret, cum millibus hominum LVI. cæsus est M. Livii consulis ductu, sed non minore opera Claudii Neronis consulis. qui cum Annibali oppositus esset, relictis castris, ita ut inimicum falleret, electa manu profectus Asdrubalem circumvenit.

LIBRI XXVIII.

Res in Hispania prospere gestæ a Syllano Scipionis legato, & L. Scipione fratre adversus Pœnos, a Sulpitio procos. & ab Attalo rege Asiæ adversus Philippum regem Macedonum pro Ætolis referuntur. Cum M. Livio, & Claudio Nerone cos. triumphus decretus esset: Livius, qui in provincia sua rem gesserat, quadrigis invectus est: Nero, qui in collegæ provinciam, ut victoriam ejus adjuvaret, venerat, equo est secutus: & in hoc habitu plus gloriæ, reverentiæque habuit. nam & plus in bello, quam collega fecerat. Ignis in æde Vestæ negligentia virginis, quæ non custodierat, extinctus est. virgo cæsa est flagro. P. Scipio in Hispania cum Pœnis debellavit XIIII. anno ejus belli, anno quinto, posteaquam ierat: exclusisque in totum possessione ejus hostibus, Hispaniam recepit: & a Tarracone in Africam ad Syphacem regem Numidarum duobus navigiis transvectus, fœdus junxit. Asdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto accubuit. munus gladiatorium in honorem patris, patruique Carthagini Novæ dedit, non ex gladiatoribus, sed ex iis, qui aut in honorem ducis, aut ex provocatione in certamen descendebant: in quo reguli fratres de regno ferro contenderunt. Cum Astapa urbs ab Romanis oppugnaretur, oppidani liberos, & conjuges rogo extructo occiderunt, se insuper præcipitaverunt. Ipse Scipio dum gravi morbo implicitus esset: seditionem in parte exercitus motam confirmatus discussit: rebellantesque Hispaniæ populos coegit in deditionem venire. Et amicitia facta est cum Masanissa rege Numidarum: qui illi quidem auxilium, si in Africam trajecisset, pollicebatur. cum Gaditanis quoque post discessum inde Magonis, cui ex Carthagine scriptum erat, ut in Italiam trajiceret. Romam reversus, consulque creatus. Africam provinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est: permissumque, ut in Africam trajiceret, si ex republica esse censeret. Mago Amilcaris filius a minore Baleari insula, ubi hyemarat, in Italiam trajecit.

LIBRI XXIX.

Ex Sicilia C. Lælius in Africam a Scipione missus ingentem prædam reportavit: & mandata Masanissæ Scipioni exposuit, conquerentis quod nondum exercitum in Africam trajecisset. Bellum in Hispania finitum, victore Romano: quod Indibilis excitaverat. ipse in acie occisus: Mandonius exposcentibus Romanis a suis deditus est. Magoni,

ni, qui in Galliam, & Liguriam ierat, ex Africa & militum ampla manus missa, & pecuniæ, quibus auxilia conduceret: præceptumque ut se Annibali jungeret. Scipio a Syracusis in Brutios trajecit: & Locros, pulso Punico præsidio, fugatoque Annibale recepit. Pax cum Philippo facta est. Idæa mater deportata est Romam a Pessinunte oppido Phrygiæ, carmine in libris Sibyllinis invento: *pelli Italia alienigenam hostem posse, si mater Idæa deportata Romam esset.* tradita autem est Romanis per Attalum regem Asiæ. lapis erat, quem matrem deum incolæ dicebant. excepit P. Scipio Nasica, Cn. filius, ejus, qui in Hispania perierat: vir optimus a Senatu judicatus, adolescens nondum quæstorius: quoniam ita responsum habebatur: *ut numen id ab optimo viro reciperetur, consecraretur que.* Locrenses legatos Romam miserunt, qui de impotentia Q. Pleminii legati quererentur, quod pecuniam Proserpinæ abstulerat: & liberos eorum & conjuges stupraverat. Pleminius in catenis Romam perductus in carcere mortuus est. Cum fallus rumor de P. Scipione proconsule, qui in Sicilia erat, in urbem perlatus esset, tanquam luxuriaretur: missis ob hoc legatis a senatu, qui explorarent, an ea vera essent: purgatus infamia Scipio in Africam trajecit senatus permissu. Syphax accepta in matrimonium Asdrubalis Gisgonis filia, amicitiæ, quam cum Scipione ipse junxerat, renunciavit. Masanissa Rex Masæsulorum, dum pro Carthagine in Hispania militat, amisso patre Gala, de regno exciderat. quo per bellum sæpe repetito, aliquot prœliis a Syphace rege Numidarum victus, in totum privatus est: & cum ducentis equitibus exul Scipioni se junxit: & cum eo primo statim bello Hannonem Amilcaris filium cum ampla manu interemit. Scipio adventu Asdrubalis & Syphacis, qui prope cum centum millibus armatorum venerat, ab obsidione Vticæ depulsus, hyberna communivit. Sempronius cos. in agro Crotoniensi prospere adversus Annibalem pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est. censa sunt civium capita CCXV. millia. Inter censores M. Livium, & Claudium Neronem notabilis discordia fuit. nam & Claudius Livio collegæ equum ademit, quod a populo Romano damnatus, actusque in exilium fuerat: & Livius Claudio, quod falsum in se testimonium dixisset: & quod minime bona fide secum in gratiam redisset. idem omnes tribus extra unam ærarias reliquit, quod & innocentem se damnassent, & postea consulem censoremque fecissent.

LIBRI XXX.

In Africa Scipio Carthaginienses, & eundem Syphacem Numidarum regem, Asdrubalemque pluribus præliis vicit, adjuvante Masanissa binaque hostium castra expugnavit, in quibus XL millia hominum ferro igniqne consumpta sunt. Syphacem per C. Lælium & Masanissam cepit. Masanissa Sophonisbam uxorem Syphacis, filiam Asdrubalis, captam statim adamavit, & nuptiis factis uxorem habuit: castigatusque a Scipione venenum ei transmisit, quo quidem hausto illa decessit. Effectumque est multis Scipionis victoriis, ut Carthaginienses in desperationem acti in auxilium publicæ salutis Annibalem ex Italia revocarent. isque anno decimo sexto Italia discedens in Africam trajecit, tentavitque per colloquium pacem cum Scipione componere: cum de conditionibus pacis non convenisset, acie victus est. Pax Carthaginiensibus data est petentibus. Annibal Gilgonem pacem dissuadentem manu sua detraxit; excusata deinde temeritate facti, ipse pacem suasit. Mago bello, quo in agro Insubrium cum Romanis conflixerat, vulneratus, dum in Africam per legatos revocatus reverteretur, ex vulnere mortuus est. Reversus in urbem Scipio amplissimum, nobilissimumque egit triumphum: quem Q. Terentius Culleo senator pileatus secutus est. Scipio Africanus, incertum militari prius favore, an populari aura ita cognominatus sit. primus certe hic imperator victæ a se nomine gentis nobilitatus est.

LIBRI XXXI.

Belli adversus Philippum Macedoniæ regem, quod intermissum erat, repetiti causæ feruntur hæ. Tempore initiorum duo iuvenes Acarnanes, qui non initiati erant, Athenas venerunt: & in sacrarium Cereris cum aliis pluribus suis intraverunt. ob hoc, tanquam nefas summum commisissent, ab Atheniensibus cæsi sunt. Acarnanes mortibus suorum commoti ad vindicandum illos auxilium a Philippo petierunt. Paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam, quingentesimo quadragesimo anno ab urbe condita, cum Atheniensium, qui *obsidebantur* a Philippo, legati auxilium a senatu petiissent: & senatus id censuisset ferendum, plebe, quod tot bellorum continuus labor gravis erat, dissentiente, tenuit autoritas patrum, ut sociæ civitati ferre opem populus quoque juberet. Bellum id P. Sulpitio consuli mandatum est: qui exercitu in Macedoniam ducto, equestribus præliis cum Philippo obsessi ad exemplum Saguntinorum suos seque occiderunt. L.

Furius

Furius prætor Gallos Insubres rebellantes, & Amilcarem Pœnum bellum in ea parte molientem acie vicit. Amilcar eo bello occisus est, & millia hominum xxxv. Præterea expeditiones Philippi regis, & Sulpitii consulis, expugnationesque urbium ab utroque factas continet. Sulpitius cos. adjuvantibus rege Attalo, & Rhodiis bellum gerebat. Triumphavit de Gallis L. Furius prætor.

LIBRI XXXII.

Complura prodigia ex diversis regionibus, nunciata referuntur: inter quæ in Macedonia in puppi longæ navis lauream esse natam. T. Quintius Flamininus cos. adversus Philippum feliciter pugnavit in faucibus Epiri fugatumque coegit in regnum reverti. Ipse Thessaliam, quæ est vicina Macedoniæ, sociis Aetolis, & Athamanibus, vexavit. L. Quintius Flamininus consulis frater navali prælio Attalo rege, & Rhodiis adjuvantibus, Eubœam, & maritimam oram cepit. Achæi in amicitiam recepti sunt. Conjuratio servorum facta de solvendis Carthaginiensibus obsidibus oppressa est. Prætorum numerus ampliatus est, ut seni crearentur. Cornelius cos. Gallos Insubres prælio fudit. Cum Lacedæmoniis, & tyranno eorum Nabide amicitia juncta est. Præterea expugnationes urbium in Macedonia referuntur.

LIBRI XXXIII.

Titus Quintius Flamininus proconsul cum Philippo ad Cynoscephalas in Thessalia acie victo debellavit. L. Quintius Flamininus frater proconsulis, Arcananes, Leucade urbe, quæ caput est Acarnaniæ, expugnata, in deditionem accepit. C. Sempronius Tuditanus prætor a Celtiberis cum exercitu cæsus est. Attalus a Thebis ob subitam valetudinem translatus decessit. Pax petenti Philippo, Græciæ libertas data est. L. Furius, & Claudius Marcellus consules Bojos, & Insubres Gallos subegerunt. Marcellus triumphavit. Annibal frustra in Africa bellum molitus, & ob hoc Romanis per epistolas adversæ factionis principum delatus, propter metum Romanorum, qui legatos ad Carthaginiensium senatum de eo miserant, profugus ad Antiochum regem Syriæ se contulit, bellum contra Romanos parantem.

LIBRI XXXIV.

Lex Oppia, quam C. Oppius tribunus plebis bello Punico de stringendis cultibus matronarum tulerat, cum contentione abrogata est, cum Porcius Cato autor fuisset, ne ea lex aboleretur. Is in Hispa-

Hispaniam profectus bello, quod Emporiis orsus est, citeriorem Hispaniam pacavit. T. Quintius Flamininus bellum adversus Lacedæmonios, & tyrannum eorum Nabidem prospere gestum, data iis pace, qualem ipse voluit, liberatisque Argis, qui sub ditione tyranni erant, finivit. Senatus tunc primum secretus a populo ludos spectavit. ut id fieret, Sex. Aelius Pætus, & L. Cornelius Cethegus censores intervenerunt cum indignatione plebis. Coloniæ pleræque deductæ sunt. M. Porcius Cato de Hispania triumphavit. Res præterea adversus Bojos, & Insubres Gallos feliciter gestæ referuntur. T. Quintius Flamininus, qui Philippum Macedonum regem, & Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum vicerat, Græciamque omnem liberaverat, ob hanc rerum gestarum multitudinem triduo triumphavit. Legati Carthaginiensium nuntiaverunt, Annibalem, qui ad Antiochum confugerat, bellum cum eo moliri. tentaverat autem Annibal per Aristonem Tyrium sine literis Carthaginem missum ad rebellandum Pœnos concitare.

LIBRI XXXV.

P. Scipio Africanus legatus missus ad Antiochum, Ephesi cum Annibale, qui se Antiocho junxerat, collocutus est: ut, si fieri posset, metum vitæ, quem ex populo Romano conceperat, eximeret. Inter alia cum quæreret ab Annibale, quem fuisse maximum imperatorem Annibal crederet, respondit: Alexandrum Macedonum regem, quod parva manu innumerabiles exercitus fudisset: quodque ultimas oras, quas visere supra fidem humanam esset, peragrasset. quærenti deinde quem secundum poneret, inquit, Pyrrhum: eo quod castra metari docuisset: ad hæc neminem elegantius loca cepisse, præsidia disposuisse. exequenti quem tertium diceret: semet dixit. ridens Scipio, *quid nam tu diceres, si me*, inquit, *vicisses? tunc vero*, inquit, *me & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante alios posuissem.* Inter ea prodigia, quæ plurima fuisse traduntur: bovem, Cn. Domitio consule, locutum, *Roma cave tibi*, refertur. Apparant in Antiochum bellum Romani. Nabis Lacedæmoniorum tyrannus incitatus ab Aetolis, qui & Philippum, & Antiochum ad inferendum bellum populo Romano sollicitabant, a populo Romano discivit, & bello adversus Philopœmenem Achæorum prætorem gesto, ab Aetolis interfectus est. Aetoli quoque ab amicitia populi Romani defecerunt. cum quibus societate juncta Antiochus Syriæ rex, cum bellum Græciæ intulisset, complures urbes occupavit. inter quas Chalcidem, & totam

totam Eubœam. Res præterea in Liguribus gestas, & apparatum belli ab Antiocho continet.

LIBRI XXXVI.

Marcus Acilius Glabrio cos. Antiochum apud Thermopylas, Philippo rege adjuvante, victum Græcia expulit: idemque Aetolos subegit. P. Cornelius Scipio Nasica cos. ædem matris deum, quam ipse in Palatium intulerat, vir optimus a senatu judicatus, dedicavit: idemque Bojos & Gallos victos in deditionem accepit, & de iis triumphavit. Præterea navalia certamina prospera adversus præfectos Antiochi regis referuntur.

LIBRI XXXVII.

Cornelius Scipio cos. legato P. Scipione Africano, qui se fratris legatum futurum dixerat: si ei Græcia, & Asia provincia decerneretur, cum A. Lælio, qui multum in senatu poterat, ea provincia dari videretur: profectus ad bellum adversus Antiochum gerendum in Asiam primus omnium Romanorum ducum trajecit. Aemylius Regillus adversus regiam classem Antiochi feliciter pugnavit ad Myonesum, Rhodiis adjuvantibus. Filius Africani ab Antiocho captus patri remissus est. M. Acilius Glabrio de Antiocho, quem Græcia expulerat, & de Aetolis triumphavit. Victo deinde Antiocho a L. Cornelio Scipione, adjuvante Eumene rege Attali Pergameni filio, pax data, ea conditione, ut omnibus provinciis citra Taurum montem cederet. Eumeni, quo juvante Antiochus victus erat, regnum ampliatum: Rhodiis quoque, qui & ipsi juverant, quædam civitates concessæ. Colonia deducta est Bononia. Aemylius Regillus, qui præfectos Antiochi navali certamine vicerat, navalem triumphum duxit. L. Cornelius Scipio, qui cum Antiocho bellaverat, cognomine fratri coæquatus, Asiaticus appellatus est.

LIBRI XXXVIII.

Marcus Fulvius cos. in Epiro Ambracienses obsessos per deditionem accepit: Cephaleniam subegit: Aetolis perdomitis pacem dedit. Cn. Manlius cos. collega ejus Gallogræcos, Tolistobogios, Tectosagos, & Trocmos, qui Brenno duce in Asiam transierant, cum soli citra Taurum montem minime parerent, vicit. Eorum origo, & cum eo loca, quæ tenent, occupaverantque, referuntur. Exemplum quoque virtutis, & pudicitiæ in fœmina traditur. Quæ cum regis Gallogræcorum uxor fuisset, capta centurionem, qui ei vim intulerat,

rat, occidit. Lustrum a censoribus conditum est, censa sunt civium capita CCLVIII. millia, & CCCXXVIII. Cum Ariarathe rege Cappadociæ amicitia juncta est. Cn. Manlius, contradicentibus decem legatis, ex quorum consilio fœdus cum Antiocho conscripserat, de Gallogræcis, acta per se causa in senatu, triumphavit. Scipio Africanus, die ei dicta, ut quidam ajunt, a Petilio Acteo tribuno plebis, ut quidam a Nævio, quod præda cum Antiocho capta ærarium fraudasset: posteaquam is dies venit, evocatus in rostra, *Hac die*, inquit, *Quirites, Carthaginem vici*; & prosequente populo, Capitolium ascendit: inde, ne amplius tribunitiis injuriis vexaretur, in voluntarium exilium Liternum concessit, incertum ibi, an Romæ defunctus. nam ejus monimentum utrobique fuit. L. Scipio Asiaticus, frater Africani, eodem peculatus crimine accusatus damnatusque, cum in vincula, & carcerem duceretur, Tib. Sempronius Gracchus tribunus plebis, qui antea Scipionibus inimicus erat, intercessit: & ob id beneficium Africani filiam duxit. Cum populus quæstores in bona ejus publice possidenda misisset, non modo in iis nullum vestigium pecuniæ regiæ apparuit, sed nequaquam tantum in ærarium redactum, quantæ summæ erat damnatus. collatam a cognatis, & amicis innumerabilem pecuniam accipere noluit: quæ necessitati ei erat ad cultum retenta.

LIBRI XXXIX.

Aemylius cos. Liguribus subactis, viam a Placentia usque Ariminum perductam Flaminiæ junxit. Initia luxuriæ introducta ab exercitu Asiatico referuntur. Ligures, quicunque circa Apenninum erant, subacti sunt. Bacchanalia sacrum Græcum, & quidem nocturnum, scelerum omnium maximum seminarium, cum ad ingentis turbæ conjurationem pervenisset, a consule investigatum, & multorum pœna sublatum est. A censoribus L. Valerio Flacco, & Porcio Catone, vir & belli & pacis artibus maximus motus est senatu L. Quintius Flamininus T. Quintii frater, eo quod cum Galliam provinciam cos. obtinuerat, rogatus a Philippo Pœno, quem amabat, scorto nobili, Gallum quendam sua manu occiderat: sive, ut quidam tradiderunt, unum damnatorum securi percusserat, rogatus a meretrice Placentina, cujus amore deperibat. Extat in eum M. Catonis oratio. Scipio Literni decessit. Et tanquam jungente fortuna circa id tempus duo funera maximorum virorum, Annibal a Prusia Bithyniæ rege, ad quem victo Antiocho confugerat, cum dederetur Romanis, qui ad exposcendum illum T. Quintium Flamininum,

minimum miserant, veneno sibi mortem conscivit. Philopœmen quoque dux Achæorum, vir maximus, a Messeniis interemptus veneno, cum ab iis bello captus esset. Coloniæ Pollentia, & Pisaurum, & Mutina, & Parma, deductæ sunt. Præterea res adversum Celtiberos prospere gestas, & initia, causasque belli Macedonici continet. cujus origo inde venit, quod Philippus ægre ferebat regnum suum minui a Romanis, eo quod cogeretur a Thracibus, aliisque locis præsidia deducere.

LIBRI XL.

Cum Philippus liberos eorum, quos in vinculis nobilissimorum quidem hominum habebat, conquiri ad mortem jussisset, Theoxena pro liberis suis & sororis admodum pueris, regis verita libidinem, prolatis in medium gladiis, & poculo, in quo erat venenum, suasit iis, ut imminens ludibrium morte effugerent: & cum persuasisset, ipsa etiam se interemit. Certamina inter Philippi Macedoniæ regis liberos Perseum & Demetrium referuntur: & ut fraude fratris sui Demetrius confictis criminibus, inter quæ accusatione parricidii, & affectati regni, primum petitur, ad ultimum, quoniam populi Romani amicus erat, veneno necatus est: regnumque Macedoniæ mortuo Philippo ad Perseum devenit. Item res in Liguribus, & Hispania contra Celtiberos a compluribus feliciter gestas continet. Libri Numæ Pompilii in agro L. Petilii scribæ sub Ianiculo a cultoribus agri, in arca lapidea clausi & Græci & Latini, inventi sunt. in quibus plura quæ dissolvendarum religionum erant, prætor, ad quem delati erant, cum legisset, juravit senatui contra rempub. esse, ut legerentur, servarenturque, & ex S. C. in comitio exusti sunt. Colonia Aquileja deducta est. Philippus ægritudine animi confectus, quod Demetrium filium falsis alterius filii in eundem delationibus impulsus veneno sustulisset, & de pœna Persei cogitavit, voluitque Antigonum potius amicum suum successorem regni sui relinquere. sed in hac cogitatione morte raptus est. regnum Perseus accepit.

LIBRI XLI.

Ignis in æde Vestæ extinctus est. Tib. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit: monimentumque operum suorum Gracchurim, oppidum in Hispania, constituit. A Posthumio Albino proconsule Vaccei, ac Lusitani subacti sunt. de utrisque triumphavit. Antiochus Antiochi filius obses Romanis a patre datus,

Digitized by Google

mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto successerat, in regnum Syriæ ab urbe dimissus. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita CCLXXIII. millia, CCLIV. Q. Volumnius Saxa trib. pleb. legem tulit, ne quis hæredem mulierem institueret. suasit legem M. Cato. extat oratio ejus. Præterea res contra Ligures, Istros, Sardos, & Celtiberos a compluribus ducibus gestas continet, & initia belli Macedonici, quod Perseus Philippi filius moliebatur. miserat enim ad Carthaginienses legationem, & ab iis nocte audita erat. sed & alias Græciæ civitates solicitabat. qui præter religionem, quod quam multa temp a magnifica multis *locis* erexit, Athenis Iovis Olimpii, & Antiochiæ Capitolini vilissimum regem egit.

LIBRI XLII.

Fulvius Flaccus censor templum Iunonis Laciniæ tegulis marmoreis spoliavit: ut ædem, quam dedicaverat, tegeret. tegulæ ex S. C. reportatæ. Eumenes Asiæ rex in senatu de Perseo Macedoniæ rege questus est, cujus injuriæ in populum Romanum referuntur. ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus cos. cui Macedonia decreta erat, *in* Macedoniam transit: levibusque expeditionibus, equestribus præliis in Thessalia cum Perseo felici eventu pugnavit. Inter Masanissam, & Carthaginienses de agro fuit dies ad disceptandum a senatu datus. Legati missi ad civitates socias & reges rogandos, ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita CCLVII. millia, CCXXXI. Res præterea adversus Corsos, & Ligures prospere gestas continet.

LIBRI XLIII.

Prætores nonnulli, eo quod avare & crudeliter provincias administrassent, damnati sunt. P. Licinius Crassus proconsul complures in Græcia urbes expugnavit, & crudeliter diripuit. ob id captivi, qui ab eo venierant, ex S. C. postea restituti sunt. A præfectis classium Romanarum multa impotenter in socios facta. Res præterea a Perseo rege in Thracia prospere gestas continet: & victis Dardanis, & Illyrico, cujus rex erat Gentius, motus, qui in Hispania ab Olonico factus erat, ipso interempto, consedit. M. Aemylius Lepidus a censoribus princeps in senatu lectus.

LIBRI XLIV.

Q. Martius Philippus per saltus penetravit. in Macedoniam: compluresque urbes occupavit. Rhodii misere legatos Romam, minantes, ut Perseo essent auxilio, nisi populus Romanus cum eo pacem

atque

atque amicitiam conjungeret, indigne id latum. Cum id bellum L. Aemylio Paulo sequentis anni consuli iterum mandatum esset, Paulus in concione precatus est, ut quid diri pop. Rom. immineret, supra domum suam converteretur, & in Macedoniam profectus Perseum vicit, universamque Macedoniam in potestatem redegit. antequam confligeret, dixit exercitui, ne miraretur, quod luna nocte proxima defectura esset, Gentius quoque rex Illyriorum, cum rebellasset, ab Anicio prætore victus venit in deditionem, & cum uxore, & liberis, & propinquis Romam missus. Ab Alexandia legati a Cleopatra, & Ptolemæo regibus venerunt, quærentes de Antiocho rege Syriæ, quod is bellum inferret. Perseus solicitatis in auxilium Eumene rege Pergami, & Gentio rege Illyriorum, quia is pecuniam, quam promiserat, minime dabat, ab eis relictus est.

LIBRI XLV.

Perseus ab Aemylio Paulo in Samothracia captus est. Cum Antiochus Syriæ rex Ptolemæum & Cleopatram, Ægypti reges obsideret, & missis ad eum a senatu legatis, qui juberent, ab obsidione socii regis absisteret, editusque mandatis consideraturum se ille, quid faciendum esset, respondisset, unus legatorum Popilius virga regem circumscripsit: jussitque antequam circulo excederet, responsum daret. qua asperitate effecit, ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum, ac regum in senatum admissæ. Rhodiorum, quia eo bello contra populum Romanum fuerant, exclusa. postero die cum de eo quæreretur, ut iis bellum indiceretur, causam in senatu patriæ suæ legati egerunt, nec tanquam hostes, nec tanquam socii dimissi. Macedonia in provinciæ formam redacta est. Aemylius Paulus repugnantibus militibus ejus propter minorem prædam, & contradicente Servio Sulpitio Galba triumphavit, & Perseum cum tribus filiis ante currum duxit. cujus triumphi lætitia ne solida ei contingeret, duorum filiorum funeribus insignita est. quorum alterius mors patris triumphum præcessit, alterius secuta est. Lustrum conditum est a censoribus. Censa sunt civium capita CCCXII. millia, IↃCCCV. Prusias Bithyniæ rex Romam, ut senatui gratularetur ob victoriam ex Macedonia partam, venit, & Nicomedem filium suum senatui commendavit. rex plenus adulationis libertum se populi Romani esse dicebat.

Digitized by Google

LIBRI XLVI.

Eumenes rex Romam venit, quia Macedonico bello se medium egerat, ne aut inimicus judicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admitteretur, in comitio lex lata est, ne cui quam regi Romam venire liceret. Claudius Marcellus cos. Alpinos Gallos, C. Sulpitius Gallos Ligures subegit. Legati Prusiæ regis conquesti sunt de Eumene, quod fines suos depopularetur, dixeruntque, eum conspirasse cum Antiocho contra populum Romanum. Societas cum deprecantibus Rhodiis juncta est. Lustrum a censoribus conditum est. Censa eo sunt civium capita CCCXXVII. millia, XXII. Princeps senatus lectus M. Æmylius Lepidus. Ptolemæus Ægyptiorum rex a minore fratre e regno pulsus, missis ad eum legatis, in regnum restitutus est. Ariarathe Cappadociæ rege mortuo, filius ejus Ariarathes accepit regnum, & amicitiam per legatos cum populo Rom. renovavit. Res præterea adversus Ligures, Corsos, & Lusitanos vario eventu gestas & motus Syriæ, mortuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat, continet. Hunc Antiochum puerum cum Lisia tutore Demetrius, Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat: clam, quia minime dimittebatur a Romanis, interemit: & ipse in regnum receptus. L. Æmylius Paulus, qui Perseum vicerat, mortuus: cujus tanta abstinentia fuit, ut cum ex Hispania, & Macedonia maximas opes retulisset, vix ex auctione bonorum ejus redactum sit, unde dos uxori ejus redderetur. Pomptinæ paludes a Cornelio Cethego consule, cui ea provincia evenerat, siccatæ, tagerque ex iis factus.

LIBRI XLVII.

Cn. Tremellio tribuno plebis mulcta dicta est: quod cum M. Æmylio Lepido pontifice maximo injuriose contenderat. sacrorum quoque magistratuum jus potentius fuit. Lex de ambitu lata. Lustrum a censoribus conditum est. censa sunt civium capita CCCXXVIII. millia, CCCXIIII. Et princeps senatus lectus Æmylius Lepidus. Inter Ptolemæos fratres, qui diffidebant, fœdus ictum: ut alter in Ægypto, alter Cyrenis regnaret. Ariarathes Cappadociæ rex consilio Demetrii regis Syriæ, & viribus pulsus regno a senatu restitutus est. Missi a senatu legati, qui inter Masanissam, & Carthaginienses de agro judicarent. C. Martius cos. adversum Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit. cum quibus bello confligendi causa fuit, quod Illyricos populi Romani socios va-

Digitized by Google

ſtaverant. eandemque gentem Cornelius Naſica coſ. domuit. Q. Opimius coſ. tranſalpinos Ligures, qui Maſſilienſium opida Antiopolim & Nicæam vaſtabant, ſubegit. Præterea in Hiſpania a compluribus parum proſpere res geſtas continet. Conſules anno quingenteſimo nonageſimo octavo ab urbe condita magiſtratum, peractis comitiis, inſequentiſque anni conſulibus creatis, inire cœperunt. Mutandi comitia cauſa fuit, quod Hiſpani rebellabant. Legati ad diſceptandum inter Maſaniſſam, & Carthaginienſes miſſi nuntiaverunt, vim navalis materiæ ſe Carthagine deprehendiſſe. Quidam prætores a provinciis avaritiæ nomine accuſati, & damnati ſunt.

LIBRI XLVIII.

Luſtrum a cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt civium capita CCCXXIV. millia. Semina tertii belli Punici referuntur. Cum in finibus Carthaginienſium maximus Numidarum exercitus, Archobarzane duce Syphacis nepote, diceretur eſſe: M. Porcius Cato ſuaſit, ut Carthaginienſibus, qui exercitum ſpecie contra Maſaniſſam regem; ſed re vera contra Romanos accitum in finibus haberent, bellum indiceretur. contra dicente P. Cornelio Naſica, placuit legatos mitti Carthaginem, qui ſpecularentur, quid ageretur. Caſtigato ſenatu Carthaginienſium, quod contra fœdus exercitum & navales materias haberent, pacem inter Maſaniſſam, & eos facere voluerunt: Maſaniſſa agro, de quo lis erat, cedente. ſed Giſgo, Amilcaris filius, homo ſeditioſus, qui tunc in magiſtratu erat, cum ſenatus pariturum ſe judicio legatorum dixiſſet, ita bellum adverſus Romanos ſuadendo concitavit, ut legatos, a quo minus violarentur, fuga explicuerit. Id nuntiantes infeſtum jam ſenatum Carthaginienſibus infeſtiorem fecerunt. M. Porcius Cato funus mortui filii in prætura tenuiſſimo, ut valuit (nam pauper erat) ſumptu fecit. Andriſcus, qui ſe Perſei filium, regis quondam Macedoniæ, ingenti aſſeveratione mentiretur, Romam miſſus. M. Æmylius Lepidus, qui princeps ſenatu ſextis jam cenſoribus erat lectus, antequam expiraret, præcepit filiis, lecto ſe ſtrato ſine linteis, ſine purpura efferrent: in reliquum funus ne plus quam æris denos conſumerent imaginum ſpecie, non ſumptibus nobilitari maximorum virorum funera ſolere. De veneficiis quæſitum. Publicia, & Licinia nobiles fœminæ, quæ viros ſuos necaſſe inſimulabantur, cognita cauſa, cum prætori prædes, vadeſque dediſſent, cognatorum decreto necatæ ſunt. Guluſſa Maſaniſſæ filius denunciavit Carthagine delectus agi, claſſem comparari, & haud dubium bel-

bellum strui. Cum Cato suaderet, ut iis bellum indiceretur: P. Cornelio Nasica dicente nihil temere faciundum, placuit, decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Posthumius Albinus coss. cum delectum severe agerent: nec quenquam gratia dimitterent: a tribunis plebis qui pro amicis suis vacationem impetrare non potuerunt, in carcerem conjecti sunt. Hispaniense bellum cum parum prospere aliquoties gestum ita confudisset civitatem Rom. ut ne ii quidem invenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Æmylianus processit: & excepturum militiæ genus, quodcunque imperatum esset, professus est. quo exemplo ad militandi studium omnes incitavit. L. Lucullus cos. cui Claudius Marcellus successerat, pacasse omnes Celtiberiæ populos cum videretur: Vacceos, Cantabros & alias regiones, & iterum alias incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Africanus Scipio Æmylianus, L. Pauli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum tribunus militum occidit: & in expugnatione captæ urbis majus multo etiam periculum adiit. nam murum primus omnium transcendit. Servius Sulpitius Galba prætor male adversus Lusitanos pugnavit. Cum legati ex frica cum Carthaginiensium oratoribus, & Gulussa Masanissæ filio rediissent, dicerentque, & exercitum & classem Carthagine deprehendisse, perrogari sententiam placuit, Catone, & aliis principibus senatus suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus. quia vero Cornelius Nasica dicebat: nondum sibi justam causam belli videri: placuit, ut bello desisteretur. si Carthaginienses classem exussissent, & exercitum dimisissent, si minus, proximi consules de bello Punico referrent. Cum locatum a censoribus theatrum extrueretur, P. Cornelio Nasica auctore, tanquam inutile & nociturum publicis moribus, ex S.C. destructum est: populusque aliquandiu stans ludos spectavit. Carthaginienses tum adversum fœdus bellum Masanissæ intulerunt. Victi ab eo nonagesimum secundum annum habente, & sine pulpamine mandere & gustare cibum tantummodo solito, insuper Romanum bellum meruerunt.

LIBRI XLIX.

Tertii Punici belli initium altero & sexcentesimo anno ab urbe condita, intra quintum annum, quam erat cœptum, consummatum omnino est. Inter M. Porcium Catonem, & Scipionem Nasicam, quorum alterum sapientissimum virum in civitate habebant: alter vir optimus a Senatu judicatus erat, diversis certatum est sententiis, Ca-

sua-

tone suadente bellum: & ut omnino deleretur Carthago; Nasica dissuadente; placuit nihilominus, eo quod contra fœdus naves haberent, & extra fines exercitum duxissent, quodque socio populi Rom. & amico Masanissæ arma intulissent, & quod filium ejus Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum minime recepissent, bellum iis indici. Prius quam ullæ copiæ in naves imponerentur: Vticenses rogati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio veluti maximum belli omen, grata patribus, acerba Carthaginiensibus fuit. Diti patri ludi ad Tarentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti, qui anno primo primi Punici belli, quingentesimo & altero anno ab urbe condita facti erant. Legati triginta Romam venerunt, per quos Carthaginienses se dedebant. Catonis sententia pervicit, ut decreto perstaretur, & ut consules quam primum proficiscerentur ad bellum. Qui ubi in Africam transierunt, ac ceptis, quos impetraverant, trecentis obsidibus, & armis, omnibusque instrumentis belli, siqua Carthagine erant, tunc cum ex autoritate patrum juberent, ut in alio loco procul a mari decem millia passuum, nec minus, remoto oppidum facerent, indignitate rei ad bellandum Carthaginienses compulerunt. Obsideri, oppugnarique cœpta est Carthago a L. Martio, M. Manlio consulibus. In qua oppugnatione, cum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus irrupissent, & ab oppidanis graviter cederentur, a Scipione Africano expliciti sunt. per quem & castellum Romanorum, quod nocte oppugnabant, paucis equitibus juvantibus liberatum est: castrisque, quæ Carthaginienses omnibus copiis pariter ab urbe egressi oppugnabant, liberatis, is præcipuam gloriam tulit. Præterea cum ab irrita oppugnatione Carthaginis cos. (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum ducere adversus Asdrubalem vellet, qui cum altera manu iniquum saltum insederat, suasit primo consuli, ne tam iniquo loco confligeret. victus deinde complurium, qui & prudentiæ ejus, & virtuti invidebant, sententiis, & ipse saltum ingressus est. cumque sicut prædixerat, fusus fugatusque esset Romanus exercitus: & duæ cohortes ab hoste obsiderentur: cum exiguis equitum turmis in saltum reversus liberavit eas & incolumes reduxit. Quam virtutem ejus & Cato vir promptioris multo ad vituperandum linguæ, in senatu sic prosecutus est, ut diceret: reliquos, qui in Africa militarent, umbris militare, Scipionem vigore; & populus Rom. eo favore illum complexus est, ut comitiis complurimæ eum tribus con-

Digitized by Google

sulem scriberent: cum hoc per ætatem minime liceret. Cum L. Scribonius trib. pl. rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui ex fœdere populo Rom. dediti a Sergio Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit, extat oratio in annalibus ejus inclusa. Q. Fulvius Nobilior etiam ab eo in senatu laceratus respondit pro Galba. ipse quoque Galba, cum se damnari videret, complexus duos filios prætextatos, & filium Caji Sulpitii, cujus tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. extant tres orationes ejus, duæ adversum Libonem trib. pleb. rogationesque ejus habitas de Lusitanis: una contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos propter sese castra habentes cæsos fatetur: quod compertum habuerit, equo atque homine suo immolatis per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse. Andriscus quidam ultimæ sortis homo, Persei regis se filium ferens, & mutato nomine Philippus vocatus, cum ab urbe Roma, quo illum Demetrius Syriæ rex ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset, multis ad falsam ejus famam velut ad veram euntibus, contracto exercitu totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupavit. Fabulam autem hujusmodi finxerat. Ex pellice se Perseo rege ortum, traditum educandum Cyrthesæ cuidam esse, ut in belli casus, quod ille cum Romanis ageret, aliquod velut semen stirpis regiæ extaret. Perseo demortuo, Adramiti se educatum usque ad duodecimum annum ætatis. patrem esse credentem, a quo educaretur, ignarum generis fuisse sui. affecto deinde eo, cum prope vitæ finem ultimum esset, detectam tandem originem suam, falsæque matri libellum datum signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, cum ad puberem ætatem venisset, obtestationesque ultimas adjectas, ut res in occulto ad id tempus servaretur. pubescenti libellum tradidit, in quo relicti sibi duo thesauri a patre dicerentur. tum scientem mulierem subdititium se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus: atque obtestatam, ut prius quam ad Eumenem manaret res, Perseo inimicum, excederet iis locis, ne interficeretur. eo se exterritum, simul sperantem aliquod auxilium a Demetrio, in Syriam se contulisse: atque ibi primum quis ipse omnino esset, palam expromere ausum.

LIBRI L.

Thessalia, cum & illam invadere armis, atque occupare Pseudophilippus vellet, per Romanorum legatos auxiliis Achæorum defensa est.

est. Prusias rex Bithyniæ omnium humillimorum fautor, atque vitiorum, a Nicomede filio, adjuvante Attalo rege Pergami occisus est. Habebat alium filium, qui pro superiore ordine dentium enatum habuisse unum os continens dicitur. Cum legatos ad pacem inter Nicomedem & Prusiam faciendam Romani misissent, & unus ex iis caput multis cicatricibus sparsum haberet, alter pedibus æger esset, tertius ingenio socors haberetur, dixit Cato, eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere. In Syria, quæ eo tempore ex stirpe generis Persei regis Macedonum inertia socordiaque similem Prusiæ regem habebat, jacente eo in ganeo & lustris, Ammonius regnabat. per quem & amici omnes regis, & Laodice regina, & Antigonus Demetrii filius, occisi. Masanissa Numidiæ rex major nonaginta annis vir insignis decessit. Inter cætera opera juvenilia, quæ ad ultimum edidit, adeo etiam versus in senectam viguit, ut post sextum & octogesimum annum genuerit unum filium. Inter tres liberos, maximum natu Mycipsam, Gulussam, & Manastabalem, qui etiam Græcis literis erat eruditus: P. Scipio Aemylianus, cum commune eis pater regnum reliquisset, & dividere eos arbitrio Scipionis jussisset, administrationem regni divisit. Item Phaniæ Himilconis præfecto equitum Carthaginiensium, viro forti, & cujus opera præcipua Pœni utebantur, suasit, cum equitatu suo ad Romanos transire. Trium legatorum, qui ad Masanissam missi fuerant, Claudius Marcellus coorta tempestate fluctibus obrutus est. Carthaginienses Asdrubalem Masanissæ nepotem, quem prætorem habebant, proditionis suspectum, in curia interemerunt. quæ suspicio inde emanavit, quod propinquus esset Gulussæ, auxilia Romanorum juvantis. P. Scipio Aemylianus, cum ædilitatem peteret, consul a populo dictus, quoniam per x. annos consulem fieri minime licebat, cum maximo certamine suffragantibus plebeiis, & repugnantibus aliquantum patribus, legibus solutus, & cos. creatus est. M. Aemylius nonnullas urbes circumpositas Carthagini expugnavit. Pseudophilippus in Macedonia, cæso cum exercitu M. Iuventio prætore, a Q. Cæcilio victus, captusque relicta Macedonia.

LIBRI LI.

Carthago viginti tria milia quidem passuum in circuitu labore maximo obsessa, & per partes capta est, primum a Mancino legato, deinde a Scipione consule, cui extra sortem provincia Africa data est. Carthaginienses portu novo, quia vetus a Scipione erat obstructus, fa-

facto, & contracta exiguo tempore ampla classe, navali prælio infeliciter pugnaverunt. Asdrubalis quoque eorum ducis castra ad Nefentem oppidum loco difficillimo sita cum exercitu deleta sunt a Scipione, qui tandem urbem expugnavit septingentesimo anno, quam erat condita. spoliorum major pars Siculis, quibus ablata erant, reddita. Ultimo urbis excidio, cum se Asdrubal Scipioni dedidisset, uxor ejus, quæ paucis ante diebus de marito minime impetrare potuerat, ut ad victorem transfugeret, se flagrantis in medium urbis incendium duobus cum liberis ex arce præcipitavit. Scipio exemplo patris ejus Aemylii Pauli, qui Macedoniam vicerat, ludos fecit, transfugas, atque fugitivos bestiis objecit. Belli Achaici semina referuntur hæc, quod legati populi Romani ab Achaicis pulsati sunt. Corinthum missi erant, ut eas civitates, quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico consilio secernerent.

LIBRI LII.

Cum Achæis, qui in auxilium Bœotios, & Chalcidenses habebant: Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit. quibus victis, dux eorum Critolaus veneno sibi mortem conscivit. in cujus locum Dracus Achaici motus primus autor ab Achæis dux creatus, ad Isthmon a L. Mumio consule victus est. qui, omni Achaja in deditionem accepta, Corinthum ex S. C. diruit, quia ibi legati Romanorum violati erant. Thebæ quoque & Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ. Ipse L. Mumius se abstinentissimum virum egit. nec quicquam ex iis opibus ornamentisque, quæ prædives Corinthus habuit, in domum ejus pervenit. Q. Cæcilius Metellus de Andrisco triumphavit, P. Cornelius Africanus Scipio Aemylianus de Carthagine, & Adrusbale. Viriatus primum in Hispania ex pastore venator, & ex venatore latro, mox justi quoque exercitus dux factus, universam Lusitaniam occupavit, M. Vetilium prætorem, fuso ejus exercitu, cepit. post quem C. Plautius prætor nihilo felicius rem gessit, tantumque terrorem is hostis intulit, ut adversus eum consulari opus esset & duce & exercitu. Præterea motus Syriæ, & bella inter reges gesta referuntur. Alexander homo ignotus, & incertæ stirpis, occiso (sicut ante dictum est) Demetrio rege, in Syria regnabat. hunc Demetrius, Demetrii filius, qui a patre quondam ob incertos belli casus ablegatus in Gnidon fuerat, contempta socordia inertiaque ejus, adjuvante Ptolemæo Aegipti rege, cujus filiam Cleopatram acceperat in matrimonium, bello interemit. Ptolemæus in caput graviter vulneratus, inter

cu-

curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, expiravit, atque in locum ejus frater minor Ptolemæus, qui Cyrenis regnabat, successit. Demetrius ob crudelitatem, quam per tormenta in suos exercebat, a Diodoro quodam uno ex subjectis, qui Alexandri filio bimulo admodum regnum asserebat, bello superatus, Seleuciam fugit. L. Mumius de Achæis triumphavit. signa ærea, marmoreaque, & tabulas pictas in triumpho tulit.

LIBRI LIII.

Ap. Claudius cos. Salassos, gentem Alpinam, domuit. Alter Pseudophilippus in Macedonia a L. Tremellio quæstore cum exercitu cæsus est. Q. Cæcilius Metellus proconsul Celtiberos cecidit. a Q. Fabio proconsule pars maxima Lusitaniæ, expugnatis multis urbibus, recepta est. C. Iulius senator Græce res Romanas scripsit.

LIBRI LIV.

Q. Pompejus cos. in Hispania Termestinos subegit. cum eisdem quidem, & Numantinis pacem ob infirmitatem fecit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita CCCCXXVIII. millia, CCCXLII. Cum Macedonum legati conquestum venissent de Iunio Syllano prætore: quod acceptis pecuniis provinciam spoliasset; & senatus de querelis eorum vellet cognoscere, T. Manlius Torquatus, Syllani pater, petiit, impetravitque, ut sibi hujusmodi cognitio mandaretur: & domi causa cognita, filium condemnavit, abdicavitque: ac ne funeri quidem ejus, cum suspendio vitam finisset, interfuit: sedensque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit. Q. Fabius proconsul, rebus in Hispania prospere gestis, labem imposuit, pace cum Viriato æquis conditionibus facta. Viriatus a proditoribus, consilio Servilij Cæpionis interemptus est, & ab exercitu ejus multum imploratus, ac nobilissime tumulatus, vir duxque maximus, per quatuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior.

LIBRI LV.

P. Cornelio Nasica, cui cognomen Serapion fuit ab irridente Auriatio tribuno pleb. impositum, & D. Iunio Bruto coss. delectum habentibus in conspectu tyronum res saluberrimi exempli facta est. nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset: damnatusque sub furca diu virgis cæsus est, & sestertio nummo veniit. Tribuni pl. quia non impetrarunt, ut sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, consules in carcerem

Digitized by Google

mitti jusserunt. Iunius Brutus cos. in Hispania iis, qui sub Viriato militaverant, agros, oppidumque dedit, quod Valentia vocatum est. M. Popilius à Numantinis, cum quibus pacem factam senatus irritam censuerat, cum exercitu fusus fugatusque. C. Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cavea evolaverunt. conscendenti deinde in navim, ut in Hispaniam proficisceretur, accidit audiri, Mane mane Mancine. Mancino auspicia tristia fuisse probatum est. victus enim a Numantinis, & castris exutus, cum spes nulla servandi exercitus esset, pacem cum eis fecit ignominiosam, quam ratam esse senatus vetuit. Triginta millia Romanorum a Numantinorum millibus quatuor victa erant. D. Iunius Lusitaniam urbium expugnationibus usque ad oceanum perdomuit, & cum fluvium Oblivionem transire nollent, raptum signifero signum ipse transtulit. & sic ut transgrederentur persuasit. Alexandri filius, rex Syriæ, decem annos admodum habens, a Diodoro, qui Triphon cognominabatur, tutore suo per fraudem occisus est: corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant illum, occiderunt.

LIBRI LVI.

D. Iunius Brutus in ulteriore Hispania feliciter adversus Gallæcios pugnavit: dissimili eventu M. Aemylius Lepidus proconsul adversus Vacceos rem gessit: cladem que similem Numantinæ passus est. Ad exolvendum Numantini fœderis religione populum Mancinus, cum hujus rei autor fuisset, deditus Numantinis minime est receptus. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita CCCXXIII. millia. Fulvius Flaccus cos. Vardeos in Illyrico subegit. M. Calotius prætor in Thracia cum Scordiscis prospere pugnavit. Cum vitio ductum bellum Numantinum non sine publico pudore duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu, populoque Romano consulatus, quem cum ille capere ob legem, quæ vetabat, quenquam intra decem annos iterum consulem fieri licere, minime vellet: sicuti priori consulatu, legibus solutus est. Bellum servile in Sicilia ortum, cum opprimi a prætoribus minime valuisset, C. Fulvio consuli mandatum est: cujus belli initium fuit Eunus servus, natione Syrus, qui contracta agrestium servorum manu, & solutis ergastulis, justi exercitus numerum implevit. Cleon quoque alter servus ad LXX. milia servorum contraxit, & copiis junctis contra populum Romanum, exercitumque ejus bellum sæpenumero gesserunt.

L I-

LIBRI LVII.

Scipio Africanus Numantiam obsedit: & corruptum licentia, luxuriaque exercitum ad generosissimam militiæ disciplinam revocavit. omnia enim deliciarum instrumenta recidit, duo millia scortorum a castris rejecit, militem omni die in opere habuit, & triginta dierum frumentum, ad septenos vallos ferre cogebat. ægre propter onus incedenti dicebat, cum gladio recte vallare scieris, vallum ferre desinito. Alii nimirum parum habiliter scutum ferenti, eum scutum amplius justo ferre jussit. neque id se reprehendere, quoniam melius scuto, quam gladio uteretur. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, virgis cecidit. Iumenta quidem omnia, ne exoneraret milites, vendidit. multoties contra hostium eruptiones feliciter pugnavit. Vaccei obsessi, liberis & conjugibus trucidatis, ipsi se interemerunt. Scipio amplissima munera sibi ab Antiocho rege Syriæ missa, cum celare aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali accepturum se esse dixit. eaque omnia referre quæstorem in publicas tabulas jussit. ex iis viris fortibus munera se daturum. Cum undique Numantiam obsidione clausisset, & oppressos fame videret urgeri, hostes, qui pabulatum exierant, vetuit interimi, quod diceret, velocius eos absumpturos frumentum, quod haberent, si plures quidem fuissent.

LIBRI LVIII.

Tib. Sempronius Gracchus tribunus plebis cum agrariam legem ferret adversus voluntatem senatus, & equestris ordinis, nequis ex publico agro plus quam decem jugera possideret, in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collegæ causam diversæ partis defendenti potestatem lege lata abrogaret, seque, & fratrem Gracchum, & Ap. Claudium socerum triumviros ad dividundum agrum crearet. Promulgavit & aliam legem agrariam, qua si quis latius agrum patefaceret, ut iidem omnino triumviri judicarent, qua publicus ager, qua privatus esset. Deinde cum minus agri esset, quam quod dividi posset, sine offensa etiam plebis, quoniam eos ad cupiditatem amplam modo sperandi incitaverat, legem se promulgaturum ostendit ob id, ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quæ regis Attali fuisset, divideretur. Hæredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignitatibus commotus graviter senatus, ante omnes C. Antonius cos. qui cum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum, delatusque plebi, rursus in eum pro rostris con-

concionatus est. Cum iterum tribunus plebis creari vellet Gracchus, autore P. Cornelio Nasica in Capitolio a primatibus occisus est, ictus primum fragmentis subselliorum, & inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus est in flumen projectus. Res præterea in Sicilia vario eventu adversum fugitivos gestas continet.

LIBRI LIX.

Numantini fame maxime coacti, ipsi se per vices trucidaverunt. Captam urbem Scipio Africanus delevit, & de ea triumphavit, quarto decimo anno post Carthaginem deletam. P. Attilius. cos. in Sicilia cum fugitivis debellavit. Aristonicus, regis Eumenis filius, Asiam occupavit, cum testamento Attali regis legata Romano libera esse deberet. Adversus eum P. Licinius Crassus cos. cum idem pontifex maximus esset, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, prælio victus, & interemptus est. M. Perpenna cos. victum Aristonicum in deditionem accepit. Q. Pompejus, & Q. Metellus tunc primum uterque ex plebe censores facti. Lustrum a censoribus est conditum. Censa sunt capita CCCXIII. millia, IↃCCCXXIII. præter pupillos & viduas. Q. Metellus censor censuit, ut ducere uxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorum causa. extat oratio ejus, quam Augustus Cæsar, cum de maritandis ordinibus ageret, velut eo tempore scriptam in senatu recitavit. C. Atinius Labeo tribunus pl. Q. Metellum censorem, a quo in senatu legendo præteritus erat, de saxo dejici jussit. quod ne fieret, cæteri tribuni pleb. auxilio quam maxime fuerunt. Cum Carbo tribunus pleb. rogationem tulisset, ut eundem tribunum pleb. quoties quidem vellet, creari liceret; rogationem ejus P. Africanus gravissima oratione dissuasit. in qua dixit, Tib. Gracchũ jure cæsum videri. Gracchus contra suasit rogationem, sed Scipio tenuit. Bella inter Antiochum regem Syriæ & Phraatẽ Parthorum regem gesta, nec magis quietæ res Ægypti referuntur. Ptolemæus Euergetes cognominatus, ob nimiam ejus crudelitatem suis invisus, incensa a populo regia clam in Cyprum profugit. & cum sorori ejus Cleopatræ, quam (filia ejus virgine per vim compressa, & in matrimonium ducta) repudiaverat: regnum a populo datum esset, infensus, filium quem ex illa habebat, in Cypro occidit, caputque ejus, & manus, & pedes matri misit. Seditiones a triumviris Fulvio Flacco, C. Graccho, & C. Carbone de agro dividundo creatis excitatæ. quibus cum P. Scipio Africanus adversaretur, fortisque ac validus pridie domum se recepisset, mortuus in cubiculo inventus est. Suspecta fuit, tanquam venenum ei dedisset

Digitized by Google

dediſſet Sempronia uxor, hinc maxime, quod ſoror eſſet Gracchorum, cum quibus ſimultas Africano fuerat. de morte tamen ejus nulla quæſtio acta. quo defuncto, ſeditiones triumvirales acrius exarſerunt. C. Sempronius cos. contra Iapidas primo rem male geſſit, mox victoria cladem acceptam emendavit, virtute D. Iunii Bruti, ejus qui Luſitaniam ſubegerat.

LIBRI LX.

Aurelius cos. Sardos ſubegit. Fulvius Flaccus primus omnium Transalpinos Ligures bello domuit, miſſus in auxilium Maſſilienſibus adverſus Falanios Gallos, qui populabantur fines Maſſilienſium. L. Opimius prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit. Peſtilentia in Africa a maxima multitudine locuſtarum, & deinde necatarum ſtrage fuiſſe traditur. Luſtrum a cenſoribus conditum eſt. Cenſa ſunt civium capita cccxc. millia, ıↄccccxxv I I. C. Grachus, Tyberii frater, tribunus plebis, eloquentior quam frater, pernicioſas aliquas leges tulit, inter quas frumentariam, ut ſemiſſe & triente frumentum plebi daretur: alteram legem agrariam, quam frater ejus tulerat: tertiam, qua equeſtrem ordinem cum ſenatu conſentientem corruperat (trecenti ſenatores erant, ſexcenti equites) ut trecentis ſenatoribus admiſcerentur, id eſt, ut equeſter ordo bis tantum virium in ſenatu haberet. & continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur, & una in ſolo dirutæ Carthaginis. quo ipſe triumvir creatus coloniam deduxit. Præterea res a Q. Metello conſule adverſus Baleares geſtas continet, quas Græci Gymneſias appellant, quia æſtatem nudi exigant. Baleares a teli miſſu appellati, vel a Baleo Herculis comite ibi relicto tunc, cum Hercules ad Geryonem navigaret. Motus quoque Syriæ referuntur. in quibus Cleopatra Demetrium virum ſuum, & Seleucum filium, multum indignata, quod occiſo patre ejus a ſe, injuſſu ſuo diadema ſumpſiſſet, interemit.

LIBRI LXI.

C. Sextius proconſul victa Salviorum gente, coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam & calidis & frigidis fontibus, atque a nomine ſuo ita appellatas. Cn. Domitius proconſul contra Allobroges ad oppidum Vindalium multum feliciter pugnavit. Quibus bellum inferendi cauſa fuit, quod Teutomalium Salviorum regem fugientem recepiſſent, & omni ope juviſſent, quodque Heduorum agros,

sociorum populi Romani vastavissent. C. Gracchus seditioso tribunatu acto, cum Aventinum armata quoque multitudine occupavisset, a L. Opimio consule, ex S. C. vocato ad arma populo, pulsus interemptus est, & cum eo Fulvius Flaccus socius ejusdem. Q. Fabius Maximus cos. Pauli nepos, adversus Allobroges, & Bituitum Arvernorum regem feliciter pugnavit. Ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum centum viginti. & cum ipse ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albæ custodiendus datus est, quia contra pacem videbatur, ut in Galliam remitteretur. decretum quoque est, ut Congentiatus, filius ejus, comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. L. Opimius accusatus apud populum, a Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem conjecisset, liberatus est.

LIBRI LXII.

Cn. Martius cos. Sarnios gentem alpinam expugnavit. Micipsa Numidarum rex mortuus, regnum tribus filiis reliquit, Adherbali, Hyempsali, & Iugurthæ fratris filio, quem in filium adoptaverat. L. Cæcilius Metellus Dalmatos obsedit. Iugurtha Hiempsalem fratrem bello petiit, quem victum interemit, Adherbalem regno expulit, qui a senatu restitutus est. L. Cæcilius Metellus, Cn. Domitius Ænobarbus censores, duos & triginta senatu amoverunt. Præterea motus Syriæ regum continet.

LIBRI LXIII.

Cato Porcius cos. in Thracia male adversus Scordiscos pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita CCCXCIIII. millia, CCCXXXVI. AEmylia, Licinia, & Martia virgines Vestales incesti damnatæ sunt. idque incestum quemadmodum commissum, deprehensum, & judicatum sit, refertur. Cimbri gens vaga populabundi in Illyricum venerunt. ab iis Papyrius Carbo cos. cum exercitu fusus est. Livius Drusus cos. adversus Scordiscos gentem a Gallis oriundam in Thracia feliciter pugnavit, magnumque honorem tulit.

LIBRI LXIV.

Adherbal bello petitus a Iugurtha, & in oppido Cirta obsessus, contra denuntiationem senatus ab eo occisus est. Ob hoc ipsi Iugurthæ bellum indictum. idque etiam Calpurnius Bestia cos. gerere jussus pacem cum Iugurtha injussu populi & senatus fecit. Iugurtha fide publica evocatus ad indicandum consiliorum autores, quod multos pecunia in senatu corrupisse dicebatur, Romam venit. & propter

cædem

cædem admissam in regulum quendam nomine Massivam, qui regnum ejus populo Romano invisi appetebat, interfectum Romæ cum periclitaretur, causam capitis dicere jussus clam profugit, & discedens urbe fertur dixisse, *O urbem venalem, & cito perituram, si emptorem invenerit.* A. Posthumius legatus infeliciter prælio adversus Iugurtham gesto conflixit, pacemque etiam multum ignominiosam adjecit, quam quidem minime esse servandam senatus censuit.

LIBRI LXV.

Q. Cæcilius Metellus cos. duobus præliis Iugurtham fudit, & universam Numidiam vastavit. M. Iunius Syllanus cos. adversum Cimbros infeliciter pugnavit. legatis Cimbrorum sedem & agros, in quibus considerent, postulantibus senatus negavit. M. Minutius proconsul contra Thracas feliciter quidem pugnavit. L. Cassius cos. a Tigurinis Gallis pago Heluetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. milites qui ex ea clade superaverant, obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.

LIBRI LXVI.

Iugurtha pulsus a C. Mario ex Numidia, auxilio Bocchi Maurorum regis adjutus est. & cæsis prælio Bocchi quoque copiis, nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere, vinctus ab eo, & traditus Mario est. in qua re præcipua opera L. Cornelii Syllæ, quæstoris Marii fuit.

LIBRI LXVII.

Aurelius Scaurus legatus consulis a Cimbris fuso exercitu captus est. & cum in consilium ab iis evocatus deterreret eos, ne alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos vinci minime posse, a Bolo rege feroce iuvene occisus est. Ab iisdem hostibus C. Manlius, & Q. Servilius Cæpio proconsules victi prælio, castrisque binis exuti sunt. octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta millia. Secundum populi Romani jussionem Cæpionis, cujus temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt primoque post regem Tarquinium imperium ei abrogatum. In triumpho C. Marii ductus ante currum ejus Iugurtha cum duobus filiis, & in carcere necatus. Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat, eique propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magistratus est. Consulatu secundo &

Digitized by Google

& tertio absens cos. creatus, quartum consulatum dissimulanter captans consecutus est. Cn. Domitius pontifex maximus populi suffragio creatus est. Cimbri, vastatis omnibus, quæ circa Rhodanum, & Pyreneum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt reversique in Galliam bellicosis quidem se Theutonis conjunxerunt.

LIBRI LXVIII.

Antonius prætor in Sicilia maritimos prædones persecutus est. C. Marius cos. summa vi oppugnata a Teuthonis & Ambronibus castra defendit. duobus deinde prælitis circa Aquas Sextias eos hostes delevit. in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintum cos. creatus est. triumphum oblatum, donec Cimbros vinceret, distulit. Cimbri repulso ab alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces alpium obsederat, & ad flumen Athesium castellum editum insederat, reliqueratque, ubi virtute sua explicata fugientem proconsulem, exercitumque prosecuti in Italiam trajecissent, junctis ejusdem Catuli, & C. Marii exercitibus, prælio victi sunt ab eis, in quo cæsa traduntur hominum centum quadraginta milia, capta sexaginta. Marius totius civitatis consensu receptus pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit. Primores civitatis, qui aliquantulum, ut novo homini, ad tantos honores erecto, inviderant, consecratam ab eo Remp. fatebantur. P. Malleolus, matre interempta, primus omnium insutus culleo in mare præcipitatus est. Ancylia cum strepitu mota esse, antequam Cimbricum bellum consummaretur, referuntur. Bella præterea inter Syriæ reges continet.

LIBRI LXIX.

Cn. Apulejus Saturninus, adjuvante C. Mario, & per milites occiso A. Numio competitore, tribunus plebis per vim creatus non minus violenter tribunatum, quam petierat, gessit. & cum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, eo quod in eam minime jurasset, diem dixit. qui cum a bonis civibus defenderetur, ne causa malorum certaminum esset, in voluntarium exilium Rhodum profectus est, ibique legendo, & audiendis magnis viris vacabat. Profecto, C. Marius, seditionis autor, qui sextum quidem consulatum per tribus sparsa pecunia emerat, aqua & igni interdixit. Idem Apulejus Saturninus tribunus pl. C. Memmium candidatum consulatus

sulatus petitorem, quem maxime adversarium actionibus suis timebat, interemit. quibus rebus concitato quam plurimum senatu in ejus causam, & C. Marius homo mutabilis, & varii consilii, ingeniique, qui semper secundam fortunam transierat, cum eum tueri minime posset, oppressus armis cum Glaucia prætore, & ejusdem furoris sociis bello quodam interfectus est. Q. Cæcilius Metellus ab exilio ingenti totius favore civitatis reductus est. M. Aquilius cos. in Sicilia bellum servile concitatum confecit.

LIBRI LXX.

Cum M. Aquilius de pecuniis repetundis causam diceret, ipse rogare judices noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore ejus discidit, ut honestas cicatrices ostenderet, quibus conspectis, indubitanter absolutus est. Cicero ejus rei solus autor. Didius proconsul adversum Celtiberos feliciter pugnavit. Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomentum Apionis fuit, mortuus hæredem populum Romanum reliquit. & ejus regni civitates senatus liberas esse jussit. Ariobarzanes in regnum Cappadociæ a L. Cornelio Sylla reductus est. Parthorum legati a rege Arsace missi ad Syllam venerunt, ut amicitiam a populo Romano peterent. P. Rutilius, vir summæ innocentiæ, qui legatus C. Marii proconsulis a publicanorum injuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est. C. Geminius prætor contra Thracas infeliciter pugnavit. Senatus cum impotentiam equestris ordinis in judiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur, sustinente causam ejus M. Livio Druso tribuno plebis, qui, ut vires sibi acquireret, perniciosa spe largitionis plebem concitavit. Præterea motus Syriæ regum continet.

LIBRI LXXI.

M. Livius Drusus tribunus pl. ut majoribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios, & Italicos populos, spe civitatis Romanæ solicitavit, iisque adjuvantibus per vim legibus agrariis, frumentariisque latis legem quoque judicialem tulit, ut æqua parte judicia penes senatum, & equestrem ordinem essent. Cum deinde promissa sociis civitas præstari non posset, irati Italici defectionem cœperunt agitare. eorum coitus, conjurationes, orationesque in conciliis principum referuntur. propter quæ Livius Drusus etiam senatui invisus factus, velut socialis belli autor, incertum a quo domi occisus est.

Digitized by Google

LIBRI LXXII.

Italici populi defecerunt, Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites, initio belli a Picentibus moto. Q. Servilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus civibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est, saga populus sumpsit. Servius Galba a Lucanis comprehensus, unius fœminæ opera, ad quam divertebatur, captivitate exemptus est. Esernia, & Alba coloniæ ab Italicis obsessæ sunt. Auxilia demum Latini nominis, externarumque gentium missa populo Romano, & expeditiones invicem, urbiumque expugnationes referuntur.

LIBRI LXXIII.

L. Cæsar cos. male adversus Samnites pugnavit. Nola colonia in potestatem Samnitium cum L. Posthumio prætore venit, qui interemptus est. Complures populi ad hostes defecerunt. Cum P. Rutilius cos. parum prospere contra Marsos pugnasset, & in prælio cecidisset, C. Marius legatus ejus meliore quidem eventu cum hostibus conflixit. Ser. Sulpitius Pelignos fudit. Q. Cepio legatus Rutilii cum obsessus prospere in hostes erupisset, & ob eum successum æquatum ei cum C. Mario esset imperium, temerarius factus, & circumventus insidiis, fuso exercitu, cecidit. L. Cæsar cos. feliciter contra Samnites pugnavit. ob eam victoriam Romæ saga posita sunt. & ut varia belli fortuna esset, Esernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. Sed & C. Marius prælio Marsos fudit, Hirmio Asinio prætore Marrucinorum occiso. C. Cæcilius in Gallia transalpina Salvios rebellantes vicit.

LIBRI LXXIV.

Cn. Pompejus Picentes prælio fudit, & obsedit. propter quam victoriam Romæ prætextæ, aliaque magistratuum ornamenta insignia sumpta sunt. C. Marius cum Marsis dubio eventu pugnavit. Libertini tum primum militare cœperunt. Aurelius Plotius legatus Umbros, L. Porcius prætor Marsos, cum uterque populus defecisset, prælio vicerunt. Nicomedes in Bithyniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ, regna reducti sunt. Cn. Pompejus cos. Marsos acie vicit. Cum ære alieno oppressa esset civitas, A. Sempronius Asellus prætor, quoniam secundum debitores jus dicebat, ab iis, qui fœnerabantur, in foro occisus est. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam, populationesque continet.

Digitized by Google

LIBRI LXXV.

A. Posthumius Albinus legatus in obsidione castrorum Hostilium cecidit. Sulpitius legatus, cum classi praeesset, infamis crimine proditionis ab exercitu suo interfectus. L. Cornelius Sylla legatus Samnites prælio vicit, & bina castra eorum expugnavit. Cn. Pompejus Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius cos. rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. Ea res hostibus victoriam ejus prælii dedit. Cosconius, & Lucejus Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem, occiderunt, compluraque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sylla Hirpinos domuit, Samnites multis præliis fudit, aliquot populos recepit: quantisque raro quisquam ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus.

LIBRI LXXVI.

A gabinus legatus, rebus adversum Lucanos prospere gestis, multis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpitius legatus Marrucinos cecidit, universamque eam regionem recepit. Cn. Pompejus proconsul Vestinos & Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque a L. Muræna, & Cæcilio Pinna legatis aliquot præliis fracti pacem petierunt. Asculum a Cn. Pompejo captum est, cæsis a Mamerco Aemylio legato Italicis. Silo Popedius, dux Marsorum, autor hujus rei in prælio cecidit. Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ regno a Mithridate Ponti rege pulsi sunt. Præterea incursiones Thracum in Macedoniam continet.

LIBRI LXXVII.

Cum P. Sulpitius tribunus plebis, autore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, ut exules revocarentur, & novi cives, libertinique distribuerentur in tribus, & ut Marius adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur, & adversantibus coss. Q. Pompejo, & L. Syllæ vim intulisset, occisoque Pompeji consulis filio, genero Syllæ, L. Sylla cos. cum exercitu in urbem venit, & adversus factionem Sulpitii, & Marii in ipsa urbe pugnavit, eamque expulit. ex quo duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater, & filius judicati sunt. P. Sulpitius cum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus, & occisus est. servus, ut præmium promissi indicii haberet, manumissus est, & ob scelus domini proditi de saxo dejectus est. C. Marius filius in Africam trajecit. C. Marius pater, cum in paludibus Mintur-

Digitized by Google

Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis. & cum ad occidendum cum missus servus natione Gallus majestate tanti viri perterritus recessisset, impositus publice in navim delatus est in Africam. L. Sylla civitatis statum ordinavit, exinde colonias deduxit. Q. Pompejus cos. ad capiendum a Cn. Pompejo proconsule exercitum profectus, consilio ejus occisus est. Mithridates Ponti rex Bithynia & Cappadocia occupatis, & pulso Aquilio legato, Phrygiam provinciam populi Romani cum ingenti exercitu intravit.

LIBRI LXXVIII.

Mithridates Asiam occupavit, Q. Oppium proconsulem, item Aquilium legatum in vincula conjecit, jussuque ejus quicquid civium Romanorum in Asia fuit, uno die trucidatum est. urbem Rhodum, quæ sola in fide permanserant, oppugnavit: & aliquot præliis navalibus victus recessit. Archelaus præfectus regis in Græciam cum exercitu venit, Athenas occupavit. Præterea trepidationem urbium, insularumque, aliis ad Mithridatem, aliis ad populum Romanum civitates suas trahentibus, continet.

LIBRI LXXIX.

Cornelius Cinna cum perniciosas leges per vim ferret, pulsus urbe a Cn. Octavio collega cum Sextio tribuno plebis, imperioque ei abrogato, corruptum Ap. Claudii exercitum in potestatem suam redegit, & bellum urbi intulit, accersito C. Mario cum aliis exulibus ex Africa. in quo bello duo fratres, alter ex Pompeji exercitu, alter ex Cinnæ, ignorantes concurrerunt, & cum victor mortuum spoliaret, agnito fratre ingenti lamentatione edita, rogo ei extructo ipse supra rogum se transfodit, & eodem igni consumptus est. Et cum opprimi inter initia potuisset, Cn. Pompeji fraude, qui utranque partem fovendo, vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, & consulis segnitie, confirmati Cinna & Marius quatuor exercitibus, quorum duo Q. Sertorio, & Carboni dati sunt, urbem circumsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnavit, & crudeliter diripuit.

LIBRI LXXX.

Italicis populis a senatu civitas data est. Samnites, qui soli arma recipiebant, Cinnæ & Mario se conjunxerunt. ab iis Plancius cum exercitu cæsus est. Cinna & Marius cum Carbone & Sertorio Ianiculum occupaverunt, & fugati ab Octavio consule recesserunt.

Marius

Digitized by Google

Marius Antium quidem, & Ariciam, & Lavinium colonias devastavit. Cum nulla omnino spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem, & perfidiam, & ducum, & militum, qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diversas partes transibant, Cinna & Marius in urbem recepti sunt, qui velut captam eam cædibus & rapinis vastarunt. Cn. Octavio consule occiso, & omnibus adversæ partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, & C. Cæsare, quorum capita in rostris posita. Crassus filius ab equitibus Fimbriæ interemptus. pater Crassus, nequid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit. Et citra ulla comitia consules in sequentem annum seipsos renuntiaverunt. eodem die, quo magistratum inierant, Marius Sex. Licinium senatorem de saxo dejici jussit, editisque multis sceleribus Idibus Ianuariis decessit, vir, cujus si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. adeo quam rempublicam armatus servavit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis evertit.

LIBRI LXXXI.

Lucius Sylla Athenas, quas Archelaus præfectus Mithridatis occuparat, circumsedit, & cum maximo labore expugnavit, urbi libertatem, & civibus, quæ habuerant, reddidit. Magnesia, quæ sola in Asia civitas in fide manserat, summa virtute adversus Mithridatem defensa est. Præterea a Thracibus in Macedonia gesta continet.

LIBRI LXXXII.

Sylla copias regis, quæ Macedonia occupata in Thessaliam venerant, prælio vicit, cæsis hostium centum millibus, castris quoque expugnatis. renovato deinde bello, iterum exercitum ejus fudit, ac delevit. Archelaus cum classe regia Syllæ se tradidit. L. Valerius Flaccus cos. collega Cinnæ missus, ut Syllæ succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo, a C. Fimbria legato ipsius, ultimæ audaciæ homine, occisus est, & imperium ad Fimbriam translatum. Præterea expugnatæ in Asia urbes a Mithridate, & crudeliter direpta provincia, incursionesque Thracum in Macedoniam referuntur.

LIBRI LXXXIII.

C. Fimbria in Asia, fusis aliquot copiis Mithridatis, urbem Pergamum cepit, obsessumque regem non abfuit multum quin caperet: urbem Ilion, quæ se potestati Syllæ reservabat, expugnavit, ac delevit, & magnam partem Asiæ recepit. Sylla multis præliis Thracas cecidit.

cecidit. Cum L. Cinna, & Cn. Papyrius Carbo a se ipsis consules per biennium creati, bellum contra Syllam pararent, effectum quidem est per L. Valerium Flaccum principem senatus, qui orationem in senatu habuit, & per eos, qui concordiæ studebant, ut legati ad Syllam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu suo, quem invitum cogebat naves conscendere, & adversus Syllam proficisci, interemptus est. consulatum Carbo solus gessit. Sylla cum in Asiam trajecisset, pacem cum Mithridate fecit, ita, ut his cederet provinciis, Asia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria desertus ab exercitu, qui ad Syllam transierat, ipse se percussit, impetravitque a servo præbens cervicem, ut eum omnino interficeret.

LIBRI LXXXIV.

Sylla legatis, qui a senatu missi erant, futurum se in potestate senatus respondit, si cives, qui a Cinna pulsi ad se confugerant, restituerentur. quæ conditio, cum justa senatui videretur, per Carbonem, factionemque ejus, cui bellum videbatur utilius, ne conveniret, effectum est. Idem Carbo, cum ab omnibus oppidis Italiæ obsides exigere vellet, ut fidem illorum contra Syllam obligaret, consensu senatus prohibitus. Novis civibus S. C. suffragium datum est. Q. Metellus Pius, qui partes optimatium sequutus erat, cum in Africa bellum moliretur, a C. Fabio prætore pulsus est, senatusque consultum per factionem Carbonis, & Marianarum partium factum est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque & triginta tribus distributi sunt. Præterea belli apparatum contra Syllam, quod plurimum excitabatur, continet.

LIBRI LXXXV.

Sylla in Italiam cum exercitu trajecit: missisque legatis, qui de pace agerent, & a consule Cn. Carbone, & C. Norbano violatus eundem Norbanum prælio vicit. Et cum L. Scipionis alterius consulis, cum quo per omnia id egerat, ut pacem jungeret, nec potuerat, castra oppugnaturus esset, universus exercitus consulis solicitatus per emissos a Sylla milites signa ad Syllam transtulit, Scipio, cum interimi posset, dimissus est. Cn. Pompejus, Cn. F. ejus, qui Asculum ceperat, conscripto quidem voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Syllam venerat, ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita ut deserta urbe ad castra veniretur. Præterea expeditiones per universam Italiam utriusque partis ducum referuntur.

L I-

LIBRI LXXXVI.

Cum C. Marius, C. Marii filius cos. ante annos viginti per vim creatus esset, C. Fabius in Africa propter crudelitatem & avaritiam in prætorio suo vivus exustus est. L. Philippus legatus Syllæ Sardiniam, Q. Antonio prætore pulso & occiso, occupavit. Sylla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis, velut erepturus civitatem, & suffragii jus nuper datum, fœdus percussit. itemque ex fiducia jam certæ victoriæ litigatores, a quibus adhibebantur vadimonia, Romam deferre jussit. Cum a parte diversa urbs adhuc teneretur, L. Damasippus prætor ex voluntate C. Marii consulis, cum senatum contraxisset, omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem trucidavit. ex cujus quidem numero Q. Mutius Scævola pontifex maximus fugiens in vestibulo ædis Vestæ occisus est. Præterea bellum a L. Muræna adversus Mithridatem in Asia renovatum continet.

LIBRI LXXXVII.

Sylla C. Marium, exercitu ejus fuso deletoque ad Sacriportum, in oppido Præneste obsedit, urbem Romam ex inimicorum manibus recepit. Marium erumpere tentantem repulit. Præterea res a legatis ejus eadem ubique fortuna partium gestas continet.

LIBRI LXXXVIII.

Sylla Carbonem, exercitu ejus ad Clusium, ad Faventiam, Fidentiamque cæso, Italia expulit, cum Samnitibus, qui soli Italicorum populorum nondum arma deposuerant, juxta urbem Romam ante portam Collinam debellavit, Recuperataque Republ. pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo homine unquam fuit, inquinavit. Octo millia deditorum in via publica trucidavit, tabulam proscriptionis posuit, urbem & universam Italiam cædibus replevit. inter quos omnes Prænestinos inermes interimi jussit. Marium senatorii ordinis virum, cruribus brachiisque fractis, auribus præsectis, & effossis oculis, necavit. C. Marius Præneste obsessus a Lucretio Asella, Syllanarum partium viro, cum per cuniculum captaret evadere, septus ab exercitu mortem sibi conscivit in ipso cuniculo, cum sentiret se evadere minime posse: cum Pontio Telesino fugæ comite stricto utrimque gladio concurrit. quem cum occidisset, saucius a servo impetravit, ut se occideret.

Digitized by Google

LIBRI LXXXIX.

L. Brutus a Cn. Papyrio Carbone, qui Corcyram appulerat, missus nave piscatoria Lilybæum, ut exploraret, an ibi Pompejus esset, & circumventus a navibus, quas Pompejus miserat, in se mucrone verso ad transtrum navis obnixus corporis pondere occubuit. Cn. Pompejus in Siciliam cum imperio a senatu missus Cn. Carbonem, qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit. Sylla dictator factus, quod nemo quidem unquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit, rebusque novis Reip. statum confirmavit. Trib. pl. potestatem minuit, & omne jus legum ferendarum ademit, pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim: senatum ex equestri ordine supplevit, proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit, & bona eorum vendidit. ex quibus primo multa rapuit, redactum est sestertium ter millies quingentiesque. Lucretium Asellam consulatum contra voluntatem suam petere ausum jussit interimi in foro, & cum indigne ferret populus Rom. concione vocata se jussisse dixit. Cn. Pompejus in Africa Cn. Domitium proscriptum, & Hieram regem Numidarum bellum molientes, victos interemit, & IIII. & XX. annos natus adhuc eques Rom. quod quidem nemini contigerat, ex Africa triumphavit. Cn. Norbanus consularis proscriptus in urbe Rhodo, cum comprehenderetur, se ipse interemit. Metellus ex proscriptis unus clam capite adoperto ad posticum ædis Bastiæ uxoris cum accessisset, admissus minime est, quia illum proscriptum diceret. itaque se transfodit, & sanguine suo fores respersit. Sylla Nolam in Samnio recepit XLVII. legiones in agros captos deduxit, & eos iis divisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum in deditionem accepit. Mitylenæ quoque in Asia, quæ sola urbs post victum Mithridatem arma retinebat, expugnatæ dirutæque sunt.

LIBRI XC.

Sylla decessit, honosque ei a senatu habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. M. Lepidus, cum acta Syllæ tentaret rescindere, bellum excitavit, & a Q. Catulo collega Italia pulsus est, & in Sardinia frustra bellum molitus periit. M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam tenebat, a Cn. Pompejo occisus est. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit. L. Manlius proconsul, & M. Antonius legatus ab Herculeio quæstore prælio victi sunt. Præterea a P. Servilio proconsule adversus Cilicas res gestas continet.

L I-

Digitized by Google

LIBRI XCI.

Cn. Pompejus, cum adhuc quæstor esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus præliis vicit. Q. Metellus proconsul L. Hirtuleium quæstorem Sertorii omni cum exercitu cecidit.

LIBRI XCII.

Cn. Pompejus adhuc dubio eventu cum Sertorio pugnavit, ita, ut singula ex utraque parte cornua vicerint. Q. Sertorius Metellum & Perpennam duobus exercitibus prælio fudit, cujus victoriæ partem cupiens auferre Pompejus parum prospere pugnavit. obsessus deinde Calagurii Sertorius assiduis eruptionibus non leviora damna obsidentibus tulit. Præterea a Curione proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos, & Q. Sertorii multa crudelia in suos facta continet. qui plurimos amicorum, & secum proscriptorum crimine proditionis insimulatos interemit.

LIBRI XCIII.

P. Servilius proconsul in Cilicia Isauros domuit, & aliquot urbes piratarum expugnavit. Nicomedes Bithyniæ rex moriens populum Romanum fecit hæredem, regnúmque ejus in provinciæ formam redactum est. Mithridates, fœdere cum Sertorio icto, bellum populo Romano intulit. Apparatus deinde regiarum copiarum pedestrium navaliumque, & occupata Bithynia. M. Aurelius Cotta cos. ad Chalcedonem prælio a rege victus est, rexque a Pompejo & Metello victus. & ut contra Sertorium egerunt, qui omnibus belli militiæque artibus par fuit. quos etiam ab obsidione Calagurii oppidi depulsos coegit diversas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompejum Galliam.

LIBRI XCIV.

L. Lucullus cos. adversus Mithridatem equestribus præliis feliciter pugnavit, & expeditiones aliquot prosperas fecit, poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit. Dejotarus Gallogræciæ tetrarches præfectos Mithridatis bellum in Phrygia moventes cecidit. Præterea res a Pompejo in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.

LIBRI XCV.

C. Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit. Quatuor & septuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Lentuli profugerunt, & con-

Digitized by Google

gregata servorum & ergastulorum multitudine, Chryso & Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum, & P. Varenum pratorem prælio vicerunt. L. Lucullus proconsul ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit, pulsumque a Bithynia regem variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coegit in Pontum profugere.

LIBRI XCVI.

Q. Arius prætor Chrysum, fugitivorum ducem, cum viginti millibus hominum cecidit. C. Lentulus cos. male adversus Spartacum pugnavit. Ab eodem L. Gellius, & Q. Arius prætor acie victi sunt. Sertorius a M. Antonio, & M. Perpenna, & aliis conjuratis in convivio interfectus est, octavo ducatus sui anno, magnus dux, & adversus duos imperatores, Pompejum & Metellum, sæpe par, ut frequentius victor, ad ultimum desertus & proditus. Imperium partium ad Marium tralatum est. quem Cn. Pompejus victum, captumque interemit, ac recepit Hispanias decimo fere anno, quam cœptum erat bellum. C. Cassius proconsul. Cn. Manlius prætor male adversus Spartacum pugnaverunt, idque bellum M. Crasso prætori mandatum est.

LIBRI XCVII.

M. Crassus prætor primum cum parte fugitivorum, quæ ex Gallis, Germanisque constabat, feliciter pugnavit, cæsis inimicorum xxxv. millibus, & duce eorum Granico. Cum Spartaco dein debellavit, cæsis cum ipso millibus quadraginta. M. Antonius prætor bellum adversus Cretenses parum prospere gestum morte sua finivit. M. Lucullus proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnavit, cæsis hostium amplius quam sexaginta millibus. M. Crassus, & Cn. Pompejus coss. facti sunt. * sicut Pompejus, antequam quæsturam gereret, ex equite Romano. tribunitiam potestatem restituerunt. Iudicia quoque per M. Aurelium Cottam prætorem ad equites Rom. translata sunt. Mithridates desperatione rerum suarum coactus ad Triganem Armeniæ regem confugit.

LIBRI XCVIII.

Machares filius Mithridatis, Bospori rex, a L. Lucullo in amicitiam receptus est. C. Lentulus, & L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quatuor & sexaginta senatu motis, a quibus lustrum conditum est. Censa sunt civium capita CCCCL. millia. L. Metellus

præ-

prætor in Cilicia adversum piratas prospere rem gessit. Templum Iovis in Capitolio, quod incendio consumptum erat, refectum a Q. Catulo dedicatum est. L. Lucullus in Armenia Mithridatem, & Tigranem, & immensas utriusque regis copias multis certaminibus fudit. Q. Metellus proconsul, bello sibi adversum Cretenses mandato, Cydoniam urbem obsedit. C. Triarius legatus Luculli adversus Mithridatem parum prospere pugnavit. Lucullum ne persequeretur Mithridatem ac Tygranem, summamque victoriæ imponeret, seditio militum tenuit, qui sequi nolebant, quia legiones Valerianæ, impleta a se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt.

LIBRI XCIX.

Q. Metellus proconsul Gnoson, & Lyctum, & Cydoniam, & alias plurimas civitates expugnavit. L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Rom. in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur. Cn. Pompejus lege ad populum lata persequi piratas jussus, qui commercium annonæ intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit, belloque cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis, agros & urbes dedit. Præterea res a Q. Metello adversus Cretenses continet, & epistolas Metelli, & Cn. Pompeji invicem missas. queritur Metellus gloriam rerum a se gestarum a Pompejo sublatam præteriri, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Pompejus Romæ rationem reddit, hoc se facere debuisse.

LIBRI C.

C. Manlius tribunus plebis indignatione maxima nobilitatis legem tulit, ut Pompejo bellum Mithridaticum mandaretur. Concio ejus bona. Q. Metellus domitis Cretensibus, liberæ in id tempus insulæ leges tulit. Cn. Pompejus ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit, equestri prælio Mithridatem vicit. Præterea bellum inter Phraatem regem Parthorum, & Triganem Armeniorum regem, ac demum inter filium Triganem, patremque gestum continet.

LIBRI CI.

Cn. Pompejus Mithridatem nocturno prælio victum coegit Bosporon profugere, Tigranem in deditionem accepit, eique ademtis Syria, Phœnicia, & Cilicia, regnum Armeniæ restituit. Conjuratio eorum, qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta de interficien-

ficiendis coss. oppressa est. Cn. Pompejus, cum Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotasque gentes penetravit, Iberos, Albanos, qui transitum minime dabant, prælio vicit. Præterea fugam Mithridatis per Colchos, Heniochosque, & res ab eo in Bosporo gestas continet.

LIBRI CII.

Cn. Pompejus in provinciæ formam Pontum redegit. Pharnaces filius Mithridatis bellum patri intulit. ab eo Mithridates obsessus in regia, cum veneno sumpto parum profecisset ad mortem, a milite Gallo, nomine Bithoco, a quo ut juvaretur petierat, interfectus est. Cn. Pompejus Iudæos subegit. fanum eorum Hierosolyma inviolatum ante id tempus cepit. L. Catilina bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo prætore & Cethego & pluribus conjuravit, de cæde consulum & senatus, incendiis urbis, opprimenda republica, exercitu quoque in Hetruria comparato. Ea conjuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est. Catilina urbe pulso, de reliquis conjuratis omnino sumptum supplicium est.

LIBRI CIII.

Catilina a C. Antonio proconsule cum exercitu cæsus est. P. Clodius accusatus, quod in mulieris habitu sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset: cumque uxorem Metelli pontificis stupravisset, absolutus. est. Cn. Potitius prætor Allobroges, qui rebellaverant, ad Solonem domuit. P. Clodius ad plebem transiit. C. Cæsar Lusitanos subegit. eoque consulatus candidato, & captante rempublicam invadere, conspiratio inter tres principes civitatis facta est, Cn. Pompejum, M. Crassum, & C. Cæsarem. Leges Agrariæ a Cæsare consule cum maxima contentione, invito senatu & altero consule M. Bibulo, latæ sunt. C. Antonius proconsul in Thracia parum prospere rem gessit. M. Cicero lege a P. Clodio tribuno plebis lata, quia indemnatos cives necavisset, in exilium missus est. Cæsar in provinciam Galliam profectus, Helvetios, gentem vagam, domuit, quæ sedem quærens per provinciam Cæsaris Narbonem iter facere volebat. Præterea situm Galliarum continet. Pompejus de liberis Mithridatis, Tigrane & Tigranis filio, triumphavit, Magnusque a tota concione consalutatus est.

L I-

Digitized by Google

LIBRI CIV.

Prima pars libri situm Germaniæ, moresque, continet. C. Cæsar contra Germanos, qui Ariovisto duce in Galliam descenderant, cum exercitum duceret, rogatus ab Heduis, & Sequanis, quorum ager possidebatur, trepidationem militum propter metum novorum hostium ortam allocutione exercitus inhibuit, & victos prælio Germanos Gallia omni expulit. M. Cicero, Pompejo inter alios orante, & T. Annio Milone tribuno pl. ingenti gaudio senatus ac universæ Italiæ ab exilio reductus est. Cn. Pompejo per quinquennium annonæ cura mandata est. Cæsar Ambianos, Suessiones, Viromanduos, Atrebates, Belgarum populos, quorum quidem maxima multitudo erat, prælio victos in deditionem accepit, ac deinde contra Nervios unam harum civitatum cum maximo descrimine pugnavit, eamque gentem delevit, quæ bellum gessit, donec ex sexaginta millibus armatorum trecenti superessent, ex nonaginta quinque senatoribus tres tantummodo evaderent. Lege lata de redigenda in provinciæ formam Cypro, & publicanda pecunia regia, M. Catoni administratio ejusdem rei mandata est. Ptolemæus Ægypti rex ob injurias, quas patiebantur, a suis regno pulsus Romam venit. C. Cæsar, gentem oceano junctam, Venetos navali prælio vicit. Præterea a legatis ejus eadem fortuna res gestas continet.

LIBRI CV.

Cum M. Catonis tribuni plebis intercessionibus comitia tollerentur, senatus vestem mutavit. M. Cato in petitione præturæ, prælato Vatinio, repulsam tulit. idem, cum legem impediret, qua provinciæ consulares in quinquennium, Pompejo Hispaniæ, Crasso Syria & Parthicum bellum, Cæsari Gallia & Germania dabantur, a C. Trebonio tribuno plebis legis autore in vincula ductus est. A. Gabinius proconsul Ptolemæum in regnum reduxit Ægypti, rejecto Archelao, quem sibi regem asciverant. Cæsar, victis Germanis, & in Gallia cæsis, Rhenum transcendit, proximam partem Germaniæ domuit, ac deinde oceano in Britanniam parum prospere tempestatibus adversis trajecit, iterumque parum felicius, maximaque hominum multitudine cæsa, reliquam partem insulæ in potestatem redegit.

Digitized by Google

LIBRI CVI.

Julia Cæsaris filia, Pompeji uxor decessit, honosque maximus ei à Populo habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. Gallorum multi populi, Ambiorige duce Eburonum, defecerunt: a quibus Cotta, & T. Aurunculejus legati Cæsaris insidiis circumventi, cùm exercitu, cui præerant, cæsi sunt. & cum aliarum quoque legionum castra oppugnata maximo labore defensa essent, interque eos, qui in Treviris præerat, Q. Cicero, ab ipso Cæsare hostes prælio fusi sunt. M. Crassus bellum Parthis illaturus Euphratem fluvium transiit; victusque prælio, in quo & filius ejus cecidit, cum reliquias exercitus in collem recepisset, evocatus in colloquium ab hostibus, ut de pace acturus, quorum dux erat Surenas, comprehensus, & nequid vivus pateretur, repugnans interemtus est, & ita periit.

LIBRI CVII.

C. Cæsar, Treviris in Gallia victis, iterum in Germaniam transit, nulloque ibi invento hoste, reversus in Galliam Eburones, & alias civitates, quæ conspiraverant, vicit, & regem Ambiorigem in fuga persecutus. P. Clodii a T. Annio Milone, candidato consulatus Appia via ad Bovillas occisi corpus plebs in curia cremavit. Cum seditiones inter candidatos consulatus, Hypsæum, Scipionem, & Milonem essent, qui armis ac vi contendebant, ad comprimendas eas Cn. Pompejus legatus a senatu consul tertium factus est absens, & solus, quod nemini unquam contigit. Quæstione decreta de morte P. Clodii, Milo judicio damnatus in exilium actus est. Lex dicta est, ut ratio absentis Cæsaris in petitione consulatus haberetur, & contradicente M. Catone. Præterea res gestas a C. Cæsare adversum Gallos, qui prope universi Vercingentorige Arverno duce, defecerunt, & laboriosas obsidiones urbium continet, inter quas Avarici Biturigum, Gergoviæ Arvernorum.

LIBRI CVIII.

C. Cæsar Gallos ad Alexiam vicit, omnesque Galliæ civitates, quæ in armis fuerant, in deditionem accepit. C. Cassius quæstor M. Crassi Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit. In petitione consulatus M. Cato repulsam tulit, creatis coss. Ser. Sulpitio, & M. Marcello. C. Cæsar Bellovacos cum aliis Gallorum populis domuit. Præterea contentiones inter coss. de successore C. Cæsari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Cæsar ad petitionem

Digitized by Google

tionem consulatus veniret, cum is, lege lata in id tempus consulatus, provincias obtinere deberet, resque a M. Bibulo gestas in Syria continet.

LIBRI CIX.

Causæ civilium armorum, & initia referuntur, contentionesque de successore C. Cæsari mittendo, cum se dimissurum exercitum negaret, nisi a Pompejo dimitteretur. & C. Curionis tribuni plebis primum adversus Cæsarem actiones continet. Cum S. C. factum esset, ut successor Cæsari omnino mitteretur, M. Antonio, & Q. Cassio tribunis plebis, quoniam intercessionibus id S. C. impediebant, urbe pulsis, mandatum a senatu consulibus, & Cn. Pompejo, ut viderent, ne quid Resp. ditrimenti caperet. C. Cæsar bello inimicos persecutus cum exercitu in Italiam venit, Corfinium cum L. Domitio, & L. Lentulo cepit, eosque dimisit, Cn. Pompejum, universosque ejus partium Italia omnino expulit.

LIBRI CX.

C. Cæsar Massiliam, quæ portas ipsi clauserat, obsedit, & relictis in obsidione C. Trebonio, & D. Bruto, profectus in Hispaniam L. Afranium, & C. Petrejum legatos Cn. Pompeji cum septem legionibus ad Ilerdam in deditionem accepit, omnesque incolumes dimisit, Varrone quoque legato Pompeji cum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis civitatem dedit. Massilienses duobus navalibus præliis victi, post longam obsidionem in potestatem Cæsaris se permiserunt. C. Antonius legatus Cæsaris male contra Pompejanos pugnavit, & in Illyrico captus est: in quo bello Opitergini transpadani Cæsaris auxiliares rate sua ab hostilibus navibus clausa potius quam in potestatem inimicorum venirent, inter se concurrentes occubuerunt. C. Curio legatus Cæsaris in Africa, cum adversus Pompejanarum partium ducem Varronem pugnasset, a Iuba rege Mauritaniæ cum exercitu cæsus est. C. Cæsar in Græciam trajecit.

LIBRI CXI.

C. Cæcilius Rufus prætor cum seditiones in urbe quam maxime concitaret, novarum tabularum spe plebe solicitata, abrogato magistratu, pulsus urbe Miloni exuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se conjunxit, uterque, cum bellum molirentur, interempti sunt. Cleopatra Ægypti regina a Ptolemæo fratre regno pulsa est. Propter Q. Catuli prætoris avaritiam crudelitatemque Cordubenses in

Hispania cum duabus Varianis legionibus a partibus Cæsaris desciverunt. Cn. Pompejus ad Brundisium obsessus a Cæsare, & præsidiis ejus cum magna clade diversæ partis expugnatis obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam acie victus est. Cicero in castris remansit, vir nihil minus, quam ad bella natus. omnibusque adversarum partium, qui se potestati victoris permiserunt, Cæsar ignovit.

LIBRI CXII.

Trepidatio victarum partium per diversas orbis terrarum partes, & fuga referuntur. Cn. Pompejus, cum Ægyptum petisset, jussu Ptolemæi regis pupilli, autore Theodoro præceptore, cujus apud regem maxima erat autoritas, & Photino, occisus est ab Achilla, cui delegatum id facinus erat in navicula, antequam in terram exiret. Cornelia uxor, & Sex. Pompejus filius in Cyprum refugerunt. Cæsar post tertium diem insecutus, cum ei Theodorus caput Pompeji, & annulum obtulisset, infensus est, & illacrymavit, sine periculo Alexandriam tumultuantem intravit. Cæsar dictator creatus Cleopatram in regnum Ægypti reduxit, & inferentem bellum iisdem autoribus Ptolemæum, quibus Pompejum interfecerat, cum maximo suo discrimine vicit. Ptolemæus, dum fugit, in Nilo navicula subsedit. Præterea laboriosum M. Catonis in Africa per deserta cum legionibus iter, & bellum a Cn. Domitio contra Phraatem Parthum prospere gestum continet.

LIBRI CXIII.

Confirmatis in Africa Pompejanis partibus, earum imperium P. Scipioni delatum est, Catone, cui ex æquo deferebatur imperium, cedente. Et cum de diruenda urbe Vtica propter favorem civitatis ejus in Cæsarem deliberaretur, idque, ne fieret, M. Cato tenuisset; Iuba suadente, ut dirueretur, tutela ejus, & custodia mandata est Catoni. Pompeji Magni filius in Hispania contractis viribus, quarum ducatum nec Afranius, nec Petrejus excipere volebant, bellum adversus Cæsarem renovavit. Pharnaces Mithridatis filius, rex Ponti sine *ulla* belli mora victus est. Cum seditiones Romæ a P. Dolabella tribuno pl. legem ferente de novis tabulis excitatæ essent, & ex ea causa plebs tumultuaretur, inductis a M. Antonio magistro equitum in urbem militibus octingenti e plebe cæsi sunt. Cæsar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit. & cum in Africam trajecisset, contra copias Jubæ regis cum discrimine maximo pugnavit.

LIBRI

LIBRI CXIV.

Bellum in Syria Cæcilius Bassus eques Romanus Pompejanarum partium excitavit, & relicto a legione Sexto Cæsare, quæ ad Bassum transierat, occisoque eo Cæsar Scipionem prætorem, Afranium, Iubamque vicit ad Tapsum, castris eorum expugnatis. Cato audita re, cum se percussisset Vticæ, & interveniente filio curaretur, inter ipsam curationem rescisso vulnere expiravit, anno ætatis quadragesimo nono. Petrejus Iubam, seque interemit. P. Scipio in nave circumventus honestæ morti vocem quoque adjecit. quærentibus enim hostibus imperatorem, dixit, *imperator bene se habet.* Faustus & Afranius occisi, Catonis filio venia data. Brutus legatus Cæsaris in Gallia Bellovacos rebellantes vicit.

LIBRI CXV.

Cæsar quatuor triumphos duxit, ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, & Africa. epulum, & omnis generis spectacula edidit. M. Marcello consulari, senatu rogante, concessit reditum. qui Marcellus beneficio ejus frui minime potuit, a P. Magio Chilone cliente suo Athenis occisus. Et censum egit, quo censa sunt civium capita centum quinquaginta millia. Profectus in Hispaniam contra Sex. Pompejum, utrinque multis expeditionibus factis, & aliquot urbibus expugnatis, summam victoriam cum maximo discrimine ad Mundam urbem consecutus est. Pompejus Sextus effugit.

LIBRI CXVI.

C. Cæsar ex Hispania quintum triumphum egit. & cum multi, quam maximique honores ei a senatu decreti essent, inter quos, ut pater patriæ appellaretur, & sacro sanctus, ac dictator in perpetuum esset, invidiæ causam adversus eum præstitere, quod senatui deferenti hos honores, cum ante ædem Veneris genetricis sederet, minime assurrexit, & quod M. Antonio consule collega suo inter Lupercos currente diadema capiti suo impositum in sella reposuit, & quod Epidio Marullo, & Cæsetio Flavo tribunis plebis invidiam ei tanquam regnum affectanti moventibus potestas abrogata est. Ex iis causis conspiratione in eum facta, cujus capita fuerunt M. Brutus, & C. Trebonius, & C. Cassius, & ex Cæsaris partibus D. Brutus, in curia Pompeji occisus est viginti tribus vulneribus, occupatumque ab interfectoribus ejus Capitolium. Oblivione deinde cædis ejus a senatu decreta, obsidibus Antonii, & Lepidi liberis acceptis, conju-

Digitized by Google

rati a Capitolio descenderunt. Testamento Cæsaris hæres ex parte dimidia institutus C. Octavius ex sorore nepos & in nomen adoptatus est. Cæsaris corpus, cum in campum Martium ferretur, a plebe ante rostra crematum est. Dictaturæ honos in perpetuum sublatus est. Chamaces humilimæ sortis homo, qui se C. Marii filium ferebat, cum apud credulam plebem seditiones moveret, interfectus est.

LIBRI CXVII.

C. Octavius Romam ex Epiro venit. eo enim illum Cæsar præmiserat, bellum in Macedonia gesturus, omnibusque prosperis exceptus, etiam nomen Cæsaris sumpsit, in confusione rerum, ac tumultu Lepidum pontificem maximum interemit. Sed M. Antonius cos. cum impotenter dominaretur, legemque de provinciarum permutatione tulisset per vim, & Cæsarem quoque petentem, ut sibi adversum avunculi percussores adesset, magnis injuriis affecit. Cæsar, ut sibi & reipublicæ vires contra eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit. Legiones quoque quarta & Martia signa ab Antonio ad Cæsarem tulerunt. deinde plures sævitia M. Antonii passim in castris suis trucidati, quia & suspecti erant, & ad Cæsarem defciverunt. D. Brutus, ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupavit. Præterea discursus utrinsque partis virorum ad accipiendas provincias, apparatusque belli continet.

LIBRI CXVIII.

M. Brutus in Græcia sub prætextu reipublicæ, & suscepti contra M. Antonium belli, exercitum, cui Vatinius præerat, cum provincia in potestatem suam redegit. C. Cæsari, qui primus reipubl. arma sumpserat pro populo Romano, imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis, adjectumque, ut senator esset. M. Antonius D. Brutum Mutinæ obsedit, missique ad eum legati a senatu de pace parum ad eam componendam valuerunt. Populus Romanus saga sumsit. M. Brutus in Epiro C. Antonium prætorem cum exercitu potestati suæ subegit.

LIBRI CXIX.

C. Trebonius in Asia fraude P. Dolabellæ occisus est. ob id facinus Dolabella a senatu hostis judicatus est. Cum Pansa cos. male adversus Antonium pugnasset, A. Hirtius cos. cum exercitu superveniens, fusis M. Antonii copiis, fortunam utriusque partis æquavit.

Victus

Victus deinde ab Hircio & Cæsare Antonius in Galliam confugit, & M. Lepidum cum legionibus, quæ sub ipso erant, sibi junxit, hostisque a senatu cum omnibus, qui intra præsidia ejus erant, judicatus est. A. Hircius, qui post victoriam ipsius in inimicorum castris ceciderat, & L. Pansa e vulnere, quod in adverso prælio exceperat, defunctus in Campo Martio sepulti sunt. Adversus Cæsarem, qui solus e tribus ducibus supererat, parum gratus senatus fuit, qui D. Bruto obsidione Mutinensi a Cæsare liberato, honore triumphi decreto, Cæsaris, militumque ejus mentionem non satis gratam habuit. ob quæ C. Cæsar reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cum exercitu venit, & perculsis adventu ejus iis, qui in eum iniqui erant, cum annos XVIII. haberet, cos. creatus est.

LIBRI CXX.

C. Cæsar cos. legem tulit de quæstione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset. postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus absentes damnati sunt. Cum M. Antonio vires Asinius quoque Pollio, & Munacius Plancus cum exercitibus suis adjuncti ampliassent, & D. Brutus, cui senatus, ut persequeretur Antonium, mandavit, relictus a legionibus suis profugisset, jussu Antonii, in cujus potestatem venerat, a Capeno Sequano interemptus est. C. Cæsar pacem cum Antonio, & Lepido fecit, ita, ut tres viri Reip. constituendæ quidem per quinquennium præessent. Ipse Lepidus, & Antonius statuerunt, ut suos quisque inimicos proscriberent. in qua proscriptione plurimi equites, CXXX. senatorum nomina fuerant, & inter eos L. Pauli fratris M. Lepidi, & L. Cæsaris Antonii avunculi, M. Ciceronis, cujus occisi a Popilio legionario milite, cum haberet annos LXIII. caput quoque cum manu dextra in rostris positum est. Præterea res a M. Bruto in Græcia gestas continet.

LIBRI CXXI.

Cassius cui mandatum a senatu erat, ut Dolabellam inimicum judicatum bello persequeretur, autoritate Reip. adjutus Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem provincia erant, in potestatem suam redegit; Dolabella in urbe Laodicea obsessum mori coegit. M. quoque Bruti jussu C. Antonius captus occisus est.

LIBRI CXXII.

M. Brutus adversus Thracas parum prospere rem gessit, omnibusque transmarinis provinciis, exercitibusque in potestatem ejus & C. Cassii

Cassii redactis, coierunt Smyrnæ uterque ad ordinata futuri belli consilia. M. Messalæ Publicolam fratrem junctum communi consilio condemnaverunt.

LIBRI CXXIII.

Sex. Pompejus, Magni filius, lectis ex Epiro proscriptis ac fugitivis, cum exercitu diu sine ulla loci cujusquam possessione prædatus in mari, Messanam oppidum in Sicilia primum, deinde totam provinciam occupavit. occisoque a Pompejo A. Bithynico prætore, Salvidienum legatum Cæsaris navali prælio vicit. Cæsar & Antonius cum exercitibus in Græciam trajecerunt, bellum contra Brutum, & Cassium gesturi. Q. Cornificius in Africa T. Sestium Cassianarum partium ducem prælio vicit.

LIBRI CXXIV.

C. Cæsar, & Antonius apud Philippos vario eventu contra Brutum, & Cassium pugnaverunt, ita, ut utriusque dextera cornua vicerint, & castra quoque utrinque ab iis, qui vicerant, expugnarentur. Sed inæqualem fortunam partium mors quidem Cassii fecit, qui, cum in eo cornu fuisset, quod pulsum erat, totum exercitum fusum ratus, mortem sibi conscivit. Altero deinde prælio victus M. Brutus & ipse vitam finivit, exorato Stratone fugæ comite, ut sibi gladium adjiceret. annorum erat circiter ætatis XL. Inter quos Q. Hortensius occisus est.

LIBRI. CXXV.

C. Cæsar, relicto Antonio (transmarinæ provinciæ ex parte imperium ei cessit) reversus in Italiam veteranis agros divisit. seditiones exercitus sui, quas corrupti a Fulvia M. Antonii uxore milites contra imperatorem suum concitaverant, cum grandi periculo inhibuit. L. Antonius cos. M. Antonii frater, eadem Fulvia consulente, bellum Cæsari intulit, receptis in partes suas populis, quorum agri veteranis assignati erant, & M. Lepido, qui custodiæ urbis cum exercitu præerat, scisso, hostiliter in urbem irrupit.

LIBRI CXXVI.

C. Cæsar, cum esset annorum XXIII. obsessum in oppido Perusia L. Antonium, conatumque aliquoties erumpere, & repulsum fame coegit in deditionem venire, ipsique, & omnibus quidem militibus ejus ignovit, Perusiam diruit, redactis in potestatem suam omnibus diversæ partis exercitibus, bellum citra ullum sanguinem confecit.

Digitized by Google

LIBRI CXXVII.

Parthi, Labieno, qui Pompejanarum partium fuerat, duce, in Syriam irruperunt, victoque Didio Saxa M. Antonii legato, universam eam provinciam occupaverunt. M. Antonius cum ad bellum contra Cæsarem gerendum incitaretur, uxore Fulvia dimissa, ne concordiæ ducum obstaret, pace facta cum Cæsare, sororem ejus Octaviam in matrimonim duxit. Q. Salvidienum consilia nefaria contra Cæsarem molitum indicio suo detexit, isque damnatus mortem sibi conscivit. P. Ventidius Antonii legatus Parthos prælio victos Syria expulit, Labieno eorum duce occiso. Cum vicinus Italiæ hostis Sex. Pompejus Siciliam teneret, & annonæ commeatum impediret, cum eo postulatam pacem Cæsar, & Antonius quidem fecerunt, ita ut Siciliam provinciam haberet. Præterea motus Africæ, & bella gesta continet.

LIBRI CXXVIII.

Cum Sex. Pompejus rursum latrociniis mare infestum redderet, nec pacem, quam acceperat, præstaret, Cæsar necessario bello contra eum suscepto, duobus navalibus prœliis dubio eventu pugnavit. L. Ventidius legatus M. Antonii Parthos in Syria vicit, Regemque eorum interemit. Iudæorum quoque legati ab Antonio interempti sunt. præterea belli Siculi apparatum continet.

LIBRI CXXIX.

Adversus Sex. Pompejum vario eventu navalibus certaminibus pugnatum est, ita, ut duarum classium, Cæsaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret, altera, quam Cæsar duxerat, deleta, expositi in terram in quam maximo periculo essent. victus deinde Pompejus in Siciliam profugit. M. Lepidus, ex Africa velut ad societatem belli contra Sex. Pompejum a Cæsare gerendi trajecerat, ei bellum cum Cæsar quoque inferret, relictus ab exercitu, abrogato triumviratus honore, vitam impetravit. M. Agrippa navali corona a Cæsare donatus est. qui honos nemini ante eum habitus est.

LIBRI CXXX.

Marcus Antonius, dum cum Cleopatra luxuriaretur, Mediam provinciam ingressus bellum cum legionibus XVIII. & XVI. millibus equitum Parthis intulit. & cum duabus legionibus amissis, nulla re prospere cedente retro rediret, insecutis subinde Parthis, & ingenti trepidatione, & magno totius exercitus periculo, in Armeniam reversus est, XXI. die trecenta milia fuga emensus. circa octo millia hominum tempesta-

pestatibus amisit. tempestates quoque infestas super infeliciter susceptum Parthicum bellum culpa sua passus est, quia hyemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinabat.

LIBRI CXXXI.

Sex. Pompejus, cum in fidem M. Antonii veniret, bellum adversus eum in Asia moliens a legatis ejus oppressus est. Cæsar seditionem veteranorum cum magna pernicie motam inhibuit, Iapidas, Dalmatas, & Pannonios subegit. Antonius Artuasdem Armeniæ regem fide data perductum in vincula conjici jussit, regnumque Armeniæ filio suo ex Cleopatra nato dedit, quam uxoris loco jam pridem captus amore ejus habere cœperat.

LIBRI CXXXII.

C. Cæsar in Illyrico Dalmatas domuit. Cum M. Antonius ob amorem Cleopatræ, ex qua duos filios habebat, Philadelpum, & Alexandrum, neque in urbem venire vellet, neque finito ejus tempore triumviratus imperium deponere, bellumque moliretur, quod urbi, Italiæque inferret, ingentibus tam navalibus, quam terrestribus copiis ob hoc contractis, remissoque Octaviæ sorori Cæsaris repudio, Cæsar in Epirum cum exercitu trajecit. Pugnæ deinde navales & prælia equestria secunda Cæsaris referuntur.

LIBRI CXXXIII.

M. Antonius ad Actium classe victus Alexandriam profugit, obsessusque a Cæsare in ultima rerum desperatione, præcipue occisæ Cleopatræ falso rumore impulsus, se ipse interemit. Cæsaris Alexandria in potestatem redacta. Cleopatra, ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte occubuit. In urbem reversus tres triumphos egit, unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium ex Cleopatra, imposito fine civilibus bellis altero & trigesimo anno. M. Lepidus, qui Lepidi triumviri fuerat filius, conjuratione contra Cæsarem facta, bellum moliens oppressus, & occisus est.

LIBRI CXXXIV.

C. Cæsar rebus compositis, & omnibus provinciis in certam formam redactis, Augustus quoque cognominatus est, & mensis Sextilis in honorem ejus appellatus est. cum ille conventum Narbone egit, census a tribus Galliis, quas Cæsar pater vicerat, actus. Bellum contra Bastarnas, & Mœsos, & alias gentes a M. Crasso refertur.

LIBRI CXXXV.

Bellum a M. Crasso adversus Thracas, & a Cæsare adversus Hispanos gestum refertur, & Salassi, gentes alpinæ, perdomiti.

LIBRI CXXXVI.

Rhetia a Tiberio Nerone, & Druso Cæsaris privigno domita, Agrippa Cæsaris gener mortuus, & a Druso census actus est.

LIBRI CXXXVII.

Civitates Germaniæ cis Rhenum, & trans Rhenum positæ oppugnantur a Druso, & tumultus, qui ob censum exortus in Gallia erat, compositus. Ara Cæsari ad confluentem Araris & Rhodani dedicata, sacerdoteque creato C. Iulio Vercondaridubio Heduo.

LIBRI CXXXVIII.

Thraces domiti a Scipione, item Cherusci, Tenchateri, Cauci, aliæque Germanorum trans Rhenum gentes subactæ a Druso referuntur. Octavia soror Augusti defuncta, ante amisso filio Marcello. cujus monimenta sunt theatrum, & porticus, ejus nomini dicata.

LIBRI CXXXIX.

Bellum contra transrhenanas gentes a Druso gestum refertur. in quo inter primores pugnaverunt, Senectius, & Anectius, tribuni civitatis Nerviorum. Dalmatas, & Pannonios Nero frater Drusi subegit. Pax cum Parthis facta est, signis a rege eorum, quæ sub Crasso & postea sub Antonio capta erant, redditis.

LIBRI CXL.

Bellum adversus Germanorum trans Rhenum civitates gestum a Druso refertur. ipse ex fractura equo super crus ejus collapso, xxx. die quam id acciderat, mortuus est. corpus a Nerone fratre, qui nuntio valetudinis evocatus raptim occurrerat, Romam revectum, & in C. Iulii tumulo conditum. Laudatus a Cæsare Augusto vitrico, & supremis illius funeribus plures honores additi.

FINIS.

Digitized by Google



CAROLI SIGONII IN T. LIVII EPITOMEN LIBRORVM CXL.

NOTATIONES.

IN LIB. I. DECADIS I.

S*ylvii. Item Tiberis.*] Silvii, & Tiberis scribendum esse ex manuscriptis exemplaribus, Græcisque libris constat, apud quos est σιλούιος & τίβερις.

In centurias populus divisus.] Lego, in curias. Nam Livius ita loquitur. Cum populum in curias XXX. divideret, nomina Sabina, in curiis imposuit.

Metii Suffetii.] Fufetii, ut post dicam.

Ancus Martius.] Marcius. ut post dicam.

Tentandæ scientiæ causa.] Veteres libri, Hic tentandæ scientiæ causa.

Ostiam condidit Tarquinius.] Manuscripti pleniores sunt. ita Ostiam condidit. Regnavit annos XXXIII. Eo regnante Lucumo Damarati Corinthii filius a Tarquiniis Etruriæ civitate Romam venit, & in amicitiam Anci receptus Tarquinii nomen ferre cœpit. & post mortem Anci regnum excepit.

Centum additis, &c.] Quam lectionem probo.

Accii Navii.] Attii Nei. ut post dicam.

Idque protinus factum.] Vet. lib. Idque protinus ab Attio factum.

Cloacas fecit Ser. Tullius.] Vet. lib. uberiores. ita, Cloacas fecit, occisus est ab Anci filiis, cum regnasset annos XXXVIII. successit ei Ser. Tullius natus ex captiva nobili Corniculana, cui puero adhuc in cunis posito caput arsisse traditum est. Is Vejentes, &c.

Lustrum condit. Classes.] Plenior antiqua lectio est. sic, Lustrum condidit, quo censa LXXXII. esse dicuntur. Classes. *Est autem hic numerus etiam apud Livium, & is, qui Epitomas scripsit, ejusmodi,* diligentissime ponere solitus est.

In

In Aventino fecit. L. Tarquinius.] Plenior est vetusta manuscriptorum librorum lectio. hoc modo. In Aventino fecit. Interfectus est a L. Tarquinio Prisci filio, consilio filiæ suæ Tulliæ, cum regnasset annos triginta quatuor. Post hunc L. Tarquinius Superbus neque patrum, neque populi jussu regnum invasit. Quo die, &c.

Filius Sex. Tarquinius dolo.] Vet. lib. Filii Ser. Tarquinii dolo. Loquitur autem de rebus gestis Tarquinii superbi Regis.

Itaque præter alia Sex. etiam Tarquinii filii dolo (inquit) Gabios in suam potestatem redegit.

IN EPITOMEN LIB. II.

Suos quoque & fratris filios.] Lege & sororis filios. Sic enim lib. 4. locutus est. Intelligit autem Aquellios, Vitelliosque natos ex sororibus duabus Collatini collegæ sui.

Contractis Vejentium & Tarquiniorum copiis.] Vetusti libri habent; Tarquiniensium, quod placet. Nam ut a Vejis Vejentes, sic a Tarquiniis, Traquinienses dicti sunt.

L. Valerius Consul.] Omnes emendati libri & omnia demum antiquorum monumenta, hunc consulem Publium vocant.

Et cum reddita esset a Porsena honorifice remissa equestrique statua donata est.] Lege, & interpunge ita ex veteri lib. & cum reddita esset Porsenæ honorifice remissa, equestri statua donata est.

Numerus tribuum ampliatus est, ut essent triginta una.] Ex fide vetustorum librorum scibendum est, viginti una. ut paullo post ostendam.

Cn. Martius.] C. Marcius, scribe. Est enim apud Dionysium, & Plutarchum γαῖος μάρκιος. Item in quibusdam etiam veteribus libris. C. Marcius. præterea genti Martiæ familiare prænomen Caji, non Cnei.

T. Latinus.] T. Latinus, scribendum est. Vet. lib. Accedit quod Lactantius Firmianus lib. 11. T. Atinium Macrob lib. 1. Annium vocant, errore non admodum a veritate alieno.

Cum Cn. Martius Coriolanus, qui in exilium pulsus, dux Volscorum factus exercitum hostium urbi primo admovisset.] Lege ad fidem veteris lectionis. Cum C. Marcius Coriolanus, qui in exilium erat pulsus, dux Volscorum factus exercitum hostium urbi Romæ admovisset.

Decimum quemque militum.] Vet. lib. militem.

IN EPITOMEN LIB. III.

Ad bellum gerendum missus est.] Vet. libr. ad id bellum.

Cum modeste se in honore gessissent.] Vet. libr. Se in eo honore.

Cum complura impotenter fecissent.] Ex vestigiis depravatæ antiquæ lectionis, & ex Livianis verbis, ita hæc verba legenda sunt, Duabus tabulis ad diem adjectis complura impotenter fecissent.

In tertium annum detinuerunt.] Vetus lectio, retinuerunt.

IN EPITOMEN LIB. IV.

Lex de connubio patrum & plebis contentione magna.] Lege ex vet. lib. a tribunis contentione magna. Tribunorum autem princeps fuit C. Canulejus.

Perlata est a tribunis plebis aliquot annis res populi Romani domi, militiaque per hoc genus magistratus administrata sunt.] Veteres libri ita, Perlata est. Tribuni aliquot annos. Est autem locus mancus, cujus hæc erat sententia, Tribuni militum consulari potestate creati. Aliquot annos res populi Romani, &c. Rem autem ita habere docet Livius. Quare stellula addenda est.

Sp. Melius.] Mælius scribe addita diphthongo ex Capitolinis tabulis, & Græcis monumentis.

Servilio Hala.] Ahala ubique scribendum est. Documento sunt hujus scripturæ libri aliquot manuscripti, lapides Capitolini, & nummi argentei.

Volscos & Vejentes.] Adde ex Vet. libris, & ex ipso Livio. Volscos, & Vejentes, Fidenates & Faliscos.

Eoque coloni missi sunt.] Addendum, Novi. Nam Livius novos colonos vocat. & alio loco numerum additum colonorum ait. Primum enim deducta colonia est a Romulo rege.

IN EPITOMEN LIB. V.

Cum inundatio in lacu Albano facta esset.] Vett. libri, Ex lacu Albano.

Ab hostibus captus est.] Vet. lib. De hostibus. præclare. Erat enim vates ille unus ex hostibus.

Cum alter ex censoribus Iulius decessisset.] Vett. libri Cum Iulius, itemque Livius.

L. Apulejo.] Appulejus duobus pp scribi debet, si sequimur nummos argenteos & lapides Capitolinos.

Ad Alliam.] Aliam scribendum uno l. Dies alienses. Hanc enim habent scripturam plerique veteres libri, item Græci scriptores περὶ Ἀλίαν ποταμὸν & Ἀλιάδα ἡμέραν ut Plutarchus, Servius etiam in VII. Aeneidos docet a Poëtis Alliam duobus ll dici metri causa, ut *Relliquias.*

In quod se juvenes contulerant.] Vet. lib. In quod se juventus contulerat.

Inter pendendum aurum.] Vet libr. Inter ipsum colloquium quo de pacis conditionibus agebatur.

Ædes loquutio facta.] Liviani veteres Alloquutio habent. Hunc deum Gellius lib. decimo sexto cap. decimo septimo, Ajum, vocat. Cicero *divinatione*, Ajum loquentem. ex quo ego suspicatus sum Ajo loquuto & hic, & apud Livium esse legendum. Verba Ciceronis sunt hæc libro secundo: Ac paullo post audita vox est monentis, ut providerent ne a Gallis Roma caperetur. Ex eo Ajo loquenti aram in Nova via consecratam. quid ergo? Ajus iste loquens quando eum nemo norat, ajebat & loquebatur, & ex eo nomen invenit, posteaquam & sedem, & aram, & nomen invenit obmutuit? Plutarchus in Camillo φήμην καὶ κληδόνα vertit.

IN

IN EPITOMEN LIB. VI.

R*es adversus Aequos, & Volscos, & Hetruscos, prospere gestas continet.*] Pro, Hetruscos, repone Prænestinis subactis agit hoc in libro pluribus Livius.

Sabbatina.] Sabatina uno b scribendum, est enim, ut ait Festus, a Sabate lacu appellata.

Promentina Arniensis.] Tormentina Narniensis, scribendum ex Festo, qui a campo Tormento tribum Tormentinam invenisse nomen ait. Item ex veteribus libris. Ex oratione prima contra Rullum. & lib 29. Livii.

Ne cui Manlia gente Marco cognomen esset.] Perspicue mendosum, Marco cognomen, Prænomen potius scribendum esset. ut ait Quinctilianus libro tertio M. Manlii prænomen e familia in posterum exemptum est. At legendum tamen puto Nomen. Erravit autem librarius, quia Marco cognomen scripsit syllaba, ut fit, repetita, sine causa. Itaque recte Plutarchus in libro [illegible], τὸν μάλιστα ἀπειρηκότα φασὶν εἶναι τῷ οἴκῳ μηδενὶ Μαλλίῳ ὄνομα Μάρκῳ γίνεσθαι.

Ut Consules etiam ex plebe fierent.] Veteres libri non habent, etiam.

Eam legem.] Vet. lib. Eamque legem.

Primus omnium ex plebe factus est.] Indue vocem Omnium, ex vet. lib.

Ne cuiquam.] Vet. lib. Ne cui.

IN EPITOMEN LIB. VII.

D*uo novi magistratus adjecti sunt.*] In vet. lib. non est vox Novi. & sine ea sensus stare non potest.

A. M. Pompejo tribuno pl.] Lege M. Pomponio, ex Livio & Cicerone.

Propter delectum acerbe factum.] Vet. lib. Actum.

Filium relegatum Vet. lib. filium rus relegatum. recte. Sic enim Livius.

Manlius adolescens.] Vet. lib. T. Manlius.

Plus quingentorum jugerum.] Aut lege plus quingenta, ut Livius, aut plus quingentis jugeribus, ut in Epit. lib. 6.

Corvini nomen.] Corvi nomen, ut post dicam.

P. Decii Tribuni.] Vet lib. P. Decii Muris tribuni.

Id jugum in quo Samnites sederant.] Vet. libr. Consederant.

Milites qui Capuæ in præsidio erant relicti, cum de ea occupanda urbe conspirassent.] Vet. Libr. Cum milites Romani, qui Capuæ in præsidio erant relicti de ea occupanda urbe conspirassent.

Corvinum dictatorem.] Corvum, ut dicam.

Patriæ restituti sunt.] Præter hæc adde. Res præterea contra Hernicos & Gallos & Tiburtes & Privernates, & Tarquinienses, & Samnites, & Volscos prospere gestas continet. Sic enim est in vet. lib, atque ita est apud Livium.

IN EPITOMEN LIB. VIII.

L*aborantibus Romanis P. Decius tunc cum Manlio devovit se.*] Vet. lib. P. Decius devovit se. Malim: P. Decius tunc cum Manlio consul devovit se.

Au-

Ausonibus victis in oppidum Calor, colonia ducta est.] Vet. lib. In oppidum ex iis captum Cales.

Victi bello & obsidione.] Vet. libr. bello & obsidione victi.

Qu. Publio, qui eos obsederat primum imperium prolatum & per consules ei decretus triumphus.] Ex cap. Triumphis & ipsius Livii verbis legendum est. Q. Publicio, qui eos obsederat primum imperium prolatum est, & pro consule decretus est triumphus. Sensus est, Q. Publius primus fuit, cui in sequentem annum prorogaretur imperium, & qui non consul, sed pro consule triumpharet.

C. Publio.] C. Publilio.

Contra edictum ejus præliatus est, qui prospere adversus Samnites pugnavit.] Veteres libri contra edictum ejus prospere adversus Samnites pugnavit.

IN EPITOMEN LIB. IX.

Omnibus qui per fœdus spoponderant.] Vet. libr. Qui fœdus spoponderant.

Nec etiam multo post.] Vet. lib. Nec multo post.

Libertinorum filios in senatu legit.] Vet. libr. In senatum.

Eaque res Fabio Maximo nomen dedit.] Vet. libr. Maximi, id est ex re Maximus appellatus est. Porro autem adde hæc verba ex manuscriptis libris. In hoc libro mentionem habet Alexandri, qui temporibus his fuit, & æstimatis populi Romani viribus, quæ tunc erant, colligit, si Alexander in Italiam trajecisset, non tam facilem ei victoriam de populo Romano fore, quam de gentibus, quas ad orientem imperio suo subjecerat.

IN EPITOMEN LIB. X.

Lex de provocatione ad populum a Valerio consule tunc primum lata est.] Turpem mendam tolle ex veteris libri fide. Et, a Valerio Consule tunc tertium lata est, restitue. Idem enim scribit Livius: Primus autem legem de provocatione tulit anno CCXLV. P. Valerius Poplicola. Deinde anno CCCIV. L. Valerius Potitus. nunc demum tertium M. Valerius Corvus.

Aniensis.] Hic, & in Plinio, & in Livio c. 29. mavult Turnebus legi Arniensis Adverſ. lib. 30. cap. 17.

Terrentiana.] Terentina.

Qu. Fabio ducibus.] Vett. libr. Fabio Consulibus ducibus.

Qui jurejurando adstrictus fuerat, quo majore constantia virtutis in aciem descenderet.] Vet. lib. Qui jurejurando astrictus, quo majore constantia virtutis pugnaret, in aciem descenderat. probe.

Capita ducenta sexaginta duo.] Ex veterib. libris, & Epitomarum & Livii.

IN EPITOMEN LIB. XI.

Eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco sedes Æsculapii constituta est.] Castiga ex vet. lib. Ædes Æsculapio consecrata est. Nam Festus etiam lib. IX. inquit: In insula Æsculapio facta ædes fuit, quod ægroti a medicis

equa

Digitized by Google

aqua maxime sustententur. Et Valerius libro primo: At in ripam Tiberis egressis legatis in insulam, ubi templum dicatum est, transnavit.

Plebs propter æs alienum, & graves, & longas seditiones ad ultimum secessit in Ianiculum.] Vet. lib. Post graves, & longas seditiones. Nam Augustinus etiam lib. III. cap. XVII. de civitate Dei ita loquitur: Post graves & longas Romanas seditiones ad ultimum plebs in Ianiculum hostili diremptione secessit.

Vnde a Q. Hortensio Dictatore deducta est.] de hoc dictatore sic Plinius lib. XVI. cap. X. Q. Hortensius Dictator, cum plebes secessisset in Ianiculum legem in Esculeto tulit, ut quod ea tulisset omnes Quirites tenerent. Idem scribit Gellius lib. XV. cap. XXVII. Idem est in libro primo Institutionum Justiniani. Hac de re supra dixi in librum octavum.

Coloniæ deductæ sunt, Castrum, Sena, Adria.] De Sena per hos annos in agro Gallorum deducta Polybius lib. II.

Volsinienses.] Vulsinienses, lapides Capitolini.

IN EPITOMEN LIB. XII.

L. Cælius prætor.] Hunc Cælium prætorem Orosius, & Augustinus lib. III. cap. XVII. vocant. Polybius lib. II. λεύκιον στρατηγὸν nominat. in ejusque occisi locum suffectum esse M. Curium.

Duce qui præerat classi occiso.] Vet. lib. Duumviro, qui præerat classi. Duumviri autem navales creari primum cœpti sunt anno ab urbe condita CCCCXLIII.

Brutios.] Bruttii duobus tt. in Capitolinis lapidibus scribuntur. Itemque in nummis argenteis, quos perantiquos pater habet tuus cum his litteris ΒΡΕΤΤΙΩΝ. Præterea Eustatius in Dionysium docet, omnino Βρέττιοι διὰ δυοῖν τ esse scribendos.

Cum in præsidium Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Iubellio missa esset.] Quanquam Polybius lib. I. hunc δέκιον καμπανὸν vocat, puto tamen Decimo legendum esse. Iubellia enim gens Capuana fuit auctore Cicerone contra Rullium. Ergo Decius prænomen est, vitiose, ut sæpe, pro Decimo.

IN EPITOMEN LIB. XIII.

Valerius Levinus] Lævinus ex Capitolinis lapidibus a Lævo, ut Crassinus a Crasso, Albinus ab Albo. Plutarchus in Pyrrho mendose λαβῖνον habet pro λαιβῖνον.

C. Fabritius missus ad eum, ut.] Vet. lib. Missus ad eum a senatu, ut &c.

Cyneas legatus.] Cineas. Sic enim Plutarchus in Pyrrho, sic Suidas κινέας.

Iamdiu a Consiliis publicis abstinuerat.] Vet. lib. Consiliis publicis se abstinuerat.

P. Domitius censor primus ex plebe lustrum condidit.] Vet. lib. Cn. Domitius, quod placet. Est enim Cn. Domitius, qui per hæc tempora cum P. Dolabella con-

Digitized by Google

consul fuit. Præterea Publii prænomen nusquam alias in Domitia gente reperi. ut autem C. Marcus Rutilius primus e plebe censor fuit auctore Livio, sic *Cn. Domitius* primus e plebe censor lustrum condidit.

Cum Carthaginiensibus quarto fœdus renovatum est.] Hujus fœderis meminit Polyb. lib. III. τελευταίας ποιοῦνται συνθήκας Ῥωμαῖοι κατὰ τὴν Πύρρου διάβασιν πρὸ τοῦ συστήσασθαι τοὺς Καρχηδονίους τὸν περὶ Σικελίας πόλεμον.

Is qui ad eum a Pyrrho transfugerat.] Hunc alii *Timocharem*, alii *Niciam* appellarunt. autor Gellius lib. tertio cap. octavo.

IN EPITOMEN LIB. XIV.

Curius Dentatus, cum delectum haberet, ejus, qui citatus non responderat, bona vendidit.] Vet. lib. Bona primus vendidit. Hac de re sic Varro, ut est apud Marcellum.

Marius Curius consul in Capitolio cum delectum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem.] Valerius, & bona & ipsum qui citatus erat veniisse a Curio scribit lib. VI. cap. III.

Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reversum vicit.] Vet. lib. iterum Pyrrhum præclare. Est enim aliud *iterum reversum*, & *iterum vicit*. Est autem iterum vicit intelligendum.

Censa sunt capita civium CCLXXI. *millia*] Placet legi CCLXXXI. millia, ut singulis lustris numerus civium augeatur. Nam tertio ante lustro censa sunt CCLXXII. millia, altero vero CCLXXVIII. hoc, CCLXXXI. proximo insequenti CCXCII.

Coloniæ deductæ sunt Posidonia, & Consa.] Cossa legendum est. Vellejus lib. primo Cossam & Pæstum colonias deductas ait Fabio Dorsone, Claudio Canina Consulibus, & Plinius lib. III. cap. V. Cossam Vulcientium coloniam deductam ait. Ita etiam lib. Vet.

Carthaginiensium classis auxilio Mamertinis venit, quo facto ab iis fœdus violatum est.] Primum intelligendum est placere antiquis Grammaticis, Carthaginiensium dici, quod a casu dandi ejusmodi nomina edantur additis syllabis ENSIS, idque præceptum versu Ennii confirmari: Hostem qui feriet mihi erit Carthaginiensis. Deinde vero vocem, Mamertinis, mendum continere. Neque enim de Mamertinis adhuc dicendi locus est, verum initio belli Punici, & Mamertinis quidem etiam tum, non Pœni, sed Romani venerunt auxilio. Tarentinis autem reponendum est, non solum quia ita habent manuscripti libri, sed etiam quia Anno Carthaginiensis apud Livium lib. XXI. id factum esse significat, cum ait: sed ut Tarento tum, & Italia non abstinueramus ex fœdere, sic nunc Sagunto non abstinemus. Sic Orosius, ut ibi dicam.

Pyrrhi mortem.] Vet. lib. Pyrrhi regis mortem.

IN EPITOMEN LIB. XV.

Salentini.] Sallentini duobus ll. scribi debent ex fide Capitolinorum triumphorum & Græcis scriptoribus. Sic enim Stephanus Σαλλεντία πόλις Ἰταλίας, τὸ ἐθνικὸν Σαλλεντῖνος.

Digitized by Google

Tunc primum populus Romanus argento uti cœpit.] Plinius lib. 33. cap. III. Q. Fabio consule argentum signatum est annis quinque ante primum Punicum bellum cœptum.

Quæstorum numerus ampliatus est.] In vet. lib. est, Quæstorum numerus ampliatus est, ut essent. Desideratur autem numerus. sic in Epitoma lib. II. Numerus tribuum ampliatus est, ut essent XXI. & libri decimi: Collegium augurum ampliatum est, ut essent novem, & libri XX. Prætorum numerus ampliatus est, ut essent quatuor. Puto legendum hic esse, ut essent octo. Quæstores enim primum duos creatos esse anno primo post reges exactos scribit Plutarchus in Poplicola. Duos deinde his additos esse, ut essent quatuor, duos qui urbanas, duos, qui militares res curarent anno ab urbe condita CCCXXXIII. tradit Livius lib. 4. & lib. 6. & Tacitus lib. II. cum autem Tacitus subsequatur his verbis: Mox duplicatus quæstorum numerus stipendiaria jam Italia, & accedentibus provinciarum vectigalibus, eos profecto octonos factos esse hoc tempore significare videtur.

IN EPITOMEN LIB. XVI.

Origo Carthaginensium, & primordia urbis referuntur.] Vet. lib. Urbis eorum referuntur.

Censa sunt civium capita CCCLXXXII. millia.] Melius Eutropius, qui CCXCII. millia edit. Etenim tertio ante lustro censa sunt CCLXXVIII. millia, neque interea clades ulla accepta est, ut tantopere civium numerus imminutus sit.

Edidit primus.] Vet. lib. Primus edidit.

Esernia.] Vet. lib. & Græci, Æsernia.

Res præterea contra Pœnos & Volscos prospere gestas continet.] Dii boni quid hoc tempore rei Romanis cum Volscis erat toties victis? certe nihil. Ergo non Volscos, sed Vulsinios scribe, ut est in vet. lib. Cum quibus hoc tempore bellatum esse docent historici, & maxime Capitolinus M. Fulvii Flacci consulis triumphus de Vulsiniensibus primo anno primi belli Punici actus.

IN EPITOMEN LIB. XVII.

Cn. Duilius Cos.] C. Duilius Vet. lib. lapid. Cap. & reliqui.

Ob quam caussam ei perpetuus honos habitus est, ut reverenti a cœna tibicines canerent, & funale præferretur.] Vet. lib. Perpetuus quoque honos habitus est, ut reverenti a cœna tibicine canente funale præferretur. Sic Valerius lib. III. cap. sexto: Ad funalem cereum præeunte tibicine, & fidicina a cœna domum reverti solitus est.

M. Calpurnii tribuni militum virtute.] Hunc lib. XXII. Calpurnium Flammam nominat Livius: eundem Q. Cœdicium Cato, alii Laberium appellarunt. Auctor Gellius lib. III. cap. VII.

IN EPITOMEN LIB. XVIII.

Attilius Regulus in Africa.] Vet. lib. Atilius Regulus consul in Africa.

Serpentem portentosæ magnitudinis.] Hanc historiam a T. Livio curiose pariter, ac facunde relatam scribit Valerius libro primo. Quam eandem recitat etiam ex Ælio Tuberone Gellius lib. sexto.

Cum aliquot præliis adversum Carthaginenses pugnasset.] Vet. lib. Cum aliquot præliis bene adversus Carthaginenses pugnasset.

Inter causas petendi successoris erat, quod agellus ejus a mercenariis devastaretur.] Vet. lib. A mercenariis desertus esset. Sic Valer. lib. IV. cap. IV. Consulibus scripsit villicum in agello quem septem jugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento, discessisse. Ideoque petere, ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset, unde uxor, & liberi sui alerentur.

T. Coruncanus.] Ti. Coruncanius Vet. lib. Triumphi Capitolini, Polybius, Pomponius de origine juris.

M. Sempronius Sophus, Valerius Maximus censores.] P. Sempronius Sophus, M. Valerius Maximus censores ex Capit. lapid.

Censa sunt civium capita CCCXVII. *millia* CCCXVII.] Vet. lib. CCXCVII. millia IↃCCXVII. recte. Nam priore lustro ex Eutropii sententia censa sunt CCXCII. millia.

Et si eam minime impetraret.] Vet. lib. Et si eam non posset impetrare.

Iurejurando adstrictus est rediturum.] Vet. lib. Iurejurando adstrictus rediturum.

IN EPITOMEN LIB. XIX.

C. *Glauciam dixit.*] Et hic & apud Suetonium in Tiberio legendum est C. Claudium Gliciam, ex Capitolina hujus dictatura, apud Suetonium enim est Iliciam.

Coloniæ deductæ sunt Fregellæ.] Vet. lib. Fregenæ optime. Fregellæ enim Colonia deductæ sunt anno CCCCXXII. in agro Volscorum, auctore Livio lib. VIII. Idem etiam Fregenarum meminit maritimæ coloniæ lib. XXXVI. Alcii porro, & Fregenarum meminit Cato in fragmentis Originum, & Plinius lib. III. cap. V. Eadem menda est apud Vellejum lib. II. ubi ait: Postque XIV annos Æsulum, & Alsium, Fregellæque post biennium, proximoque anno Torquato Sempronioque consulibus Brundusium. Legendum est Fregenæ.

Censa sunt civium capita CCLI. *millia.*) Priore lustro censa sunt CCXCVII. millia hoc autem CCLI. minore multo summa. Hic autem numerus (si probe habet) idcirco imminutus est, quia maxima pars, cum P. Claudius consul rem navali prælio male gessisset, interiit.

A ludis divertens.) Vet. lib. Revertens. Gellius lib. X. cap. VI. de hac eadem, Claudia a ludis exiens.

Ob eam causam multata est.) Vet. lib. Multa ei dicta est. Sic loco citato Gellius, ob hæc mulieris verba tam improbat, ac tam incivilia C. Fundanius, & Ti. Sempronius ædiles pl. multam dixerunt ei æris gravis XXV. millia. Id factum Fabio Licinio, Otacilio Crasso consulibus. De eadem Suetonius in Tiberio.

Rebus adversus Pœnos pluribus ducibus gestis.) Vet. lib. A pluribus ducibus prospere gestis.

Duæ

Digitized by Google

Duæ tribus adjectæ sunt Velina, & Exquilina.) Turpis menda est in voce Exquilina. Hæc enim tribus una fuit ex urbanis quatuor a Ser. Tullio Rege factis, ut supra diximus. Itaque non Esquilina, sed Quirina restituendum est, manuscriptis præsertim libris ita admonentibus.

IN EPITOMEN LIB. XX.

Spoletium.) Vet. lib. Spoletum. Priscianus ita dicendum esse contendit.

Tutia virgo.) Vet. lib. Tuccia. Sic alibi Tucciæ gentis mentio.

Qui in Italiam eruperant.) Vet. lib. irruperant.

Eo bello populus Romanus sociorum, Latinique nominis trecenta millia armatorum habuisse dicitur.) Vet. lib. ad trecenta millia. Eadem summa colligitur etiam ex Polybii lib. II. qui quot quique socii pedites, quot equites dederint, exponit. In summa tamen concipienda inest apud eum labes. Inquit enim omnem exercitum tam Romanorum, quam sociorum fuisse pedites ὑπὲρ πεντεκαίδεκα μυριάδας, cum sit legendum πεντήκοντα: equites autem fuisse ἑξακισχιλίους, cum sit legendum ἑξακισμυρίους, aperte ex verbis ejusdem.

Bellum Illyriis propter unum ex legatis, qui &c.) Legatos duos missos scribit Polybius lib. 2. C. & L. Coruncanios ex iis alterum Teutæ reginæ jussu fuisse interfectum, qui liberius in eam invectus fuerat, ὅτι διαστείλαιτο πρὸς τὴν παῤῥησιασάμενον τῶν πρέσβεων ἀποκτεῖναι.

M. Claudius Marcellus consul occiso Insubrium Gallorum duce Viridomaro opima spolia retulit.) Lege Virdumato. Sic enim Propertius libro 4.

Virdomari genus hic Rheno jactabat ab ipso. Et in lapidibus Cap.

M. CLAUDIUS M. F. M. N. MARCELLUS COS. DE GALLEIS INSUBRIBUS, ET GERMAN. ISQUE SPOLIA OPIMA RETTULIT DUCE HOSTIUM VIRDUMARO AD CLASTIDIUM INTERFECTO.

Iterum Illyrii cum rebellassent domiti in ditionem venerunt.) De Illyricis priore bello triumphavit Cn. Fulvius Centumalus cos. ut est in Capit. triumphis. De iisdem hoc tempore L. Æmilius Paullus Polybio auctore libro tertio. Ejus belli initium intulit Teuta regina, hujus Demetrius Pharius Rex.

Cum ante dispersi fuissent.) Vet. lib. Cum ante per omnes dispersi fuissent.

Munivit, & circum Flaminium extruxit.) Locus ut omnes sentiunt mancus, ita restitui debet, C. Flaminius censor viam Flaminiam munivit, & circum Flaminium extruxit. De via, & circo a C. Flaminio hoc anno censore factis auctor est Cassiodorus, & Festus. De lustro, C. Flaminio, & L. Æmilio censoribus Liv. lib. 22. & 23. ut de hac lectione omnino dubitandum non esse videatur. Cassiodorus ita: L. Veturio, & C. Lutatio consulibus via Flaminia munita, & circus Flaminius factus est. Festus autem ita: Flaminius circus, & Flaminia via dicta est a Flaminio censore, qui interfectus est ad lacum Thrasimenum. Circus Flaminius, quondam prata Flaminia dictus. Livius libro tertio.

IN EPITOMEN LIB. XXI.

In Italia belli secundi Punici acta narrantur.) Malim, ut alibi, Initia narrantur.

Pyrenco saltu.] Pyreneo. sic Græci πυρηναίοις.

Fusis, qui obsistere ei conati erant.) Vet. lib. Fusis Volscis, qui. Sic autem tradidit de Volscis Livius.

IN EPITOMEN LIB. XXII.

Cum in iniquo loco conflixisset.] Vet. lib. Cum iniquo.

Idemque milites facere commilitonibus jussit.) Vet. libri non habent vocem commilitonibus.

Efficitque ut omnes minime relictum iri a se Italiam.) Vet. lib. Vt omnes non relictum iri.

IN EPITOMEN LIB. XXIII.

Syphax rex Numidarum in amicitiam ascitus contra Massanissam regem Massæsylorum pro Carthaginiensibus pugnans victus.] Sincera lectio, & sententia hujus loci eruitur partim ex ipso Livio, partim ex veteribus epitomæ libris, in quibus ita est, & a Massanissa rege Massyliorum pro Carthaginiensibus pugnante victus.

IN EPITOMEN LIB. XXV.

Annibal urbem Tarentum præter arcem per Tarentinos juvenes, qui se noctu venatum ire simulaverant, cepit.) In vet. lib. est, Præter arcem, in quam præsidium Romanorum fugerat, per Tarentinos &c.

In insidias ductus.) Vet. lib Deductus.

Conflixit acie cum Annibale, qui cum exercitu eum cecidit.) Vet. lib. Conflixit cum Annibale, & cum exercitu cæsus est.

Ad triginta septem millia cæsa ex mille octingentis. præda ingens capta.) Emenda ex Vet. lib. & ipsomet Livio. Ad mille octingentos triginta capti. præda ingens parta.

IN EPITOMEN LIB. XXV.

Cn. Fulvius pro cos. cum exercitu ab Annibale cæsus est.) Vet. lib. Cæsus ad Herdoneam est. recte. Ita enim quoque Livius.

Subinde cedente pressit, donec effugeret.) Vet. lib. donec confligeret.

Fabius Maximus pater consulis.) Emenda: pater consul. ut infra, Maximus filius.

Tarentinos per deditionem accepit.) Vet. lib. per proditionem recepit. egregie. Vt enim amissum fuerat, sic receptum proditione Tarentum est. Plutarchus in Fabio, τὴν δὲ Ταραντίνων πόλιν ἔσχεν ἀλωκυῖαν ἐκ προδοσίας.

Ita ut inimicum falleret, electa manu profectus.) Vet. lib. Ita ut hostem falleret, cum electa manu profectus.

Digitized by Google

IN EPITOMEN LIB. XXVIII.

Et in hoc habitu plus gloriæ, reverentiæque habuit.) Vet. lib. Et in hoc actu.

Carthagini Novæ.) Carthagine Nova, legendum.

Occiderunt, se insuper præcipitaverunt.] Vet. lib. Et se insuper.

Et amicitia facta est cum Massanissa.) Tolle vocem, est, ut uno ambitu orationis hæc sententia tota comprehendatur. Sic Vet. lib.

Si ex rep. esse cognosceret. (Vet. lib. Si e repub.

IN EPITOMEN LIB. XXIX.

Conquerentis, quod non exercitum in Africam trajecisset.) Vet. lib. Quod nondum exercitum.

Qui in Galliam, & Liguriam erat.) Vet. lib. Qui in Gallia, & Liguribus erat.

Pesinunte.) Pessinunte, ex Græcis.

Masanissa rex Masæsulorum.) Vet. lib. Massyliorum, ut supra dixi. Nam Masæsulorum rex erat Syphax.

Dum pro Carthagine in Hispania militat.) Vet. lib. Dum pro Carthaginiensibus.

Censa sunt civium capita CCXV. millia.) Vet. lib. CCLXV. millia.

Minime bona fide.) Vet. lib. Non bona fide.

IN EPITOMEN LIB. XXX.

Syphacem per C. Lælium cepit.) Vet. lib. Per C. Lælium, & Massanissam cepit. atque ita Livius.

Venenum ei transmisit, quo quidem hausto.) Vet. lib. Venenum ei misit, quo hausto.

Mago bello, quo in agro Insubrium cum Romanis conflixerat.) Vet. lib. Mago, qui bello in agro.

Ex vulnere mortuus est.) Veteres libri pleniores. Ex vulnere mortuus est. Massanissæ regnum restitutum est.

IN EPITOMEN LIB. XXXI.

Caussæ feruntur hæ.) Vet. lib. Referuntur.

In sacrarium Cereris cum aliis pluribus suis intraverunt.) Cum aliis popularibus suis, legendum est.

Ad vindicandos illos.) Vet. lib. Ad vindicandos illos.

Quingentesimo quadragesimo anno ab urbe condita.) Restituendum est, ut post ostendam, Quingentesimo & quinquagesimo.

IN EPITOMEN LIB. XXXIII.

Attalus a Thebis ob subitam valetudinem translatus decessit.) Vet. lib. Pergamum translatus. Recte. Livius enim ita. Attalus æger Thebis Pergamum advectus moritur.

L. Furius & Claudius Marcellus.) Vet. lib. L. Furius Purpureo, & M. Claudius Marcellus.

IN

Digitized by Google

IN EPITOMEN LIB. XXXIV.

De stringendis cultibus matronarum.) Vet. lib. De fingendis cultibus.

L. Cornelius Cethegus censores.) C. Cornelius, ex Capit. censura.

Coloniæ pleræque deductæ sunt.) Vet. lib. Coloniæ plures.

Res præterea adversus Bojos, & Insubres.) Vet. lib. Res præterea in Hispania, & adversus Bojos, & Insubres.

Tentaverat autem per Aristonem Tyrium.) Vet. lib. Tentaverat autem Annibal per Aristonem.

IN EPITOMEN LIB. XXXVII.

Eumene rege Attali Pergameni filio.) Vet. libri, Eumene rege Pergami Attali filio.

Qui cum Antiocho bellaverat.) Vet. lib. Debellaverat, recte.

Cognomine fratri coæquatus.) Libri veteres, exæquatus.

IN EPITOMEN LIB. XXXVIII.

Tectosagos.) Tectosagas, ut post dicam.

Et cum eo loca quæ tenent, occupaverantque referuntur.) Vet. lib. Et quando loca, quæ tenent, occupaverint, referuntur.

Acta per se causa.) Vet. lib. pro se.

A. Petilio Acto tribuno pl.) Vet. lib. a Q. Petillio tribuno pleb.

Quod præda cum Antiocho capta ærarium fraudasset.] Vet. lib. præda ex Antiocho.

Postquam is dies venit, evocatus in rostra.) Vet. lib. Postquam dies venit, is evocatus in rostra.

Qui antea Scipionibus inimicus erat.) Vet. lib. Fuerat.

Cum populus quæstores in bona ejus publice possidenda misisset.) Lege cum Prætor Quæstores. Sic enim Livius. In bona deinde L. Scipionis possessum publice quæstores Prætor misit.

Sed nequaquam tantum in ærarium redactum, quantæ summæ erat damnatus.] Voces illæ, In ærarium, delendæ sunt, neque enim in veteribus libris reperiuntur, neque apud Livium, cujus hæc verba sunt libro hoc extremo.

Quæ necessitati ei erant ad cultum retenta.) Lege ex veteribus libris & ex ipsomet Livio, cujus hæc verba sunt: Quæ necessaria ei erant ad cultum, redempta.

IN EPITOMEN LIB. XXXIX.

A Censoribus L. Valerio Flacco, & M. Porcio Catone vir & belli, & pacis artibus maximus motus est senatu L. Quinctius.) Lege M. Porcio Catone, viro & belli, & pacis artibus, maximo. In has enim ejus laudes digreditur hoc libro Livius, ubi de censura ejus loquitur. quæ laudes L. Quinctio nec tribuuntur, nec tribui jure possunt.

Quod cum Galliam provinciam consul obtinuerat rogatus a Philippo Pœno.) Vet. lib. Rogatus in convivio a Philippo Pœno.

Pollentia & Pisaurum.) Potentia, ut post dicam.

Cujus origo inde venit.) Vet. Lib. inde fluxit.

Digitized by Google

IN EPITOMEN LIB. XL.

L. Petilii.) L. Petillii, ut supra.

Falsa alterius filii.) Vet. lib. Falsis Persei alterius filii.

Regnum Perseus accepit.) Vet. lib. Excepit.

IN EPITOMEN LIB. XLI.

Monimentumque operum suorum Gracchurim oppidum in Hispania constituit.) Recte. sic enim Festus libr. VII. Gracchuris urbs Hiberiæ regionis, dicta a Graccho Sempronio, quæ antea Illurcis nominabatur.

A. Postumio Albino.) Vet. lib. Et a Postumio Albino.

De utrisque triumphavit.) Vet. lib. Vterque triumphavit. Recte. Gracchus, & Albinus. Ille de Celteberis, hic de Lusitanis. Ita enim Livius.

Qu. Volumnius Saxa.) Emendo, Q. Voconius. Sic enim Cicero in Catone, ubi legis Voconiæ meminit. Sic in oratione pro Cornelio. Sic Augustinus de civitate Dei. sic ceteri. Est enim hæc lex Voconia celebris.

Templa magnifica multis locis erexit, Athenis Iovis Olympii, & Antiochia.) Scribe: & Antiochiæ Capitolini, sic enim Livius hoc lib. Alioquin imperfecta, & oratio, & historia erit.

IN EPITOMEN LIB. XLIII.

Prætores nonnulli.) Vet. lib. Prætores aliquot.

Captivi, qui ab eo venierant.) Vet. lib. qui ab eo sub corona venierant.

Res præterea a Perseo rege in Thracia prospere gestas continet, & victis Dardanis, & Illyrico, cujus rex erat Gentius, motus, qui in Hispania ab Olonico factus erat ipso interempto consedit.) Vet. lib. habent, ab Elonico. lib. 40. extremo Clondicus dicitur, ut dixi, mendose. Dux enim Bastarnarum fuit, qui in Dardaniam venerant, atque ibi manserant, a Philippo rege excitati. Quare pro Hispania, Pæonia lego. Est enim Pæonia Dardaniæ continens, ut ait Liv. lib. 45. in ea igitur cum bellum excitaret, interfectus a Perseo rege significatur.

A præfectis classium.) Vet. lib. Item a præfectis classium.

IN EPITOMEN LIB. XLIV.

Per saltus penetravit. Vet. lib. Per invios saltus penetravit.

Paullus in concione precatus est, ut quidquid diri populo immineret, supra, &c.) Qui Epitomam hanc scripsit, parum accurate videtur Liviana verba legisse. Neque enim in concione, quam Paullus habet, antequam in provinciam exeat, quidquam tale invenitur. immo Paullus ait, se tali usum esse precatione, postquam Perseum vicerat. Verba ejus sunt in oratione ad Quirites post triumphum libro 45. Postquam omnia secundo navium cursu in Italiam pervenerant, neque erat, quod ultra precarer, illud optavi, ut cum ex summo retro volvi fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potius, quam Resp sentiret. Item Valerius lib. v. cap. x. Paullus, inquit in oratione, quam de rebus a se gestis ad populum habuit. Cum in maximo proventu felicitatis vestræ Quirites timerem, nequid mali fortuna molire-

tur, Iovem Opt. Max, Iunonemque Reginam, & Minervam precatus sum; ut si adversi quid populo Ro. immineret, totum in meam domum converteretur. Ergo neque antequam in Macedoniam iret, neque in concione ita precatus est.

Antequam confligeret, dixit exercitui, ne miraretur, quod luna nocte proxima defectura esset.) Hæc non Paullum dixisse, sed C. Sulpicium Gallum tribunum militum tradit Livius, & Valerius lib. 8. cap. 11. Itaque legendum est: Antequam confligeret. C. Sulpicius Gallus tribunus mil. dixit: In veteribus autem libris est: prædixit exercitui, ne miraretur, quod luna defectura erat.

Querentes de Antiocho rege, quod iis bellum inferret.) Vet. lib. His, id est, Cleopatræ, & Ptolemæo.

IN EPITOMEN LIB. XLVI.

Ne autem inimicus indicatus videretur.) Vetus liber, ne aut hostis.

Lex in comitio lata est, ne cuiquam regi Romam venire liceret.] Vox, comitio, inepto legitur sensu. Melior antiqua lectio. Lex in commune lata est, ne cui regi.

C. Sulpicius Gallus Ligures subegit.) Vetus lib. Gallus consul.

Censa eo sunt.) Vetus lib. Censa sunt.

Cum Lysia tutore Demetrius.) Tutore ejus, ex veteribus libris, & Appiano in Syrio.

Quia minime dimittebatur.) Vet. lib. Quia non dimittebatur.

IN EPITOMEN LIB. XLVII.

Sacrorum quoque magistratuum.) Vet. lib. Sacrorumque magistratuum.

Illyricos.) Illyrios. ex Græcis, & Iap. Cap.

Quidam prætores.) Vet. lib. Aliquot prætores.

Accusati, & damnati sunt.) Veteres libri, Accusati, damnati sunt.

IN EPITOMEN LIB. XLVIII.

Vt legatis, quominus violarentur, fugam explicuerit.) Emenda ad fidem antiqui libri: Vt legatos, quominus violarentur, fuga explicuerit.

Qui princeps senatus sextis jam censoribus erat lectus.] Lege, ab sextis. sic Livius libr. XCIII. M. Æmilius princeps senatus ab tertiis jam censoribus lectus.

Publilia.) Vet. lib. Poblicia.

Et excepturum militiæ genus.) Vet. lib. & excepturum se.

L. Lucullus consul, M. Claudius successerat, pacasse omnes Celtiberiæ populos cum videretur, Vacceos, &c.) Quemadmodum scriptum est apud Appianum *in Iberico*, non Lucullo Marcellus, sed Marcello Lucullus successit, quippe qui post Marcellum consul fuerit. Itaque ex Appiani historia sic legendum, L. Lucullus consul, cum Claudius Marcellus, cui successerat, pacasse omnes Celtiberiæ populos videretur, Vacceos, &c.

Cantabros, & alias regiones, & iterum alias incognitas nationes in Hispania subegit.) Vet. lib. Longe melius Cantabros, & alias adhuc incognitas nationes,

Et

Et in expugnatione captæ urbis majus multo etiam periculum adiit.) Vet. lib. Et in expugnatione interceptæ urbis majus etiam.

Dicerentque & exercitum.) Vet. lib. Dicerentque se, & exercitum.

Prorogari sententiam placuit.) Emendo, admonente ita sensu, Perrogari sententias placuit. Sic libro trigesimo secundo, Decretum recitari, perrogarique sententias prohibuerunt. & lib. XXIX. Perrogari eum die sententiæ accensis studiis non potuere. Deinde cætera sic lege, & interpunge: Catone, & aliis principibus senatus suadente, ut in Africam confestim transportaretur exercitus, quod Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi justam causam bellandi videri, placuit, ut bello abstinerent.

Carthaginienses tum adversum fœdus bellum Masanissæ intulerunt. victi ab eo.) Et hæc oratio uno conclusa circuitu in veteribus libris sic legitur. Carthaginienses cum adversum fœdus bellum Massanisæ intulissent, victi ab eo, &c.

Et gustare cibum tantummodo solito.) Vet. lib. gustare panem.

IN EPITOMEN LIB. XLIX.

Tertii Punici bellum initium altero, & sexentesimo anno ab urbe condita, intra quintum annum, quam erat cœptum, consummatum omnino est.) Belli initium consummatum esse, quid sibi velit, profecto difficile dictu est. neque injuria. est enim vitiosa locutio. Legitur autem in codice antiquo, Intra quintum annum, quam erat cœptum, consummati. ut ad vocem, Belli referas, & sit sensus, Tertii Punici belli initium intra quintum annum consummati refertur. Sic supra, Origo Carthaginiensium, & primordia urbis ejus referuntur. & infra, Antequam Cimbricum bellum consummaretur. Item, Causæ civilium armorum, & initia referuntur.

Quorum alterum sapientissimum virum in civitate habebant, alter vir optimus a senatu judicatus erat.) Vet. lib. Quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur, alter optimus vir etiam a senatu judicatus erat.

Et ut omnino deleretur Carthago.) Vet. lib. Et ut tolleretur, deleretur que Carthago.

Placuit nihilominus.) Vet. lib. Placuit tamen.

In oppidum minime recepissent.) Veteres lib. Non recepissent.

Diti patri ludi ad Terentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti.] Lege, ad Terentum, qui locus erat in Campo Martio ex Festo, & Valerio lib. II. cap. I. itemque lege apud Censorinum. Cum libros Sybillinos Decemviri adissent, renunciarunt, uti Diti patri, & Proserpinæ ludi Terentini in campo Martio fierent. Servius in VIII. Aeneidos Partem Tiberis Terentum a terendo dictam ait.

Qui anno primo Punici belli quingentesimo, & altero anno ab urbe condita facti erant.] Fœdissime se habet hic locus, quem nos auctore vetere libro sic restituimus: qui anno centesimo, primo Punico bello, quingentesimo, & altero anno ab urbe condita facti fuerant. Sensus est, Ludos sæculares ad Terentum, qui centesimum ante annum, dum Punicum primum bellum gerebatur,

 anno

Digitized by Google

anno ab urbe cond. ɔɔɪ. facti fuerant, hoc anno esse relatos. Id autem ita esse ratione quoque possumus confirmare. Nam si anno ab V. C. ɔɔɪ. ille facti sunt, profecto P. Claudio Pulchro, L. Iunio Pullo consulibus facti sunt. Nam in eos consules hic numerus incidit ad summam annorum Livianam. Censorinus autem de his ludis loquens ait: Tertii ludi fuerunt Antiate, Livioque auctoribus P. Claudio Pulchro, L. Iunio Pullo consulibus. Praeterea si post centum annos, quam illi facti erant, relati sunt, profecto anno ɪɔcɪ. hi facti sint necesse est, qui annus consules habuit L. Marcium Censorinum, & M. Manilium. Itaque Censorinus idem ait. De quartorum ludorum anno triplex opinio est; Antias enim & Varro & Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M. Manilio consulibus post Romam conditam anno ɪɔcv. Sequitur autem in numerandis urbis conditae annis alios auctores, quam Livium, eosdem prope, quos Ciceronem, & Plinium sequutos esse animadvertimus.

Vt in alio loco procul a mari x. millia passuum nec minus remoto.) Vet. lib. Vt in alium locum, dum procul a mari x. millia passuum, nec minus remotum.

L. Martio, L. Manlio consulibus.) Lege L. Marcio, M. Manlio. M. etiam Manilius dicitur in Bruto a Cicerone, & a Valerio, & a multis aliis. ipsum tamen praenomen Manii tulisse, indicat Capitolinus ejus consulatus. Itaque locus in principio Somnii Scipionis ita legendus: Cum in Africam venissem Manio Manilio consuli ad quartam legionem tribunus (ut scitis) militum. mendose enim legitur, Anitio Manilio consulibus. Quidam Marcio, & Manilio emendarunt, non recte. non enim ambobus consulibus Scipio venit tribunus, sed uni Manilio, ut Appianus, & Valerius tradiderunt.

Castrisque, quae Carthaginienses omnibus copiis pariter ab urbe egressi oppugnabant, liberatis, is praecipue gloriam tulit.] Vet. lib. Castrorumque, quae &c. liberatorum & ipse praecipuam gloriam tulit.

Cato vir promptioris multo ad vituperandum linguae.) Ex Vet. lib. Tollenda est vox Multo.

Qui in Africa militarent, umbris militare, Scipionem vigere.) Antiqua lectio, pro Vmbris, habet, umbras, pro vigore, vigere. Quod probo. Nam (ut ait Appianus) est versus Homericus a Catone usurpatus, ejusmodi, οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν, id est, solus sapit, reliqui umbrae ruunt.

Per aetatem minime liceret.) Vet. lib. non liceret.

Vt Lusitani, qui ex foedere populo Ro. dediti a Sergio Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur.) Vet. lib. qui in fidem populi Ro. dediti a Serg. Galba. Porro autem in Gallia, non in Galliam, sententia ita postulante lego. Venissent enim pro venundati essent, accipiendum est. Nam inquit Valerius lib. IX. cap. VI. Galba trium Lusitaniae civitatum convocato populo tanquam de commodis ejus acturus novem millia electa, & armis exuta partim trucidavit, partim vendidit.

Etiam ab eo.) Vet. lib. Et saepe ab eo.

Digitized by Google

Propter sese castra habentes.) Vet. lib. Prope se.

Equo, atque homine suo immolatis.) Vet. lib. Equo, atque homine suo situ immolatis.

Multis ad falsam ejus famam, velut ad veram euntibus.) Vet. lib. Multis ad falsam ejus fabulam, velut ad veram coeuntibus. & recte. Nam paulo post infert, Fabulam autem ejusmodi finxerat.

Ex pellice se Perseo rege ortum.) Vet. lib. Ex pellice se, & Perseo rege.

Traditum educandum Cyrthesa cuidam esse.) Vet. lectio melior. traditum educandum Cretæ se cuidam esse.

In belli casus, quod ille cum Romanis ageret.) Vet. lib. gereret.

Patrem esse credentem, a quo educaretur.) Vet. lib. Patrem eum esse credentem, a quo.

Cum prope finem ultimum esset.) Vet. lib. Cum prope ad ultimum finem vitæ esset.

Detectam tandem originem suam.) Vet. lib. Detectam sibi tandem.

Pubescenti libellum tradidit.) Repone, traditum; ut orationis consequutio conservetur, item ex Vet. lib.

IN EPITOMEN LIB. L.

Prusias rex Bithyniæ omnium humillimorum fautor, atque vitiorum.) Vet. lib. Omniumque humillimorum vitiorum. ut regem etiam vitiorum intelligamus. Humilitas ejus, & imbecillitas animi cognita est, cum raso capite cum pileo Legatis Romanis obvius se populi Romani libertum esse dixit.

Habebat alium filium.] Vet. lib. Alterum filium.

Caput multis cicatricibus sparsum.) Vet. lib. Farsum, id est, repletum. Hujus rei meminit Plutarchus in priore Catone, & Appianus in Mithridatico.

Genuerit unum filium.) Vet. lib. & Latina oratio ferunt, ut legatur, filium genuerit.

Inter tres liberos.) vet. lib. Inter tres liberos ejus.

Arbitrio Scipionis.) Vet. lib. Arbitro Scipione.

Suasit cum equitatu suo ad Romanos transire.] Veteres libri, Persuasit, ut cum equitatu suo ad Romanos transiret. Egregie. Transisse enim eum scribit Appianus.

Phaniæ.) Phamææ legendum. φαμαίαν. enim vocat Appianus in Libyco Item. Vet. lib. Suidas. φάμιαν.

Quoniam per decem annos consulem fieri minime licebat.) Veteres libri, Quoniam per annos consulem fieri non licebat. Recte. Lex enim de decem annis erant; ne quis intra decem annos consul reficeretur, de qua supra in Fabio Rulliano diximus. Hic autem legem annalem intelligit a L. Villio Annali latam, qua cavebatur, nequis nisi anno ætatis XLIII. capere consulatum posset. ut supra diximus. Scipio vero anno, quo factus est primum consul, annum agebat XXXVII.

Repugnantibus aliquantulum patribus.) Vet. lib. Aliquandiu.

Digitized by Google

M. Æmilius nonnullas urbes circumpositas Carthagini expugnavit.) Nullum M. Æmilium Carthaginem missum belli gerendi causa accepimus. Itaque non dubitamus, quin hic sit, M. Manilius, qui consul primum, post autem prorogato imperio pro consule id bellum gessit per biennium, cui deinde Scipio consul anno tertio successit. Valerius quidem M. Manilium Africam pro consule obtinuisse scribit. Orosius Teragam urbem expugnatam, & direptam a Manilio ait.

Victus, captusque relicta Macedonia.) Vet. lib. Recepta Macedonia. Recte. Nam quæ bello Persico parta erat, eadem hoc bello amissa fuerat.

IN EPITOMEN LIB. LI.

Carthago viginti tria millia quidem passuum in circuitu labore maximo obsessa.) Quanto rectior est prisca lectio? Carthago in circuitu mille XXIIII. passus patens, magno labore obsessa.

Cui extra sortem provincia Africa data est.) Vet. lib. Data erat.

Contracta exiguo tempore ampla classe.) Vet. lib. Contracta clam exiguo tempore. optime. Id enim Appianus, & Strabo, & reliqui factum esse tradiderunt.

Ad Nesentum oppidum.) Quis unquam alias ante audivit in Africa non longe a Carthagine esse oppidum nomine Nesentum? Nepherim quidem esse & Strabo, & Appianus produnt, ubi uterque de hoc bello loquitur. atque hoc etiam nomen est in vetustis epitomarum libris. Vt omnino, Nepherim, sit legendem.

Minime impetrare potuerat.) Vet. lib. Impetrare non potuerat.

Ludos fecit, transfugas.] Vet. lib. Transfugasque.

IN EPITOMEN LIB. LII.

Bœotios.) Vet. lib. Bœotos. Sic Græci. βοιωτὸς, & Livius.

In cujus locum Dracus.) Vet. lib. Diacus. legendum Diæus. Sic enim Pausan. in Achaicis. Δίαιος ὁ κριθολάου διάδοχος.

Legati Romanorum.) Vet. lib. Romani.

Ipse L. Mummius.) Vet. lib. Ipse Mummius.

P. *Cornelius Africanus Scipio Æmylianus.*) P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus.

A Diodoro quodam. Vet. lib. a Diodoto.

IN EPITOMEN LIB. LIII.

Expugnatis multis urbibus.) Vet. lib. Aliquot urbibus.

C. Iulius senator Græce res Romanas scripsit.] Vet. lib. scribit.

A L. Tremellio quæstore cum exercitu cæsus est.) Cum imperio prætorio tamen esse debuit.

IN EPITOMEN LIB. LIV.

Censa sunt civium capita CCCCXXVIII. *millia.*) Vet. lib. habet CCCXXVIII. Recte. Neque enim par est, cum priore lustro censa sint CCCXXIII. millia, & insequenti CCCXIII. hoc anno CCCCXXVIII. esse censa.

De

De Iunio Syllano.) Vet. lib. De D. Iunio Silano.

Ab exercitu ejus multum imploratus, ac nobilissime tumulatus.] Vet. lib. Comploratus. Quod verbum est in mortuo proprium. inquit enim Livius de Tarquinio mortuo. Ex comploratione in regia orta. & lib. xxv. ut non modo lacrymis, justoque comploratu prosequerentur mortuos, sed ne efferrent quidem, aut sepilirent.

Per quatuordecim.) Vet. lib. Et per quatuordecim.

IN EPITOMEN LIB. LV.

Cui cognomen Serapion fuit.) Serapio, ut Cato, Cicero, Dio. Nam Priscianus ait, quæ nomina apud Græcos in ων terminentur, ea a Latinis finiri in o. Adde tanto certius fieri, quoties casum gignendi edunt in Onis, non in Ontis. ut Serapio Serapionis.

Curiatio.) Curatio. ex Græcis. ut ante.

Quia non impetrarunt.) Vet. lib. Impetrarent.

In carcerem mitti.) Vet. lib. Duci.

Oppidumque.) Vet. lib. Et oppidum.

Irritam censuerat.) Vet. lib. Irritam fieri censuerat.

Fusus fugatusque.] Vet. lib. Fugatusque est.

Pulli ex cavea evolaverunt.) Vet. lib. Avolaverunt.

Conscendenti deinde in navim.) Vet. lib. Deinde navim.

Mancino auspicia tristia fuisse probatum est.) Vet. lib. Quæ auspicia tristia fuisse eventu probatum est.

Et sicut transgrederentur persuasit.) Vet. lib. Transgrederentur milites persuasit.

Diodoro.) Vet. lib. Diodoto. item Tripho. non Triphon.

Corruptis quidem medicis.) Quidem, abest a vet. lib.

IN EPITOMEN LIB. LVI.

M. Cæsonius.) Vet. lib. M. Cosconius.

Quem cum ille capere ob legem, quæ vetabat quenquam intra decem annos iterum consulem fieri, &c.) Hic multa fœda sunt, quæ tamen ope antiquorum librorum purgantur, in quibus est ita: Quem cum illi capere ob legem, quæ vetabat, quenquam iterum consulem fieri, non liceret, sicuti priore, &c. Nostri enim patres ignari omnis Romanæ antiquitatis, quia nullam aliam legem noverant, nisi quæ est de x. annis, eam ubique inculcarunt. Sicut etiam ante dixi priore hujus consulatu. Quæ lex ne in hoc quidem consulatu locum habere potuit. Nam inter priorem, & posteriorem Æmiliani consulatum anni interjecti sunt XII. Quæ res eruditos multos viros, ut de Glareano ante admonui valde hoc tempore perturbavit. Est igitur hæc lex lata paulo ante hæc tempora Catone vivente, cujus suasor ipse fuit Cato, Ne quis iterum consul fieret. Priscianus enim lib. III. profert exemplum ex oratione Catonis, quæ inscribebatur, Ne quis iterum consul fiat. idemque Festus in voce Pavimenta. Sunt enim multæ leges de consulatu capiendo latæ. Vna, nequis intra x. annos consul reficiatur, quæ, ut supra diximus, tenuit Fabium. Altera, ne

ne ædilitas, & prætura prætereatur, qua solutus est T. Flamininus. Tertia quæ annos ætatis constituebat, qua solutus est Æmilianus in priore consulatu. Quarta, Ne quis iterum consul fiat, qua impediebatur Æmilianus, ne secundum caperet consulatum. Quinta, ne quis absens consul fieret, qua post Marius solutus est.

Quartam tamen legem post tacito consensu civitatis abrogatam esse arbitror. Ex his legibus prima, & secunda a Sulla Dictatore relatæ sunt auctore Appiano.

Cujus belli.) Vet. lib. Hujus belli.

Cleon quoque.) Cleo. ut ante.

Sæpenumero gesserunt.) Sæpe ex vet. lib.

IN EPITOMEN LIB. LVII.

Generosissimam militiæ disciplinam.) Vet. lib. Severissimam.

A castris rejecit.) Vet. lib. Ejecit.

Militem omni die in opere habuit.) Vet. lib. Militem quotidie.

Frumentum ad septenos vallos ferre.) Ac septenos. ex Vet. lib.

Cum gladio recte vallare scieris.] Vet lib. cum gladio te vallare.

Alii nimirum parum habiliter scutum amplius justo ferre jussit, quoniam melius scuto, quàm gladio uteretur.) Omnis dicti hujus venustas perit, si ita legamus. Mihi autem videtur ita esse legendum: Alii nimis habiliter parvum scutum tenenti. Sensus autem est perspicuus, Cum parvum quidam scutum cum summa agilitate ferret, amplissimum cum ferre scutum Scipio jussit, ne scuto agilius, quam gladio uteretur. Scutum enim tegendi sui, gladius lædendi alterum causa paratus est, noceri autem hostibus Scipio cupiebat.

Quoniam melius.) Vet. lib. Quando, id est, quandoquidem.

Si extraneus, virgis cecidit.) Vet. lib. fustibus. Quod placet. Cicero enim in Philippicis ait, Fustuarium meruerunt legiones, quæ consulem reliquerunt. Ut fuste aliquis cæderetur docet eleganter Polybius lib. 6.

Jumenta quidem omnia, ne exonerarent militem. Multotiens contra hostium eruptiones feliciter pugnavit.) Vet. lib. sæpe adversus irruptiones hostium.

Et oppressos fame videret urgeri, hostes qui pabulatum exierant vetuit interimi.) Dispunge ita, oppressos fame videretur urgeri hostes, inde, Qui pabulatum.

Si plures quidem fuissent.] Dele, quidem, ex veteribus libris.

IN EPITOMEN LIB. LVIII.

Ne quis ex agro publico plus quàm decem jugera possideret.) Plutarchus in Graccho, & Appianus lib. 1. quingenta jugera produnt. qui numerus probabilior est. Error inde forte manavit, quod qui descripsit hunc locum is D, decem, non, ut faciendum erat, Quingenta, interpretatus est.

Et fatrem Gracchum.) Vet. lib. Et fratrem Cajum.

Ut iidem omnino triumviri.] Omnino, non est in vet. lib.

Ostendit ob id, ut iis.) Vet. lib. Ostendit, ut iis.

Ante omnes C. Antonius consul.) Lege vel repugnantibus omnibus libris, P. Mucius consul. De quo sic Cicero pro domo. P. Scipionis factum statim P. Mu-

Digitized by Google

cius consul, qui in gerenda Rep. putabatur fuisse segnior multis senatus consultis non modo defendit, sed etiam ornavit. & pro Plancio. P. Mucius arma, quæ privatus P. Scipio sumpserat, ea Tib. Graccho interempto jure sumpta esse defendit. Et qui de viris illustr. scripsit. Segniterque cessante Mucio consule Scipo Nasica sequi se jussit. Item Valerius, Cum Gracchus Remp. perturbaret, in ædem Fidei patres conscripti publice convocati a consule Mucio Scævola, quidnam in tali re faciendum esset, deliberabant.

A primatibus occisus est.] Vet. lib. Ab optimatibus.

IN EPITOMEN LIB. LIX.

Numantini fame maxime coacti, ipsi se per vices trucidaverunt.] Vet. libri, Numantini fame coacti ipsi se per vicem tradentes trucidaverunt.

P. Attilius consul in Sicilia cum fugitivis debellavit.] Hic consul ab aliis Atilius, ab aliis Rutilius, ab aliis Sulpicius mendose nominatur. At Cicero in Epist. ad Att. lib. 13. & in Verr. 6. Rupilium nominat. atque ita vocandum esse Capitolinus ejus consulatus ostendit. Quare pro P. Atilius, P. Rutilius repone.

M. Perpenna.] Perperna. ex Capitol. tabulis & Græcis. ut ante.

Censa sunt capita CCCXIII. *millia.*] Veter. lib. CCCXVIII. puto tamen legendum CCCLXVIII. nam sequenti lustro CCCXC. censa sunt.

Vt ducere omnes omnino cogerentur libererum creandorum causa.] Vet. lib. Vt omnes cogerentur ducere uxores liberorum procreandorum causa.

Velut eo tempore scriptam.] Vet. lib. Velut in hæc tempora scriptam. Recte. habet enim rationem personæ Livii, qui fuit æqualis Augusti. Hujus orationis sententiæ aliquot adhuc extant apud Gellium.

Auxilio quam maxime fuerunt.] Vet. lib. Auxilio fuerunt.

Ob nimiam suam crudelitatem suis invisus.] Suam abest a vet. lib.

Ejus virgine filia.) Vet. lib. Filia ejus virgine.

De agro dividendo creatis.] Tolle vocem. De, non enim Triumviri de agro dividendo, sed agro, ut dicatur, Latina locutio postulat, ut triumviri coloniæ deducendæ.

Quo defuncto.] Vet. lib. Eo defuncto.

Iapidas.] Cap. triumphi, Iapudas, Græci Ἰάποδας edunt.

IN EPITOMEN LIB. LX.

Aurelius consul.) Vet. lib. L. Aurelius consul.

Adversus Falanios Gallos populabantur fines Massiliensium.) Lege Salvios Gallos. ex vet. lib. Sunt autem Salvii iidem, atque Salyes.

A maxima multididudine locustarum.] Vet. lib. Ab ingenti multitudine.

Tertiam, qua equestrem ordinem cum senatu consentientem corruperat, (trecenti senatores erant, sexenti equites) ut trecentis senatoribus admiscerentur.] Clarior est hujus loci sententia in manuscriptis libris. hoc modo. Tertiam, qua equestrem ordinem tum cum senatu consentientem corrumperet, ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur, & quia illis temporibus CCC. tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur. Hanc legem

Digitized by Google

gem Iudiciariam vocat Plutarchus in Graccho, cujus verba his feresimilia sunt, ἀλλ' δικαστικὸς, ᾧ τὸ πλεῖστον ἀπέκοψε τῆς τῶν συγκλητικῶν δυνάμεως. μόνοι γὰρ ἔκρινον τὰς δίκας. καὶ διὰ τοῦτο φοβεροὶ τῷ δήμῳ, καὶ τοῖς ἱππεῦσιν ἦσαν. ὁ δὲ τριακοσίους τῶν ἱππέων προσκατέλεξεν αὐτοῖς οὖσι τριακοσίοις, καὶ τὰς κρίσεις κοινὰς τῶν ἑξακοσίων ἐποίησε. Hæc Plutarch. qui equites non sexcentos, sed trecentos senatoribus trecentis ait esse adscriptos, atque inter utrosque communicata judicia esse, quæ antea senatorum tantum propria fuerant. Si tamen Appiani lib. primo, & Pædiani in Divinationem verba attendamus, Gracchus a senatoribus ad solos equites judicia transtulit, non inter utrumque ordinem communicavit. Et Varro lib. 4. De vita pop. Rom. In spem adducebat non plus soluturos, quam vellent, iniquus equestri ordini judicia tradidit, ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem. Hæc enim verba ad C. Gracchum pertinere videntur. Locus est apud Marcellum in voce Biceps.

Multum indignata.] Multum abest a vet. lib.

IN EPITOMEN LIB. LXI.

Multum feliciter pugnavit.] Multum abest. a vet. lib.

Aventinum armata quoque multitudine.] Vet. lib. Aventinum quoque armata multitudine.

Flaccus socius ejusdem.] Vet. lib. Flaccus consularis socius ejusdem furoris.

Liberatus est.] Vet. lib. Absolutus est.

IN EPITOMEN LIB. LXII.

Cn. Martius Cos. Sarnios gentem Alpinam expugnavit.] Vet. lib. Q. Marcius consul Stonos. De Stonis autem Alpinis populis & Strabo, & Plinius prodiderunt. De hac autem victoria Orosius.

Quem in filium adoptaverat.] Vet. lib. Quem adoptaverat.

Metellus Dalmatas obsedit.] Vet. lib. Subegit. probo. Nam de iis etiam triumphavit, & Dalmatici nomen retulit.

Ænobarbus.] Ahenobarbus. ut ante.

Senatu amoverunt.] Vet. lib. Moverunt.

IN EPITOMEN LIB. LXIII.

Cato Porcius consul.] Vet. lib. C. Porcius. Recte utrumque. dictus est enim C. Porcius Cato.

Deprehensum, & judicatum fit.] Vet. lib. Vindicatum fit.

IN EPITOMEN LIB. LXIV.

Idque etiam Calpurnius.] Vet. lib. Idque Calpurnius.

Ad indicandum consiliorum auctores.] Vet. lib. Ad indicandos auctores consiliorum suorum.

Et propter eadem admissam in regulum quendam nomine Massivam, qui regnum ejus populo Ro. invisi appetebat, interfectum. Roma cum periclitaretur.] Ita legendum est, ut omnia uno periodo contineantur, usque ad verbum illud, clam profugit. præterea legendum, Romæ interfectum; cum periclitaretur. ex vet. libr. & ex Sallustio.

Di-

Digitized by Google

Discedens urbe.] Vet. lib. Cedens.

A. Posthumius legatus infeliciter prælio adversus Iugurtham gesto consistit, pacemque etiam multum ignominiosam adjecit, quam quidem minime esse servandam senatus censuit.] Germanam sic demum restitue lectionem. A. Postumius legatus infeliciter prælio adversus Iugurtham gesto, pacem quoque adjecit ignominiosam, quam non esse servandam senatus censuit. Extitit enim nescio quis malus auctor Latinæ orationis formandæ, qui in his Epitomis describendis de suo inculcavit particulas, Minime, Quidem, Multum, Omnino, quæ non sunt in Vet. libr. nisi raro, & apte positæ.

IN EPITOMEN LIB. LXV.

Et universam Numidiam vastavit.] Vet. libr. Totamque Numidiam.

Feliciter quidem pugnavit.] Vet. lib. Prospere pugnavit.

IN EPITOMEN LIB. LXVII.

Aurelius Scaurus legatus.] Vet. lib. M. Aurelius.

Vinci minime posse.] Vet. lib. Non posse.

Ab iisdem hostibus C. Manlius, & Q. Cæpio proconsules victi prælio, castrisque binis exuti sunt.] Restitue ita, M. Manilius consul, & Q. Cæpio proconsul victi prælio castris quoque binis exuti sunt. In Manlio variant scriptorum libri. Alii enim C. alii Cn. Manlium, alii M. Manilium vocant, quemadmodum in plerisque manuscriptis est, & in impressis Eutropii, Taciti, & Sallustii. Itaque M. Manilium legendum puto, ut filius sit ejus, qui bello Punico tertio cum Censorino consul fuit. In vetere Epitomarum exemplari, est Manilius consul, & Q. Cæpio proconsul. egregie. Nam Q. Cæpio, & consul ante Manilium, & prorogato imperio cum consule Manilio proconsul cum Cimbris rem gessit, ut ait Orosius.

Cæpionis, cujus temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primoque post regem Tarquinium imperium ei abrogatum.] Primum illud dico, Imperium regi Tarquinio non esse abrogatum, sed exilio multatum, ne in urbe esset. deinde vero addo alios ante Cæpionem imperio spoliatos fuisse, ut Tarquinium Collatinum, & L. Minucium Augurinum, & M. Claudium Gliciam, quorum illi coacti sunt abdicare se consulatu, hic Dictatura. Quare non est dubium, quin legendum sit, ut est in vetere libro; Damnati bona publicata sunt primi post regem Tarquinium. imperiumque ei abrogatum est.

In carcere necatus.] Veteres libri, Necatus est.

Continuatus per complures annos magistratus est.] Vet. lib. Consulatus est. Est enim factus II. III. consul cum abesset. Hæc est autem Quinta lex. Ne quis absens capere consulatum possit, qua solutus est Marius. Itaque Cæsar post omisit triumphum ex Hispania ulteriore, ut præsens peteret consulatum.

Circa Rhodanum, & Pyrenæum.] Vet. lib. Inter Rhodanum, & Pyrenæum.

Bellicosis quidem se Theutonis.] Vet. lib. Bellicosis se Theutonis.

IN EPITOMEN LIB. LXVIII.

Antonius prætor in Sicilia maritimos prædones persecutus est.] Emenda ad fidem vet. lib. M. Antonius prætor in Ciliciam. eadem menda est apud Obsequentem, ubi scriptum est, Piratas a Romanis in Sicilia deletos esse, cum sit legendum, Cilicia. Nam ut scribit Plutarchus in Pompejo, Cilicia arx fuit hoc tempore piratarum. ob eamque causam post in Cilicia bellum gessit P. Servilius, qui Isauricus inde appellatus est. Adde quod M. Antonius apud Ciceronem libro primo de Oratore pro consule se in Ciliciam venisse ait. Antonium porro cum piratis rem gessisse tradit Plutarchus in Pompejo.

Donec Cimbros vinceret.]. Vet. lib. Donec & Cimbros vinceret.

Et ad flumen Athesim castellum editum insederat.] Florus Athesim Venetiæ flumen agnoscit. ac Plutarchus in Mario ἀτισῶνα vocat, atque in regione fere Vercellensi, in qua post pugnatum esse tradit, statuit. Idemque scribit in Apophthegmatis. libri veteres etiam Atisim habent.

Ubi virtute sua explicita fugientem proconsulem, exercitumque prosequuti.] Vet. lib. Cum virtute sua explicata. Quanquam sensu admonente, Expliciti, lego. Quod est, obsidione quasi Catuli liberati.

In quo cæsa traduntur hominum centum quadraginta millia.] Vet. lib. Hostium. Idem autem numerus traditur fere ab Orosio, & Plutarcho, & Floro. quanquam Flori locus mendose legitur sic: In patentissimo, quem Claudium vocant campo, procurrere. millia deinde ad XL. ceciderunt. Hinc campus tertio per omnem diem conciditur barbaris. In veterib. autem libris recte sic: In patentissimo quem Caudium vocant campo, concurrere. millia inde centum quadraginta ceciderunt, hinc tertio minus. per totum diem conciditur barbarus.

Totius civitatis consensu receptus.] Veteres libri, Exceptus.

Qui aliquantulum, &c. inviderant.] Vet. lib. Aliquandiu.

P. Malleolus.] Vet. lib. Poblicius Malleolus. Recte. ita enim & Orosius. & certe Malleolum Poblicia gentis cognomen fuisse Capitolini consules ostendunt.

Bella præterea inter Syriæ reges continet.] Vet. lib. Inter Syriæ reges gesta continet.

IN EPITOMEN LIB. LXIX.

Cn. Apulejus.] L. Appulejus. & vet. libr. & omnes scriptores.

Numidico, eo quod in eam minime jurasset.] Vet. libr. Quod in eam non juraverat.

Sextum quidem consulatum.] Quidem, vacat. vet. lib.

Candidatum consulatus petitorem.] Vetus liber, Candidatum consulatus. sic libro CIII. Eoque consulatus candidato conspiratio facta est. & libro CVII. T. Annio Milone candidato consulatus.

A Numio competitore.] Hunc νόνιον Plutarchus, αὖλον νόνιον Appianus vocant, ille in Mario, hic libro primo. At Valerius libro nono, capite septimo.

timo. Orosius libro Nummium, presertim in manuscriptis libris. nam vulgati habent Mummium. Itaque nihil ausus sum mutare.

Bello quodam interfectus est.] Loquitur de Saturnino, quem, ut omnes tradunt, Rabirius interfecit. Itaque, a Rabirio quodam, legendum est. Sic enim & is, qui de viris illustribus scripsit. Caput ejus Rabirius quidam senator per convivia in ludibrium circumtulit.

M. Aquilius consul in Sicilia.] M. Aquillius proconsul. scribendum. Hunc enim vocat Plutarchus in Mario, μάνιον ἀκύλλιον. itemque in Mithridatico Appianus. Filium hunc esse arbitror M. Aquilhi M. F. M. N. qui de Asia triumphavit. ut est in Capitolinis triumphis, quem Appianus libr. I. μάνιον quoque nominat.

IN EPITOMEN LIB. LXX.

Cum M. Aquillius.] M. Aquillius, ut dixi.

Didius proconsul.] Vet. lib. T. Didius.

P. Rutilius, qui legatus C. Marii proconsulis a publicanorum injuriis Asiam defenderat.] Lege, Q. Mucii, proconsulis. neque enim C. Marius obtinuit Asiam, sed Q. Mucius Scævola. ut Pædianus in Divinationem. Q. Mucii Scævolæ quæstor Rutilius condemnatus, quod cum prætore consenserit suo, ne publicani aliquid agerent in provincia sua.

Cui cognomentum Apionis fuit.] Cui cognomen Apioni fuit. vet. lib.

C. Geminius prætor contra Thracas infeliciter pugnavit.] Vet. lib. C. Sentius. Quod probatur ex Orof. qui scribit, Iisdem temporib. rex Sothimus cum magnis Thracum auxiliis Græciam ingressus cunctos Macedoniæ fines depopulatus est, tandemque a C. Sentio prætore superatus redire in suum regnum coactus est. Apparet etiam ex Orosio, Feliciter hoc loco, non, Infeliciter esse legendum.

IN EPITOMEN LIB. LXXII.

Initio belli a Picentibus moto.] Vet. lib. Orto.

Esernia.] Aesernia Græci.

Auxilia demum.] Vet. lib. Auxilia deinde.

IN EPITOMEN LIB. LXXIII.

L. Cæsar consul.] Vet. lib. L. Iulius Cæsar consul.

Qui interemptus est.] Vet. lib. Qui ab iis interemtus est.

Meliore quidem eventu.] Quidem redundat. ex vet. lib

Pelignos fudit.] Vet. lib. Pelignos prælio fudit.

Hirnio Asinio.] Vet. lib. Hirno Asinio.

IN EPITOMEN LIB. LXXIV.

Aliaque magistratuum ornamenta insignia sumpta sunt.] Vet. lib. aliaque magistratuum insignia sumpta sunt.

Aurelius Plotius legatus.] Vet. lib. A. Plotius.

A. Sempronius Asellus.] Scribe, Asellio. sic enim Appianus lib. primo. Valerius

Digitized by Google

terius lib. IX. cap. VII. Fuit autem Asellio Semproniorum cognomen. Quod Historicus ille æqualis Scipionis Aemiliani tulit. Qui apud Ciceronem primo de legibus, Asilo, mendose dicitur, ubi Latinos Historicos numerat.

IN EPITOMEN LIB. LXXV.

A. Posthumius legatus in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpicius legatus cum classi praeesset infamis crimine proditionis ab exercitu suo interfectus est.] In his verbis est insigne mendum. Inculcata enim multa verba sunt ex Epitome sequentis libri, eaque a Gabinio ad Postumium translata, quæ autem ad Postumium pertinebant, ex Sulpicio sine causa tributa sunt. sic igitur lege ex veterum librorum fide. A. Postumius Albinus legatus, cum classi præesset, infamis crimine proditionis ab exercitu suo interfectus est. Reliqua autem dele. Hæc ipsa A. Postumio evenisse tradit etiam Orosius lib. V. Postumius Albinus vir consularis tunc L. Sullæ legatus intolerabili superbia omnium in se militum odia cum suscitasset, lapidibus occisus est. & Valerius lib. IX. cap. VIII. A. Albinus nobilitate, moribus, honorum omnium consummatione civis eximius propter falsas, & inanes suspiciones in castris ab exercitu lapidibus obrutus est.

Quisquam ante.] Vet. lib. Quisquam alius ante.

IN EPITOMEN LIB. LXXVI.

Cæsis a Mamerco Aemilio legatis Italicis.] Veteres libr. Cæsis & a Mamerco Æmilio legato Italicis.

Incursiones Thracum in Macedoniam continet.] Vet. lib. Incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

IN EPITOMEN LIB. LXXVII.

Occisoque Pompeii consulis filio.] Sensus docet legendum esse. Occiso Q. Pompejo consulis filio. Paulo ante enim patris consulis meminit.

Ex quo duodecim.] Ex qua, legendum; ad vocem enim Factionem, pertinet.

Vt præmium promissi judicii haberet.] Vet. libr. Præmium promissum.

Ad capiendum a Cn. Pompejo proconsule exercitum.] Veteres libri, Ad accipiendum.

IN EPITOMEN LIB. LXXVIII.

Cornelius Cinna.] Vet. lib. L. Cornelius Cinna.

Cum perniciosas leges per vim ferret.] Vet. lib. Per vim, atque arma ferret.

Pulsus urbe a Cn. Octavio collega cum Sextio tribuno plebis.] Melior lectio est manuscriptorum librorum cum VI. tribunis plebis, id est, Cum sex tribunis plebis. Hoc probatur, quia scribit Appianus majorem tribunorum partem Octavio adversatos esse. ὅτι δ' ἐνταῦθα κατὰ τὴν οἰκίαν τὸ μᾶλλον ἐξεσφαλμένη ἐξαγγέλλονται τοὺς πλέονας δημάρχους κωλύειν τὰ γιγνόμενα.

Imperioque ei abrogato.] Vet. libr. Imperioque abrogato. Sic Epitome CXI. Abrogato magistratu pulsus urbe.

Mortuum spoliaret.] Vet. lib. Spoliaret occisum.

IN

IN EPITOMEN LIB. LXXX.

Qui soli arma recipiebant.] Vet. lib. Retinebant.

Planeius.] Vet. lib. Plancius.

Ianiculum occupaverunt.] Vet. lib. Oppugnaverunt. Occupasse tamen ait Appianus. Itaque nihil muto.

Antium quidem. Item. Nulla omnino spes.] Tolle quidem, & omnino, veterib. lib. auctoribus.

M. Antonio eloquentissimo viro, & C. Casare.] Vet. libr. L. & C. Cæsare. Recte. fratres enim hi fuerunt, ambo in reditu Marii interfecti. Auctor Appianus, & reliqui.

In rostris posita.] Vet. lib. In rostris posita sunt.

Et citra illa comitia consules in sequentem annum se ipsos renunciaverunt, eodem die, quo magistratum inierant, Marius. Sex. Licinium.) Sic interpunge, & lege. Eodemque die, quo magistratum inierant: Marius, &c.

Postremo armis evertit.) Vet. lib. Armis Hostiliter evertit.

IN EPITOMEN LIB. LXXXI.

Praterea a Thracibus in Macedonia gesta continet.) Vet. lib. Præterea transitus Thracum in Macedoniam continet.

IN EPITOMEN LIB. LXXXIII.

Fusis aliquot copiis.] Vet. lib. Fusis prælio aliquot copiis.

Ita ut his cederet provinciis.] Vet. lib. Ita ut his cederet, Is, autem Mithridates intelligitur.

Impetravitque a servo prabens cervicem, ut eum omnino interficeret.] Vet. lib. Impetravitque de servo suo præbens cervicem, ut se interficeret.

IN EPITOMEN LIB. LXXXIV.

Cum ab omnibus oppidis Italia obsides exigere vellet.] Cum ab Italiæ oppidis omnibus coloniisque obsides. ex Vet. libr.

Consensu senatus prohibitus.] Vet. lib. Prohibitus est.

Novis civibus S. C. suffragium datum est.] Italis data lex erat lege Iulia, verum non in xxxv. tribus distributi. Eos ut distribuerentur cum P. Sulpicius legem tulisset, eaque Sylla reverso abrogata esset, Cinna de iis cum Octavio contendit. Itaque data erat illis civitas illa quidem, sed sine suffragio, nunc vero S. C. etiam suffragium adepti sunt. App. lib. 1.

Belli apparatum contra Syllam, quod plurimum excitabatur.] Vet. lib. Belli apparatum, quod contra Sullam excitabatur.

IN EPITOMEN LIB. LXXXV.

A Consule Cn. Carbone, & C. Norbano.] Emenda. a consule C. Norbano. Erat enim hoc anno consul C. Norbanus cum L. Scipione. Itaque sequenti versu ait. Cum L. Scipionis alterius consulis exercitu. alioquin si Carbo consul esset, tertii consulis fuisset dicendum.

IN

Digitized by Google

IN EPITOMEN LIB. LXXXVII.

Litigatores a quibus adhibebantur vadimonia, Romam deferre jussit.] Lege ex Vet. lib. auctoritate. Litigatores, a quibus adhibebantur, vadimonium deferre jussit.

IN EPITOMEN LIB. LXXXVIII.

Octo millia deditorum in via publica trucidavit.) Lege in villa publica, qui locus fuit in campo Martio. Sic enim Augustin. de Civit. lib. III. cap. XXVIII. Sulla victor urbem intravit, qui in villa publica non jam bello sed ipsa pace sæviens VII. millia peditum undecunque inermia non pugnando, sed jubendo prostravit. & Valerius lib. IX. cap. II. Quatuor legiones contrariæ partis fidem suam secutas, in villa publica, quæ in campo Martio erat, nequicquam fallacis dextræ misericordiam implorantes obtruncari jussit.

Lucretio Asella.] Vet. libri, Offella. Plut. in Sulla. ὀφέλλαν itemque Appianus lib. I.

Inermes interimi jussit.) Vet. lib. Concidi jussit. Appianus libro primo, κατακόντησαν ἅπαντας.

IN EPITOMEN LIB. LXXXIX.

L. Brutus.) Vet. lib. M. Brutus.

Rebusque novis.) In Veterib. libr. Inducta particula, Quæ, aliis fit principium orationis.

Lucretium Asellam] Offellam. ut ante.

Hieram regem Numidarum.] Hunc regem Eutropius Iarbam nominat, itemque is, qui de vir. illustrib. Scripsit, & Plutarchus uterque in Pompejo, οἱ δὲ τῶν βασιλέων ἰάρβαν τὸν συμμαχήσαντα δομετίῳ, τὸν βασιλέα ἰάρβαν παρέδωκε. Hiarbæ igitur regis filius fuit Hiempsal, qui regnavit consule Cicerone, ut ipse ait contra Rullum. Hiempsalis filius fuit Iuba, victus a Cæsare, ut ait Dio, ubi de bello Cæsaris Africo, de quo loquitur Cicero contra Rullum, cum ait, Iuba regis filius. sic enim legendum, non Iubæ regis filius. Hiempsalis enim regis filium intelligit. Iubæ autem filius fuit Iuba alter, cui Augustus regnum concessit historiarum auctor. ut scribit Strabo libro XVII.

Barbone, qui Corcyram appulerat.] Appianus lib. pro κόσσουραν hanc insulam vocat κάρβωνα δὲ ἐκ λιβύης ἐς σικελίαν καὶ ἀπ' αὐτῆς ἐς κόσσουραν νῆσον σὺν ἑτέροις φυγόντα πέμψας τινὰς ὁ πομπήϊος ἔλαβε. Et Orosius. Pompejus Carbonem a Cossura insula in Ægyptum fugere conantem in Siciliam ad se retractum occidit. Est autem Cossura insula Africæ. auctor Strabo. Capitol. triumphi.

Redactum est sestertium ter millies, quingentiesque. Lucretium Asellam.) Emendo ter millies quingenties. Q. Lucretium Offellam. Est enim Appianus. κόϊντον λουκρήτιον ὀφέλλαν nominat. Erroris causa vulgata est.

Quod quidem nemini contigerat.) Vet. lib. Quod nulli contigerat.

Cn. Norbanus consularis.) C. Norbanus. Cap. tabulæ. itemque reliqui omnes.

Se ipse interemit.) Vet. libri, Ipse se interemit.

Metellus ex proscriptis unus.) Vet. lib. Mutilus. quod est Papiorum cognomen.

Digitized by Google

Ad posticum ædis.) Veteres lib. Ad posticias ædes.

Sanguine suo respersi.) Veteres lib. Vxoris fores.

IN EPITOMEN LIB. XC.

L. *Manlius proconsul.*) Hunc subsidio Metelli ex Gallia, cui ipse præerat, in Hispaniam venisse scribit Orosius. & L. Manilium nominat, quo pacto legendum esse apud Plutarchum in Sertorio puto, ὡς τὸ μὲν Λόλλιον ἐκ τῆς περὶ Ναρβῶνα Γαλατίας ἐλθεῖν αὐτῷ βοηθόν. est enim legendum, ὥστε Μανίλιον.

M. Antonius legatus ab Herculeio quæstore victi.) Vet. lib. habent M. Domitius. & recte. Nam Antonius, cujus post mentio fit, in hoc bello cum Sertorio erat. Domitius autem cum Metello. Domitium autem de Herculejo Sertorii duce cum exercitu oppressum scribit Orosius, Eutropius, & Plutarchus. Et Sallustius historiarum lib. I. in quo Sertorianum bellum narrabat, Domitium proconsulem ex citeriore Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat a Metello accersitum scribit. ut ait Priscianus lib. 10. Porro autem L. Domitius vocandus. Sic enim & Eutropius, & Plutarchus.

Ab Hirtuleio quæstore.) Vet. lib. Herculeio. item Eutropius. Item Sallustius Historiarum lib. II. Occurrere duci, & prælium accendere, adeo uti Metello in sagum, Herculeio in brachium tela venirent. ex Marcello in voce Sagum. Nunc, ut opinor, Ἐρέννιον nominat Plutarchus in Pompejo.

IN EPITOMEN LIB. XCI.

C*n. Pompejus, cum adhuc quæstor esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est.*] Vox, quæstor, mendose est. aut enim equester, ut in quibusdam veteribus libris est; aut, eques Rom. est legendum. Nam sex post libris scriptum est, Cn. Pompejum consulem factum esse, antequam quæsturam gereret, ex equite Romano. sic autem locutus est in Epitoma lib. LXXXIX. Cn. Pompejus adhuc eques Romanus ex Africa triumphavit. ut etiam Cicero pro lege Manilia. Quid tam incredibile, quam ut iterum eques Rom. ex S. C. triumpharet. triumphavit autem iterum ex Hispania. & Dio in quadam concione lib. XXXVI. habita de Pomp. καὶ ἱππεῖ ἔτι ὄντι τοὺς πολέμους ἐκείνους ἐνεχειρίσατε. & Plut. μήπω δὲ μετέχοντι βουλῆς ἐψηφίσασθε δύο θριάμβους.

IN EPITOMEN LIB. XCII.

Q*u. Sertorius Metellum, & Perpennam cum duobus exercitibus prælio fudit.*) Legendum. Q. Metellus Sertorium, & Perpennam. neque enim Sertorius Perpennam, qui a se stabat, fundere potuit.

Partem ejus cupiens auferre.) Vet. lib. Ferre.

Damna obsidentibus tulit.) Veteres lib. tulit.

Plurimos amicorum, &c.) Vet. lib. Plurimos ex amicis, & secum proscriptis.

IN EPITOMEN LIB. XCIII.

R*exque a Pompejo, & Metello victus, & ut contra Sertorium egerunt.*) Vitiosus sine dubio locus ex vestigiis veterum librorum a me ita emenda-

 tur.

tur. Resque a Pompejo, & Metello contra Sertorium gestas continet, qui omnibus belli. Sic enim in veteribus libris est, præterquam quod duæ illæ voces, Gestas continet, interciderunt. sic Epitoma sequenti. Res a Cn. Pompejo in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.

Coegit diversas regiones petere Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompejum Galliam.] Contra Plutarchus in Sertorio. ὡς τε διαχωρισθῆναι οἱ στρατηγοὶ διαλυθέντες ὁ μὲν εἰς γαλατίαν ἀπελθεῖν, πομπήϊος δὲ περὶ βακκαίους διαχειμάσαι

IN EPITOMEN LIB. XCIV.

Dejotarus Gallogræciæ tetrarches præfectus Mithridatis bellum in Phrygia moventes cecidit.] Vel adversantibus veteribus libris lego, præfectos Mithridatis. Nam Dejotarus stetit pro Romanis, non pro Mithridate. Id autem aperte Appianus in Mithridatico. τῷ δ᾽. αὐτῷ χρόνῳ φρυγίας σύμμαχος μηδέπω στρατηγὸς ἐπιτρέχων ἔκτεινε ῥωμαίων πολλούς, μετὰ παίδων, καὶ γυναικῶν παῖδάς τε καὶ θεράποντας ὑπήγαγε καὶ κιλικίαν. μέχρι τῶν τις γαλατικῶν τετραρχῶν δηϊόταρος ὁ πελάζοντα αὐτὸν συνιδὼν ἔξ, καὶ πολλοὺς διέφθειρε.

IN EPITOMEN LIB. XCV.

P. Vorenum prætorem prælio vicerunt.] Hunc prætorem Plut. in Crasso vocat πόπλιον βαρῖνον Varinium Frontinus lib. I. cap. V. Appia. autem *lib. I.* βαρίνιον γλάβρον. ut appareat hunc P. Varinium Glabrum appellatum fuisse. meminit etiam P. Varini prætoris Cicero pro Flacco. ubi forte, Varinii, legendum est, ut gentis nomen, non familiæ sit.

C. *Curio proconsul Dardanos in Thracia domuit.*] Hinc Sallustius hist. lib. II. Nonio auctore. Eodem anno id Macedonia C. Curio principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit, pecunias coegit.

IN EPITOMEN LIB. XCVI.

C. Lentulus consul.) Cn. Lentulus. perspicue. omnes auctores.

C. L. Gellius, & Q. Arius prætor.) Vet. lib. L. Gellius consul, & Q. Item Plutarchus, & Appianus. Cæterum hic est Q. Arrius prætor, qui cum successurus esset C. Verri in Sicilia, non successit. Pædianus.

Sertorius a M. Antonio, & M. Perpenna, & aliis conjuratis in convivio interfectus est. &c. Imperium partium ad Marium translatum est.) Locus obscurus. Nam cum dicat ab Antonio, & Perperna interfectum esse Sertorium, addit, Imperium partium translatum esse ad Marium. nos autem ab aliis accepimus ad Perpernam pervenisse. Tolletur igitur omnis obscuritas, si ita legatur. Sertorius a Manio Antonio, & Marco Perperna. Item. Imperium partium ad Marcum translatum est. Plutarchus enim in Sertorio. μάλιον ἀντώνιον vitiose vocat, pro μάνιον. In veteribus autem libris est. ad Marcum, non ad Marium. Ejusdem porro convivii meminit his verbis Sallustius historiarum lib. III. Sertorius in imo, inter Tarquinium, & dominum Perperna ex Nonio.

Vt frequentius victor.] Veteres libri, Vel frequentius.

Digitized by Google

IN EPITOMEN LIB. XCVII.

Cæsis inimicorum.] Vet. lib. Hostium.

*M. Crassus, & Cn. Pompejus consules facti sunt * sicut Pompejus, antequam quæsturam gereret ex equite Romano tribuniciam potestatem restituerunt.*] Locus mutilatus, merito asterisco notatus. Vetusti libri nihil varietatis habent, nisi quod. Facti sic, ibi est. Ex quo colligo ita esse legendum. M. Crassus, & Cn. Pompejus consules facti, ut Crassus ex pratura, sic Pompejus, antequam quæsturam gereret, ex equite Romano, tribuniciam potestatem restituerunt. Eandem enim rem ut memorabilem edit etiam Appianus lib. primo hoc modo. ἐς δὲ ὑπατείαν ἄμφω παρήγγελον. ὁ μὲν ἐστρατηγηκὼς κατὰ τὸν νόμον σύλλα, ὁ δὲ πομπήιος οὔτε στρατηγήσας οὔτε ταμιεύσας, ἔτος τε ἔχων τέταρτον ἐπὶ τοὺς τριάκοντα, id est, Consulatum autem ambo se petituros esse professi sunt, is quidem, cum prætor ex lege Sullæ fuisset, Pompejus autem neque prætura, neque quæstura perfunctus anno ætatis quarto, & tricesimo. puto tamen legendum sexto, & xxx. Quod quisque intelliget, qui aut ortum, aut obitum Pompeji cum primo consulatu ejus conferet. Duabus ergo legibus solutus est, una, quod præturam non gesserat, altera quod ante annos ætatis legitimos factus est. Quare merito pro Pompejo ait Cicero: Quid tam singulare, quam ut ex S. C. legibus solutus consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset?

Judicia per M. Aurelium Cottam prætorem.] Lege, L. Aurelium. Pædianus enim pro Cornelio. Fuerunt tres fratres C. M. & L. Aurelius Cotta, is qui lege sua judicia inter tres ordines communicavit, adeptique sunt omnes consulatum.

IN EPITOMEN LIB. XCVIII.

Lachares filius Mithridatis.] Vet. lib. Machares. Dio. μαχάρης.

C. Lentulus.) Cn. Lentulus. ut ante.

A quibus lustrum conditum est. censa sunt.) Vet. lib. A quibus lustro condito censa sunt.

L. Metellus prætor in Cicilia adversus piratas prospere rem gessit.) Scribe, Sicilia. Hic est enim Metellus, qui Verri in Sicilia successit. Pædianus.

Quod incendio consumptum erat, refectum a Qu. Catulo dedicatum est.) Vet. lib. Quod incendio consumptum, ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est.

Multis certaminibus fudit.] Vet. lib. Pluribus præliis.

Seditio militum tenuit, qui sequi nolebant, quia legiones Valeriæ impleta a se stipendia dicentes.) Veteres lib. Id est, legiones Valerianæ, quæ impleta a se stipendia dicentes.

IN EPITOMEN LIB. XCIX.

Pompejus Romæ rationem reddit.) Romæ, supervacaneum, præsertim cum dicat per epistolas rem esse actam, abest certe a vet. libris.

IN EPITOMEN LIB. C.

C. Manlius tribunus pleb.] C. Manilius. Cicero pro lege Manilia.

Domitis Cretensib.) Vet. lib. Perdomitis Cretensibus.

Libera in id tempus insulæ leges tulit.) Vet. lib. Dedit. Quo verbo & Cicero, & alii in hoc genere utuntur.

Phraatem regem Parthorum, & Tigranem Armeniorum regem ac demum inter filium.] Vet. lib. Tigranem Armeniorum, ac deinde inter filium.

IN EPITOMEN LIB. CI.

Phœnicia.] Phœnice. vet. lib.

Iberos, Albanos, qui transitum minime dabant.] Vet. lib. Albanosque qui transitum non dabant.

IN EPITOMEN LIB. CII.

A Milite Gallo nomine Bithoco.) Bitœto repono ex Appiano in Mithridatico. Βίτοιτον οὖν τινὰ ἰδὼν ἡγεμόνα κελτῶν, πολλὰ μὲν ἐκ τῆς σῆς ἔφη δεξιᾶς ἐς πολεμίους ὠνάμην, ὀνήσομαι δὲ μέγιστον, εἰ νῦν με κατεργάσαιο. Qui scripsit de viris illustribus Sithocum nominat.

A quo ut juvaretur petierat.) Vet. lib. A quo ut adjuvaret se petierat.

Cethego & pluribus.) Vet. lib. & pluribus aliis.

Incendiis urbis, opprimenda rep.) Vet. libri, Et opprimenda.

IN EPITOMEN LIB. CIII.

Cum exercitu cæsus.] Vet. lib. Cæsus est.

Sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset.] Vet. lib. In sacrarium.

Cumque uxorem Metelli pontificis stupravisset.) Cicero, Plutarchus, Suetonius, omnes denique Cæsaris pontificis Maximi uxorem fuisse scribunt, non Metelli. Itaque non est credendum in tam nota historia lapsum esse autorem, verum, ut multos alios, sic hunc locum a librariis esse vitiatum. Ego vero sine dubio legendum esse duco, Maximi pontificis. Errandi causa orta est ex compendiosa scriptura. Nam cum paucis literis scriptum esset M. pont. imperitus ille, qui descripsit, intepretatus est Metelli, cum Maximi ea vox significaret.

Cn. Petitius prætor Allobroges, qui rebellaverant, ad Solonem domuit.) Hic Prætor fuit consule Cicerone, ab eoque, & Sallustio, C. Pontinus, a *Dione* γάϊος πομπλῖνος, & πομπτῖνος dicitur. Idem etiam post triumphavit ex Gallia. Ego C. Pontinium scribo.

Pompejus de liberis Mithridatis, Tigrane, & Tigranis filio triumphavit, Magnusque a tota concione consalutatus est.) Hæc verba non puto suo loco sita esse. Vt ita sentiam me impellit, quod Cicero libro I. ad Atticum. Plinius lib. VII. cap. XXVI. & lib. XXXVIII. cap. II. Capitolinorum scriptores, & reliqua omnia Romanæ historiæ monumenta loquuntur, Cn. Pompejum de Mithri-

Digitized by Google

Mithridate, & Asia triumphasse Pisone & Messalla consulibus. In hac autem epitoma triumphus post Gabinii, & Pisonis consulatum, quo anno Cæsar se scribit in Galliam venisse, & cum Helvetiis pugnasse, id est, post tertium annum collocatur, cum tamen in eadem ante triumphum Pompeji mentio fiat conspirationis factæ inter Pompejum, & Crassum, & Cæsarem, quæ Pompejo præsente Romæ ante consulatum Cæsaris facta est. Librarii tamen & hunc errorem fuisse pro certo habeo. Nam qui, Cn. Pompejus, &c. erat scripturus per incuriam oculis ad Pontinium conjectis, Cn. Pontinius scripsit, & quæ sequuntur. Post autem cum intelligeret se Pompeji triumphum temere prætermisisse, eundem ipsum in fine Epitomæ collocasse. Est autem triumphus Pompeji rebus a Pontinio gestis anteponendus.

IN EPITOMEN LIB. CIV.

Gallia omni expulit.] Vet. lib. Gallia expulit.

Pompejo inter alios orante, & T. Annio Milone tribuno plebis ingenti gaudio senatus, ac universæ Italiæ ab exilio reductus est.] Suspicor legendum, & T. Annio Milone trib. pl. agente. neque enim hoc placet, ne Milonem, qui in magistratu erat, & legem rogare poterat, orasse dicamus, sed egisse, orasse autem Pompejum, qui erat privatus. Excidisse autem hanc vocem, propter eam, quæ similis sequitur, Ingenti, puto.

Quorum quidem maxima multitudo.] Vet. lib. Non habent, Quidem.

Administratio ejusdem rei.] Vet. lib. Ejus rei.

Ptolemæus Ægypti rex ob injurias, quas patiebantur, a suis regno pulsus, Romam venit.) Vet. lib. Ob injurias, quas patiebatur a suis, regno pulsus Romam venit.

IN EPITOMEN LIB. CV.

M. Catonis tribuni pl.) Lege, C. Catonis, ex epistolis Ciceronis ad Lentulum. Etenim Lentulo in re Alexandrina maxime adversatus est. Item ex libro vicesimo secundo Annalium Fenestellæ intelligitur teste Nonio. Quod ut magistratum tribnni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens nec imparatus ad dicendum concionibus assiduis invidiam & Ptolemæo simul, qui jam profectus ex urbe erat, & P. Lentulo consuli paranti jam iter concitare secundo quidem populi rumore cœpit.

Qua provinciæ consulares in quinquennium Pompejo Hispaniæ, Crasso Syria.) Lege consulibus, pro consulares, ut Pompejum, Crassumque consules iterum intelligamus.

Rejecto Archelao.) Vet. lib. Ejecto Archelao.

In regnum reduxit Ægypti.) Vet. lib. Reduxit in regnum Ægypti.

Proximam partem.) Vet. lib. Et proximam.

In Britanniam parum prospere tempestatibus adversis trajecit, iterumque parum felicius.] Lege ex Vet. lib. In Britanniam primum parum prospere, &c. iterum parum felicius.

Reliquam partem insulæ in potestatem redigit.] Vet. lib. aliquam partem. Egregie. Nam scribit in Agricola Tacitus, Cæsarem, qui primum in Britanniam legiones Romanas duxit, prospera pugna terruisse incolas, & litoris tantum potitum esse.

IN EPITOMEN LIB. CVI.

Gallorum multi populi.) Vet. lib. Aliquot populi.

Cotta, & T. Aurunculejus legati Cæsaris.] Vet. liber, Cotta & T. Veturius. Apparet tamen legendum, Cotta & Titurius. sic enim Cæsar libro tertio, Q. Titurius, & L. Cotta legati. Deceptus est librarius, quod Cottæ nomen Aurunculejus fuit, eodem auctore Cæsare. Item Appianus κότλας, καὶ λιτύειος.

Evocatus in colloquium ab hostibus ut de pace acturus.) Acturis, & Vet. lib. habent, & historiæ fides postulat.

IN EPITOMEN LIB. CVII.

Quod nemini unquam contigit.) Vet. lib. Quod nulli alii unquam. sine voce, contigit.

Lex dicta, ut ratio absentis Cæsaris.) Vet. liber, Lex data. Hinc ego, Lex lata.

IN EPITOMEN LIB. CIX.

Cum se dimissurum exercitum negaret, nisi a Pompejo dimitteretur.) Veteres lib. Exercitus. & Dimitterentur.

C. Curionis tribuni plebis primum adversus Cæsarem actiones continet.) Vet. lib. Primum adversum Cæsarem de populo Romano Cæsare actiones continet. Hinc ego observatione historiæ ductus: Primum adversus Cæsarem, deinde pro Cæsare actiones continet. Id enim omnes tradunt, & maxime Cœlius ad Ciceronem. Quod tibi supra scripsi, Curionem frigere, jam calet. nam ferventissime concerpitur, bellissime enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit. Ad hanc etiam historiam pertinere puto verba quædam Varronis ex lib. IV. De vita populi Rom. quæ sunt apud Marcellum: Curio cum id fecisset, dicebat amicis, ut illi renunciarent, se obstrigillaturum, ne triumphus decerneretur, aut ne iterum fieret consul. est autem obstrigillare, obstare.

C. Cæsar bello inimicos persequutus cum exercitu in Italiam venit.) Et sensus, & vetustæ lectionis auctoritas probant legendum esse, persequuturus.

Universosque ejus partium Italia omnino expulit.) Vet. lib. Cæterosque partium ejus Italia expulit.

IN EPITOMEN LIB. CX.

Relictis in obsidione C. Trebonio.) Vet. lib. Relictis in obsidione urbis ejus legatis C. Trebonio.

In potestatem Cæsaris se permiserunt.) Vet. lib. Potestati Cæsaris se.

In potestatem inimicorum.) Vet. lib. Hostium.

C. Tr-

Digitized by Google

C. Curio legatus Cæsaris cum adversus Pompejanarum partium ducem Varronem pugnasset.) Vet. lib. Cum prospere adversus. Porro autem Varum, non Varronem legendum. Hic est enim Atius Varus, qui in Africa stetit contra Cæsarem. Eadem labes est in bello Cæsaris apud Florum. Pulso, inquit, fugatoque Varrone. Varum autem habent Cæsar, Dio, Plutarchus, reliqui. Sic in oratione, Antequam iret in exilium, legitur, Q. Varroni trib. pleb. pro Q. Vario. Sic in oratione pro P. Sulla. Nemo T. Coruncano, nemo Curioni, nemo huic ipsi C. Mario, cum ei multi inviderent, objecit. Ti. Coruncanio, & C. Curio, legendum. nominat enim novos homines Coruncanium, & Curium æquales. ut alias facit.

IN EPITOMEN LIB. CXI.

C. Cæcilius Rufus, cum seditiones in urbe quam maxime concitaret, novarum tabularum spe solicitata plebe.) Lege M. Cœlius Rufus. Est enim is, de quo Cæsar lib. III. belli civilis ait. Iisdem temporibus Romæ M. Cœlius Rufus prætor causa debitorum suscepta initio magistratus tribunal suum juxta C. Trebonii prætoris urbani sellam collocavit. & Vellejus: M. Cœlius in prætura novarum tabularum auctor extitit. Item idem Cœlius in epistola ad Ciceronem. Tolle, Quam maxime, ex vet. lib.

Cn. Pompejus ad Brundusium obsessus à Cæsare.) Quid est tam novum, quam Pompejum obsessum a Cæsare ad Brundusium. In vet. lib. est ad Dyrrhachium, atque idem tradunt omnes historiæ.

IN EPITOMEN LIB. CXII.

Auctore Theodoro.) Vet. lib. Theodoto. Plutarchus, Dio, & cæteri Θεόδοτον.

Bellum à Cn. Domitio contra Phraatem Parthum prosperè gestum continet.) Domitius hic legatus Cæsaris cum Pharnace Ponti rege male rem gessit. Ex quo apparet, legendum esse, contra Pharnacem parum prospere. Ita enim Appianus libr. II. Φαρνάκης Δομιτίῳ Καίσαρος στρατηγῷ συνενεχθεὶς ἐς μάχην, ἐνενίκα πάνυ λαμπρῶς. & Dio lib. XLII. καὶ Καῖσαρ Γναῖον Δομίτιον Καλουῖνον ἔπεμψε, τήν τε Ἀσίαν οἱ, καὶ τὰ ἐκεῖσε στρατόπεδα προστάξας λαβεῖν. καὶ ὃς τὸν Δηιόταρον, καὶ τὸν Ἀριοβαρζάνην προσλαβὼν ἤλασεν εὐθὺς ἐπὶ τὸν Φαρνάκην, καὶ συμβαλὼν ἡττήθη.

IN EPITOMEN LIB. CXIII.

Catone, cui ex æquo deferebatur imperium, cedente.) Imperium, vacat. subauditur enim ex priore membro. Vet. lib.

Pompeji Magni filius.) Vet. lib. Inde Pompejus Magni filius.

IN EPITOMEN LIB. CXIV.

Et relicto à legione.) Et, vacat Vet. lib.

Occisoque eo Cæsar Scipionem.) Novum principium orationis a voce, Cæsar, faciendum est.

Rebellantes vicit.) Vet. lib. Rebellantes prælio vicit.

IN EPITOMEN LIB. CXV.

Spectacula edidit.) Vet. lib. Dedit.

Frui minime potuit.) Vet. lib. Non potuit.

P. Ma-

P. Magio Chilone.) Cn. Magio. Ex epistola Servij ad Ciceronem.

Censa sunt civium capita centum quinquaginta millia.) Numerus hic quanquam valde imminutus est, tamen bene habet. Scribit enim Dio pro duabus, & triginta myriadibus civium, quæ ante bellum civile censæ sunt, quindecim tantum censas, hoc tempore, reliquis bello civili absumptis, & Appianus ait, vix dimidiam partem civium, quæ ante civile bellum censebatur esse, censam.

Profectus in Hispaniam contra Sex. Pompejum.) Vet. libr. Profectusque in Hispaniam adversus Cn. Pompejum. Recte. erat enim major natu Cneus, quam Sextus.

Pompejus Sex. effugit.) Vet. lib. Sex. Pompejus effugit.

IN EPITOMEN LIB. CXVI.

Multi quam maximique honores.) Vet. lib. Plurimi, maximique.

Minime assurrexit.) Vet. lib. Non assurrexit.

M. Brutus, & C. Trebonius, & C. Cassius, & ex Cæsaris partibus D. Brutus.) Vet. libr. M. Brutus, & C. Cassius, & ex Cæsaris partibus D. Brutus, & C. Trebonius. Idem cæteri.

C. Octavius ex sorore nepos.) Quanquam Plutarchus in Antonio & Dio idem scribunt (scribunt autem ἐκγόνιον τῆς Ἀτίας τῆς Καίσαρος ἀδελφῆς υἱὸν, id est, *Atiæ sororis Cæsaris Octavium filium fuisse*) tamen portentum dicit, qui ita dicit. Qui enim fieri potest, ut Octavius nepos sit Cæsaris ex sorore, qui Atiæ, quæ fuit Iuliæ sororis Cæsaris filia, natus sit? quamquam apud eos mendum esse suspicor ἀδελφῆς, pro ἀδελφιδῆς. neque enim Atia soror Cæsaris, sed sororis filia fuit. Itaque in Bruto ait Plutarchus, οὗτος μὲν ὢν ἐξ ἀδελφιδῆς Καίσαρος. Ergo sororis nepos legendum, ut veter. libr. habent. atque ut Vellejus, Suetonius, & alij tradiderunt. Appianus τῆς ἀδελφῆς θυγατριδοῦν vocant, id est, *sororis nepotem ex filia*.

In campum Martium ferretur.) Vet. lib. Deferretur.

Chamaces humillimæ sortis homo.) Appian. hunc Ἀμάτιον vocat. Sic enim ait Ἀμάτιος ὁ ψευδομάριος· Μαρίου γὰρ ὑπεκρίνετο υἱὸς εἶναι. Ex eo apparet legendum hoc loco. C. Amatius. Movet tamen, quod Valerius libro nono hunc Erophilum Equarium medicum nominat.

IN EPITOMEN LIB. CXVII.

Omnibusque prosperis exceptus.) Vet. lib. Omnibusque. Ea vero omina quæ fuerint, Obsequens, & Dio libro quadragesimo quinto, & Vellejus tradunt. Cum enim urbem intraret solis orbis super caput ejus curvatus, rotundatusque in colorem arcus velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est.

In confusione rerum, ac tumultu Lepidum pontificem maximum interemit.] Ne hoc quidem quenquam alias legisse opinor, Lepidum pontificem maximum ab Octavio, ubi primum Apollonia rediit, interemptum. Immo vero ne id quidem Epitomarum scriptor scripsit. Nam infra ait, M. Lepidum ab Octa-

Digitized by Google

Octavio abrogato triumviratus honore vitam impetrasse. Est ergo locus mirum in modum vitiatus. Vetus liber vestigia aliqua continet, quibus ad germanam lectionem pervenire valeamus. sic, In confusione rerum, ac tumultuum Lepidum pontificem tum Maximum interfecit. Hinc ego. In confusione rerum, ac tumultu M. Lepidus pontificatum Maximum intercepit. Confirmat autem hanc lectionem Vellejus, qui libro secundo ait: Lepidus in locum C. Cæsaris mortui pontifex Maximus furto creatus.

Tulisset per vim] Vet. lib. Per vim tulisset.

Avunculi percussores.] Avunculi magni dicendum erat. Ita tamen etiam Suetonius. Nihil convenientius quam necem avunculi vindicare.

Magnis injurijs affecit. Cæsar ut sibi, & reip.] Melius concluditur hæc tota oratio in vet. lib. ita, magnis injuriis affecisset, Cæsar & sibi & reip.

Deinde plures.] Vet. lib. Deinde & complures.

Et ad Cæsarem.] Dele, & ex vet. lib.

IN EPITOMEN LIB. CXVIII.

C. *Cæsari, qui primus Reipub. arma sumpserat pro populo Romano, imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis.*] Hic locus mire depravatus est, cum tamen non videatur. Me ut vitiatum esse, atque ita legendum esse crederem Cicero admonuit, qui pro republica arma sumpserat, propraetoris imperium a senatu datum est. Nam Cicero in senatu, V. in Antonium, ita ait de Octavio; demus igitur imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest, sit pro prætore eo jure, quo qui optimo, & cætera. Vox, prætoris, in populo Romano, mutata est ob eam causam, quam sæpe alias. Eadem macula fœdavit quoque Vellejum lib. secundo, cum ait: Eum senatus honoratum equestri statua pro P. R. una cum consulibus des. Hirtio & Pansa bellum cum Antonio gerere jussit. ubi legendum est, proprætore. Quod autem scriptum est, Consularibus ornamentis, mallem prætoriis. Nam & Græci Plutarchus, Appianus, Dio στρατηγικὰ κόσμια decreta tradunt. & Cicero decernit, senatorem eum esse, sententiamque loco prætorio dicere.

IN EPITOMEN LIB. CXIX.

A. *Hircius.*] Hirtius. Cap. consules. & Græci, Ἵρτιος.

Qui post victoriam suam in inimicorum castris ceciderat.] Vet. lib. qui post victoriam in hostium castris ceciderat.

Cum annos XVIII. *haberet, consul creatus est.*] Vet. libr. annos XIX. Kal. Octobris, auctore Suetonio. Consul factus est Pansa, & Hirtio consulibus interfectis X. Calend. Octob. Quæ summa annorum est viginti, uno die minus. Quare qui XIX. annos scribunt, integros accipiunt, qui viginti, imperfectos. Optime autem omnium Velleius, qui ait, Consulatum iniit Cæsar pridie, quam XX. annos impleret, X. Cal. Octob. cum collega Q. Pedio.

Digitized by Google

IN EPITOMEN LIB. CXX.

C*ui senatus, ut persequeretur Antonium, mandavit.*] Vet. lib. Mandaverat.

D. Cæsar pacem cum Antonio, & Lepido fecit, ita ut tresviri Reip. constituendæ quidem per quinquennium præessent, ipse Lepidus, & Antonius statuerunt, ut suos quisque inimicos proscriberent.] Nihil purius potest esse vetere hujus loci lectione. Ita ut III. viri reipub. constituendæ per quinquennium essent, ipse & Lepidus, & Antonius, & ut suos quisque. Sic enim pacis conditiones fuerunt duæ, Triumviratus, & inimicorum proscriptio.

Nomina fuerant.] Fuerunt. Vet. lib.

L. Cæsaris Antonij avunculi M. Ciceronis.] Vet. lib. & M. Ciceronis. item Hujus occisi. non cujus occisi.

Caput quoque cum manu.] Vet. lib. Caput cum manu. At Livius tamen inter duas manus positum scripsit. Verba ejus sunt apud Senecam libro primo Declamationum, ita: Ita relatum caput ad Antonium jussumque ejus inter duas manus in rostris positum. in iisdem verbis nulla Popillij mentio est.

IN EPITOMEN LIB. CXXII.

M. *Messalla Publicolam fratrem junctum communi consilio condemnaverunt.*] Vetus lib. Victum communi concilio condonaverunt. & recte. Idem enim Dio libro quadragesimo septimo, βραχὺ τι γέλωτος ὁ πολλάκις ἐπιβεβούλευται. ὁ δὲ δηχθεὶς ἐφυγάδευσε ἵππος δι' ὅλου ἦλθεν. ὁ γὰρ Βροῦτος εἰκότως τῷ ἐν τοῖς φονεύσιν ἀεὶ ταμίαις εἶναι, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ μάρκον πεσεῖν τῇ κοινῶν ἐν προγεγραμμένοις εἰδὼς, ἀφῆκεν αὐτόν.

IN EPITOMEN LIB. CXXIII.

O*ccisoque a Pompejo A. Bithynico pretore.*] Vet. lib. Occisoque A. Pompejo Bithynico prætore. Sic autem ipse vocabatur, ut omnia Ro. monumenta loquuntur.

Salvidienum legatum.] Vet. lib. Q. Salvidienum legatum. Suetonius in Augusto, Salvidienium Rufum. Quare Q. Salvidienium lego.

IN EPITOMEN LIB. CXXIV.

A*ltero deinde prælio victus M. Brutus, & ipse vitam finivit, exorato Stratone fugæ comite, ut sibi gladium ad diceret, annorum erat ætatis XL. Inter quos Q. Hortensius occisus est.*] Locum hunc mancum esse semper suspicatus sum, nec me fefellit opinio, ubi & veteres libros & hujus historiæ scriptores conferre cœpi. In Vet. lib. Ita est, adiiceret. annorum circiter XL. ita ut duæ voces absint. Erat, & Ætatis. Hinc ego. Idemque fecerunt principum Romanorum circiter XL. Inter quos Q. Hortensius occisus est. Qui enim cum Bruto mortem appetierunt tradit, quorum alios sibimet, ut Brutus fecerat, necem conscivisse ait, alios autem, ut Hortensium, ab inimicis esse interfectos.

Hanc rem sic Vellejus libro secundo: Non aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum, Hortensiumque eminentissimorum civium filios fortuna abstulit. Nam Varro ad

Digitized by Google

ad ludibrium moriturus Antonii digna illo, ac vera de exercitu ejus magna cum libertate ominatus est. Drusus Livius Iuliæ Augustæ pater, & Varus Quintilius ne tentata quidem hostis misericordia, alter sese ipse in tabernaculo interemit, Varus autem liberti, quem id facere coegerat, manu jugulatus est. Idem Dio multo apertius lib. XLVII. τῶν δ᾽ ἀνδρῶν τῶν ἀρχάς τινας ἀρχόντων, ἢ καὶ ἐκ τῶν σφαγέων, τῶν τε ἐπικεκηρυγμένων ἔτι ὄντων, οἱ μὲν πλείους ἑαυτοὺς παραχρῆμα ἀπέκτειναν, ἢ ἁλόντες, ὥσπερ καὶ ὁ Φαβώνιος ἐφθάρησαν. id est, Ex principibus autem viris, quique magistratus aliquos gesserant, aut etiam ex interfectoribus, & iis, qui adhuc proscripti erant, plerique sibimetipsis statim mortem consciverunt, aut capti, ut Favonius, interfecti sunt.

IN EPITOMEN LIB. CXXV.

Cum grandi periculo.] Vet. lib. Gravi.

M. Lepido, qui custodiæ urbis cum exercitu præerat, scisso.] Vet. lib. Fuso.

IN EPITOMEN LIB. CXXVIII.

Didio Saxa M. Antonii legato.] Vet. liber, Decidio Saxa. item Cicero decima tertia Philippica, Decidium Saxam Antonii Satellitem commemorat.

Annonæ commeatum impediret.] Vet. lib. Annonæ commercium.

Bella gesta continet.] Vet. lib. Bella ibi gesta.

IN EPITOMEN LIB. CXXIX.

Luentidius legatus.] Vet. lib. P. Ventidius. ita cæteri.

Parthos in Syria vicit.] Vet. lib. Prælio vicit.

Iudæorum quoque legati ab Antonio interempti sunt.] vet. lib. Iudæi quoque a legatis Antonii subacti sunt.

IN EPITOMEN LIB. CXXX.

Ita ut duarum classium, Cæsaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret.] Vet. lib. Vt ex duabus Cæsaris classibus, altera, cui Agrippa præerat.

Expositi in terram in quam maximo periculo essent.] Veteres libri, Expositi in terram milites in maximo periculo essent.

M. Lepidus ex Africa, velut ad societatem belli contra Sex. Pompejum a Cæsare gerendi trajecerat, ei bellum quoque cum Cæsar inferret, relictus ab exercitu, abrogato triumviratus honore vitam impetravit.] Hæc verba sententiam continent, & a veterum librorum, & ab historiæ hujus fide alienam. Sic igitur corrige ex veteribus libris, Dione libro XLIX. & aliis. M. Lepidus, qui ex Africa velut ad societatem belli contra Sex. Pompejum a Cæsare gerendi trajecerat, cum bellum Cæsari quoque inferret, relictus, &c.

Nomini ante eum habitus est.] Veteres libri, Erat.

IN EPITOMEN LIB. CXXXI.

A Legatis ejus oppressus est.] Veteres libri, Oppressus a legatis ejus occisus est.

Digitized by Google

IN EPITOMEN LIB. CXXXIII.

Cæsaris Alexandria in potestatem redacta. Cleopatra ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte occubuit. In urbem reversus tres triumphos egit.] Hæc verba male interpuncta ex auctoritate manuscripti libri ita debent dispungi, & legi: Cæsar Alexandria in potestatem redacta, Cleopatra, ne in arbitrium victoris veniret, defuncta, in urbem reversus, &c. sunt enim hæc omnia una periodo connectenda.

Tertium ex Cleopatra.] Scribe de Cleopatra. Dicimus enim triumphare ex provincia, non autem, ex Rege, sed de Rege.

Imposito fine bellis civilibus altero & trigesimo anno.] Lege, altero, & vigesimo. non solum quia ita est in veteribus libris, sed etiam quia historiæ veritas id postulat. Nam a Lentulo, & Marcello consulibus, quibus civilia arma primum sumpta sunt, usque ad Cæsarem V. & Sex. Appulejum consules, quibus posita sunt tot anni numerantur. Vellejus libro II. Vicesimo anno finita bella civilia.

IN EPITOMEN LIB. CXXXIV.

Cum ille conventum Narbone egit.] Veteres libri, Narbone ageret.

Bellum contra Bastarnas, & Mæsos, & alias gentes a M. Crasso refertur.] Veteres libri, A. M. Crasso gestum refertur.

IN EPITOMEN LIB. CXXXVI.

ANTE hunc librum invenio in libro manuscripto album intervallum esse relictum, cum his verbis. Generaliter, & communiter hic est defectusquorundam librorum. Duos autem libros deesse puto eos, qui numerum expleant librorum centum quadraginta duorum, quos Petrarca a Livio scriptos esse ait. Itaque hunc librum CXXXVIII. appello. atque ita deinceps reliquos. Desideratur ergo Epitome libri CXXXVI, & CXXXVII. Quod ex his rationibus colligitur. Censorinus ait Livium libro CXXXVI. ludos quintos sæculares tradidisse, quos fecit Augustus, qui facti sunt, Censorino ipso, & Dione, & aliis auctoribus, C. Furnio, & C. Iunio Silano consulibus. Est autem versimile eum, qui scripsit Epitomas, quamvis exiliter eas, ac tenuiter scripserit, verbum etiam eorum ludorum, ut rei maxime memorabilis fuisse facturum, quemadmodum ante quartorum ludorum fecerat.

In libro autem CXXXVI vulgato, nulla eorum mentio fit. Nam de Rhetia victa a Tiberio, & Druso agitur, quod bellum gestum est Druso, & Pisone consulibus, ut ait Dio, id est, biennio postquam ludi sæculares editi fuerant. Accedit quod Hispani, & Salassi in libro CXXXV. Cæsare VIII, & Silano consulibus, auctore Dione, subacti traduntur, id est, anno IↃCCXXV, ab urbe condita. Si igitur in libro CXXXV. res explicantur gestæ anno IↃCCXXV, in eo autem, qui sequitur de Rhetia agitur, quæ victa fuit anno IↃCCXXXV, sane apparet prætermitti res gestas novem annorum, qui interjecti sunt, multasque nobiles, ac memorabiles actiones præteriri. ubi enim de

templo

templo Iani ab Augusto clauso? ubi de tribunicia potestate Augusto data? Ergo duos libros medios intercidisse credendum est.

IN EPITOMEN LIB. CXXXIX.

Ara Cæsari.] Veteres libri, D. Cæsari.

Dedicata, saeerdoteque creato.] Veteres libri, Dedicatur, sacerdote ereato.

IN EPITOMEN LIB. CXL.

Thraces domiti a Scipione.] Lego, a L. Pisone. is enim cum Pamphyliæ præesset hoc bellum gessit. Dio libro LIV. Florus etiam & Vellejus Thracas a L. Pisone perdomitos scribunt.

Cauci.] Cauci, & Chatti in Germania sunt. Dio tamen Chattos ait victos esse a Druso, itemque Florus. Vellejus & Caucos, & Chattos a Tiberio subactos tradit.

IN EPITOMEN LIB. CXLI.

Theatrum & porticus ejus nomini dicata.] Veteres libri, Nomine, id est, æque atque si ille dicasset, Marcelli theatrum, & porticus appellata.

IN EPITOMEN LIB. CXLII.

Nuncio valetudinis evocatus.] Veteres libri, Valetudinis ejus.

Raptim occurrerat.] Veteres libri, Cucurrerat.

Romam revectum.] Corpus Drusi Romam pervectum a Nerone fratre dicitur in manuscripto. Dio etiam, καὶ ἀποθανόντα εἰς ῥώμην ἐκόμισεν. Tiberius autem non eo Roma venit, sed ex Pannonia, auctore Dione. Quare pervectum placet.

Laudatus a Cæsare.] Veteres libri, Laudatus est a Cæsare.

In C. Iulii tumulo conditum.] Augusti est intelligendum. Nam inquit Dio. εἰς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνημεῖον κατετέθη.

MARTINI ANTONII DELRII IN T. LIVII EPITOMAM HISTORIARUM EMENDATIONES.

IN EPITOMAM I. LIBRI T. LIVII.



VIA Epit. Livianarum nos nonnulla post virorum eruditissimorum observavimus traditiones, quæ ab illis aut non intellecta, aut sane neglecta, earum tamen emendationem non parum momenti habent: ea qualiacunque sunt adscribere libuit.

IN EPITOMEN LIBRI PRIMI.

Nati Romulus & Remus] *legitur in m. s. quem Lud. Carrio. I.C. vir de litteris præclarè meritus, cum impressis contulerat,* nati ex ea Romulus & Remus. *Legitur in Aldina anni* CIↃIↃLXVI. *editione (in illa etenim omissa observare mens mea est) legitur lib.* II. Dum alii pontem sublicium rescindunt] *in vet. libro legitur;* aliis pontem sublicium rescindentibus. *A* Mucio) *pro*, a *v. l.* in.

Epit lib. II.

CLAUDIA tribus adjecta est. Numerus tribuum, *forte legendum*, Claudia tribus adjecta, numerusque tribuum. *quod est in vet. lib.* T. Latinius. *Valer. Maximus & Lactantius Firmianus*, Atinium, *vocant: & Roma plebeja fuit. Atiniorum familia Livius lib.* XXXIX. *capita autem conjurationis esse constabat, M. & C. Atinios, de plebe Romana.*

Lib. IV. VIR de plebe, *vox*, vir, *non est in v. l. Liviusque sic sæpissime loquitur.*

Lib. V. AGER Ardeatinus, *in v. l. continetur*, Ardeatibus, *nec male.*

ROMAM transtulit, *v. l.* Romæ statuit.

PRODITOS hostium filios, *Cum in v. l. sit;* proditos a magistris hostium filios; *lego:* proditos a magistro hostium filios. *Livii, Flori, Valerii, & Plinii auctoritatem secutus. ad hunc autem perfidum proditorem, Vari lib.* II. *Excellentium versiculos, qui apud Priscianum extant, refero.*

Tum litterator creditus
Ludo Faliscum liberos,
Causatus in campi patens,
Extraque muros ducere;

Spe-

Digitized by Google

Spatiando paulatim trahit
Hostilius ad valli latus.
* * * * *

Seu tute malis hospites,
Seu tute captivos habet.

INTER pendendum aurum, *vet. lib.* inter ipsum colloquium, quo de pacis conditionibus agebatur.

AJO Locuto, *apud Arnobium lib.* I. *contra Gentes, male legitur,* Ajos Locutios, *pro,* Ajos Locutos.

DICTUM est ad Veios migrandum esse propter incensam & dirutam urbem, quod consilium Camillo auctore discussum] *in vet. lib. pauca mutantur. Legitur enim:* Deinde cum ad v. m. esset p. i. & d. v. hoc consilium, &c.

CUM magna contentione, *tolle ex vet. libro;* cum.

INSIDENTE gallea corvo) galeæ *in v. l. legitur.* Lib. VI.

T. Veturius & Sp. Postumius. *in m. s.* coss. *additur.* Lib. VII.

UFENTINA, *ex Festo & lapidibus,* Oufentina, *scribendum.* Lib. IX.

APULOS, *ex vet. lib.* Appulos. Lib. X.

OBSTRICTUS, *sic Sigonius, vet. tamen lib.* astrictus, *atque hoc multis aliis locis noster usurpat.*

HANC sibi ignominiam. *m. s. cod.* hanc filii ignominiam. Lib. XI.

CONSECRATA est, *idem;* constituta est.

CCLXXIII. millia, *vet. lib:* CCLXXII.

CCLXXVIII. *vet. lib.* CCLXXXVII.

QUARTO fœdus, *in eodem;* quartum fœdus, *invenio.* Lib XIII.

CCLXXI. millia, *Decem millia Sigonius addit: mihi tamen necessarium non videtur labefactata Epyroticis cladibus civitate, singulis lustris numerum civium augeri.* Lib. XIV.

C. Duilius, *male hic a Zonara, & auctore de viris illustribus* Cn. *vocatur.* L. Cornelius consul in Sardinia, *ex vet. lib. non vereor addere;* & Corsica. *nam in Verrii tabulis sic scribitur.* Lib. XVII.

L. CORNELIUS. L. F. CN. N. SCIPIO COS.
AN. CCCCXCIV.
DE POENEIS ET SARDIA CORSICA
V. ID. MART.

& Zonaras illum Valerium Corsicam urbem principem, aliasque multas expugnasse testatur.

SUCCESSORQUE a Senatu] *membranæ,* successorque ei a Senatu, *continent.* Lib. XVIII.

DUCERET, *post hoc verbum, quædam sunt in v. l. quæ non habentur in excusis, scilicet:* qua tanta multitudo iterum periret Lib. XIX.

FINEM bello, *tollenda sunt hæc ut superflua, ex v. l. auctoritate.*

CUM antea per omnes dispersi fuissent, *hoc modo legitur in membranis.* Lib. XX.

CIVITAS octavo mense, *eadem habent;* civitas obsessa octavo mense capta est.

Digitized by Google

VOLSCIS, *sic operarum vitio legitur, pro*; Volcis, *qui Galliæ populi sunt, Cæsari lib.* 7. *belli Gallici.*

MAGONE capto, *Livius* Annonem *vocat: & sic emenda in Zonara, qui*, Cnejus, *&*, Anno, *vocati fuere, mendose, γαῖος & Σαύνων, nominantur.*

Lib. XXII. INSPERATO, *vet. lib.* ex insperato:

Lib. XXIII. FVDIT) *m. s.* effudit. *quemadmodum T. Livius.*

Lib. XXIV. CLAVDIVS Marcellus, *in v. l. etiam prænomen continetur.*

Lib. XXV. AVXILIIS accitis) *æque bene vet. lib.* ascitis.

ANNO octavo] *an non Cn. Scipio anno septimo (Livio auctore) postquam Hispaniam venerat, unde trigesimo die a morte fratris interfectus est? an non idem diutius quam P. Scipio Hispaniæ præfuit? an non uterque, eum in Hispaniam anno* IƆXXXII. *missi forent, anno post* IƆ. *&* XXXIIX. *cæsus fuit? malim igitur*, anno sexto, *legere: cum in hoc loquendi genere ne primus quidem annus numerari soleat: & apud Livium, pro*, septem, *legendum*, sex, *quibusdam non injuria videatur.*

Lib. XXVI. LITTERAS, a Senatu missas *litteras Fulvius accepit, non a Senatu, sed C. Calpurnio prætore; cum quibus etiam S. C. mittebatur: num igitur legendum*; a prætore missas?

Lib. XXVII. CN. Fulvius procos. *Eutropius ait*: Annibal in Italia Cn. Fulvium consulem subito aggressus, cum octo millibus hominum cepit. *quo loco, aut est reponendum*; Cn. Fulvium proconsulem; *aut*, *Consul sumitur*, *pro*, *Pro consule: quemamodum, nonnunquam Prætor, pro Proprætore.*

CVM milibus hominum LVI. cæsus est, *vet. lib.* capta vero quadraginta. *si captorum numerum noster addidit, scribo*: capta vero quinque millia & quadringenta. *eum namque numerum Plinius, Orosius, & Diaconus recensent: licet a Polybio minor referatur; & Zonaras, Florus, Eutropius, auctor de viris illustribus nullum edant.*

CLAVDII Neronis, *perperam in Eutropio huic Appii prænomen præfigitur: cum T. Livio, Val. Maximo, Verrio Flacco, Cassiodoroque*, C. Claudius Nero, *dicatur.*

Lib. XXVIII. IN hoc actu, *continetur in vet. lib.* habitu, *pro*, actu.

SYPHACEM regem Numidarum, *pro ultima voce in m. s. legitur*; Massiliorum, *fit ut existimen scribendum*, Masæsylorum. *quod Livio probatur.*

SEDITIONEM in parte exercitus motam, confirmatus discussit, *membrana continent*; repressit.

NEFAS summum, *vet. lib.* summum scelus.

Lib. XXXI. AVXILIVM a Philippo petierunt, *auctior est hac parte vet. lib. hoc modo*; auxilium a Philippo petierunt: Athenas oppugnaverunt: Athenienses auxilium a Romanis petierunt.

MILIA hominum XXXV. *Livius supra millia* XXXV. *edit. ideo recte m. s.* milia hom. XXXVI.

Lib. XXXII. OPPRESSA est) *addit m. s.* duo millia necata sunt: *quod quid sibi velit, lector consideret. Sane Livius Cornelium Prætorem de quingentis supplicium sumsisse scribit.*

AD-

Digitized by Google

AD ACARNANAS profectus, Leucadem urbem, quæ caput est Acarnanum, in deditionem accepit, *hæc est vet. lib. lectio, ab hac, quæ vulgata est, longe diversa.* Acarnanes, Leucade urbe, quæ caput est Acarnaniæ, expugnata in deditionem accepit. *Sosipater Carisius lib.* I. *instit. Grammatic.* Acarnanas, *dici debere negat: quemadmodum nec,* Paeanas, Titanas *&c. Tamen neque Cicero, neque Livius, neque Virgilius, neque Papinius, hoc reformidarunt.* Lib. XXXIII.

M. Acilius Glabrio *sic reponendum est apud Eutropium, & in Ciceronis Dialogo de Senectute: de ea editione loquor, quæ P. Suffridi est, qui, cum sic antea recte appellaretur, insulse, Balduinum secutus,* M. Attilium, *nuncupavit.* Lib. XXXVI.

Si ei Græcia & Asia provincia decerneretur. *Livius scribit. P. Scipio Africanus dixit, si L. Scipioni fratri suo provinciam Græciam decrevisset, legatum se iturum. egregie itaque habetur in membranis:* Si ei Græcia provincia decerneretur. *Nam coss. jussi sunt Græciam & Italiam sortiri. cuique Græcia sorte obveniret, permissum, cum in provinciam venisset, si e Repub. judicaret, exercitum in Asiam transportare.* Lib. XXXVII.

CENSA sunt civium capita CCLVIII. m. & CCCXXVIII.] *quia libri discrepant, Livius sequendus est.* Lib. XXXIX.

L. Quinctius Flaminius. *hac censura refertur a Seneca lib.* II. *controvers. ubi,* Flaminium, *reponere convenit.* Lib. XXXIX.

TANQVAM jungente, *m. s.* lugente.

ET sororis, *hoc deest vet. lib.* Lib. XL.

COMPLVRIBVS ducibus prospere gestas, *addo,* prospere, *ex membranarum fide.* Lib. XLI.

CCLXIX. m. & XV. *ita ego contra exemplarium auctoritatem ex ipsomet Livio castigo.* Lib. XLII.

AB Anicio, *m. s. mendose,* a Licinio, *scribendum,* a L. Anicio. *nam ita cum scriptum fuisset, librarii,* ab Anicio, *effecerunt.* Lib. XLIV.

CCCXXVIII. m.] *m. s. habent,* CCCXXXIIX. m. Lib. XLVIII.

ARCHOBARZANES] *membrana continent,* Ariobarzane.

LECTO se strato] se, *vet. lib. deest.* Lib XLIIX.

CVM Prætori pro se vades, *hanc hujus loci germanam esse scripturam contendo. nam ut omittam eam in vet. lib. inveniri, vulgata,* cum prætori prædes vadesque, *oppido, si Ausonio credimus, frivola est, quoniam prædes & vades, diversa sunt, ac Poblicia atque Licinia capitis arcessebantur. Versus Ausonii sunt:*

Quis subit in pœnam capitali judicio vas.
Quod si lis fuerit numaria, quis dabitur præs.

Paullus quoque ex Festo ait Vadem sponsorem significare, datum in re capitali.

SINE pulpamine], pulpamine, & pulpamentum *frequenter, nunquam vero* pulpamen *legi.*

VT in alio loco, procul a mari decem millia passuum, nec minus, remoto oppidum facerent. *hæc lectio vulgata, vet. lib. auctoritate firmata, a Sigonio rejicienda non fuit. Idem vir doctissimus, paullo post, ubi excusi & m. s.* Lib. XLIX.

Digitized by Google

habent, propter sese castra habentes, *reposuit*, prope. *sed*, propter, *pro*. juxta, *sumitur. Sisenna hist. lib.* III. *Partem cohortium propter mare conlocat in litore. Varro* de liberis educandis: *Attestatus est Fortunam, propter cujus aram mea hostia erat cæsa. quæ a Nonio adducuntur.*

Tum scientem mulierem subditititum se esse, veram stirpem ignoranti edidisse genus, *longe mea quidem sententia, rectius legitur in scripto libro, qui fuit Philippi Torrentii viri integerrimi*; Tum mulierem, scienti subditicium se esse, sed veram stirpem ignoranti, edidisse genus.

Lib. L. Rex Bithyniæ omniumque humillimorum vitiorum] *vet. lib.* rex Bithyniæ, omnium humillimorum vitiorum fautor

Ex stirpe generis Persei regis Macedonum, inertia socordiaque similem Prusiæ regem habebat, *mihi satis constat optime m. s. continere*; stirpe generis parem Macedonum regi: inertia socordiaque similem Prusiæ, *&c.*

Lib. LII. Bimulo admodum, *scribe ex vet. lib.* puero admodum.

Lib. LIV. Termestinos, *legendum ex eodem*; Termesinos. *a Termes fit Termesinus.*

Ab exercitu ejus, *ratio & loquendi consuetudo, denique membrana, sui, præferunt.*

Lib. LV. Fluvium oblivionem, *Plinius & Florus nominant, fluvium oblivionis. Sallustius etiam, teste Servio, scripsit; cui nomen oblivionis fuerat: de hoc, opinor, agens.*

Lib. LVII. A castris rejecit, *at vet. lib.* castris ejecit.

Lib. LIIX. Neque id se se reprehendere, *a vet. lib. hæc absunt.*

Eos ad cupiditatem ampla modo spirandi incitaverat, *castiga ut in m. s.* amplum modum. *hac sententia: quoniam eos ad cupiditatem sperandi amplas & locupletes facultates incitaverat. non me fugit quis ex vulgata lectione sensus resultet: verum haut quaquam placet.*

Lib. LIX. Cum sorori ejus Cleopatræ, *longe aliter hæc vet. lib. quam vulgati, hunc in modum:* Cum sorori ejus Cleopatræ; cujus filiam virginem per vim compressam, & in matrimonium ductam, repudiaverat; regnum a populo datum esset: filiam quam ex illa habebat, *&c. Valde, ni fallor, commodius.*

Lib. LXI. Bituitum *repone*; Betultum *fragm. marmoreum triumphorum erutum Romæ* CIↃIↃLXIII. *habet:*

Q. FABIVS. Q. AEMILIANI F. Q. N.
MAXIMVS. PRO. COS. DE. ALLOBRO
ET. REGE. ARVERNORVM. BETVLTO.
X. K.

Valerii etiam Maximi melioris notæ codices sic appellant. solus Raphael Volaterranus flagitiose, Batuitum, *vocat.*

Lib. LXII. Q. Marcius consul, *Q. Marcium cos. fuisse cum M. Porcio, Valerius, Plinius, Vellejus, Obsequens, Eutropius, Orosius, & Cassiodorus testantur: in superiore tamen illo fragmento extat sculptum:*

Q.

Q. MARCIVS Q. F. Q. N. REX. PRO. COS.
AN. DCX.
DE LIGVRIBVS. STOENEIS. III. NON.
DEC.

CAPTA nonaginta; *malo*, octoginta. *cur malim ratio est, quia hoc Eutropius & Orosius tradunt. in vet. lib. legitur.* CXC. *ubi prius* C. *depravatum fuit, ex* X. Lib. LXVIII.

AQVA & igni interdixit, *non refert, quibus aqua & igni Marius interdixerit. vet. lib. Philippi continet;* partibus aqua & igni interdixit. *partibus vero, videlicet Apuleii Saturnini.* Lib. LXIX.

L. Iulius Cæsar, *non assentior Appiano, qui,* Sextum, *vocat.* Lib. LXXIII.

HIRNO Asinio, *vet. lib.* Hirio. *Apiano* Ἔριος. *melioribus Eutropii codicibus; Hierus.*

POPEDIVS *Diodoro dicitur,* Πομπαίδιος. *Appiano* Πομπαίδιος: *sed mendose. Plutarchus in Mario & in Apophthegm. hujus viri nomen vitiose continet.* Lib. LXXVI.

L. Cornelius Cinna, *addit vet. lib.* consul. Lib. LXXIX.

ALIQVOT copiis, præfectis, *est in membranis.* Lib. XXXII.

IMPETRAVITQVE a servo, *servi hujus neque Appianus in Mithridatico, neque Plutarchus in Sulla, neque Vellejus lib.* II. *neque, quod sciam, alii ulli meminerunt.*

IN vestibulo ædis Vestæ, *Paterculus ait Scævulam in curia Hostilia trucidatum fuisse.* Lib. LXXXI.

INTER QVOS; *emenda,* quas, *scilicet, cædes: & ita v. l.* Lib. LXXXIIX.

ISAVROS domuit *indomitos antea. Cl. Claudianus:* Lib. XCIII.

Indomitos curru Servilius egit Isauros. Lib. XCVI.

nihil itaque mutandum.

CVM viginti millibus; *quo numerus Appiano consentaneus sit;* cum triginta millibus. *scribo. dissentiunt a Floro nonnulli historiæ scriptores; qui Crixum, a Gellio consule, ad Garganum oppressum tradunt.* Lib. XCVII.

CAESIS cum ipso millibus quadraginta, *vet. lib.* LXX. *Orosius* LX. *millia cecidisse arbitratur.* Lib. CXVIII.

CENSA sunt civium capita CCCCL. millia, ὑπερβολικῶς *vet. lib.* IↃCCCCL. millia. Lib. CXIV.

QVAE ad Bassum, *vet. lib.* qui ad Bassum.

ANNO ætatis quadragesimo nono, *vet. lib.* quadragesimo octavo. *Idque probat Plutarchus* ἐτελεύτησε δεκάτῳ ἔτη δυεῖν δέοντα πεντήκοντα βεβιωκώς. *Appianus de morte ejus scribit:* ἔτη μὲν ἀμφὶ πεντήκοντα γεγονώς.

P. Scipio] *Hic P. Cornelius Scipio Nasica initio vocabatur: post, a Q. Metello Pio adoptatus, cœpit Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio nominari, testibus Cælio in epist. familiar. & Asconio in Miloniana. quare hic,* Q. Scipio; *& supra lib.* CXIII. Q. Scipioni, *malim legere.*

L. Cæsaris, Antonii avunculi, *in Dione scribitur:* ἀμέλει καὶ τὰ Ἀντωνίου καὶ ὁ θεῖος Λεύκιος Ἀντώνιος Καῖσαρ, *sed vox* Ἀντώνιος *rejicienda est.* Lib. CXX.

B. U. G. Syst. Catal.
Digitized by Google

Lib. CXXII. PARVM prospere rem gessit, *veritate flagitante*, *vocem*, parum, *tolle. nam regionem Sadali recepit*, *& Bessorum maleficia vindicavit.*

CIRCITER quadraginta, *vet. lib.* circiter sexaginta.

Lib. CXXIV. Lib. CLX. TENCHATERI, *Cornelius Tacitus*, *Annaeus Florus & Paullus Orosius* Tencteros, *nominant*, *alii*, Tenchateros.

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google